IVSTI HENNINGI BÖHMERI, D.
PROF. P. ET FAC. IVRID. ASSESSORIS
IN REGIA FRIDERICIANA,

INTRODVCTIO
IN
IVS PVBLICVM VNIVERSALE,

EX
GENVINIS IVRIS NATVRAE PRINCIPIIS
DEDVCTVM,
ET
IN VSVM
IVRIS PVBLICI PARTICVLARIS
QVARVMCVNQVE RERVMPVBLICARVM ADORNATVM,
ADIECTO INDICE DVPLICI.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI,
M DCC X.



Digitized by Google

VIRO
ILLVSTRI atque EXCELLENTISSIMO
DOMINO

SAMVELI STRYKIO,

ICTO CONSVMMATISSIMO,
AVGVSTISSIMI REGIS BORVSSIAE
CONSILIARIO INTIMO,
PROFESSORI PRIMARIO IVRIS
ET
ORDINARIO FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
MERITISSIMO

S.

Vir illuſtris ac excellentiſſime Patrone omni honoris cultu proſequende,

QVod officium antehac Mæcenatibus nonnullis in teſſeram deuotionis meæ exhibui, id ipſum, quamuis paulo ſerius, Tibi, Vir illuſtris, præſtare, & ita hac occaſione documentum meæ in Te ſubmiſſæ voluntatis edere conſtitui. Equidem ab hoc incepto me pudor quidam deterrere potuiſſet, quod in hanc tarditatem inciderim, & huic iam diu debito officio nondum ſatisfecerim; nihilominus tamen melius eſſe duxi, tardius ſoluere, quam plane officio meo deeſſe, præſertim cum optime conſcius fuerim, hoc officium, quod nunc quidem offero, nimis leuidenſe

eſſe

*eſſe, & me reipſa mihi non ſatisface-
re, quod nullam partem tuorum in-
ſignium meritorum non modo refe-
renda, ſed ne cogitanda quidem
gratia conſequi poſſim. Declaraſti
enim a multis iam annis, Vir illu-
ſtris, Tuam egregiam erga me vo-
luntatem & beneuolentiam, & quid
dicam* beneuolentiam? *perſpexi ſa-
ne Tuam ipſam in me* pietatem, *imo
illud ipſum grauiſſimum & ſanctiſ-
ſimum nomen* pietatis *adhuc leuius
mihi meritis erga me tuis eſſe vide-
tur, ſi cumulum illorum beneficiorum,
quibus me in perpetuum deuinxiſti,
mihi ante oculos pono & animo con-
templor. Infinitæ itaq; rationes fue-
runt, quæ me tandem quaſi ex ſomno
excitarunt, & inflammarunt, vt præ-*

 ſens

ſens opuſculum Tibi conſecrarem, Tuoque illuſtri nomini, ſub quo in publicum eo confidentius prodire poſſet, dedicarem. Suſcipias itaq;, VIR ILLVSTRIS, in dulgentiſſima fronte hanc meæ erga Te obſeruantiæ ſignificationem certiſſimam, meq; in poſterum illorum numero adſcribere pergas, qui ſeria vota pro Tua ſalute quotidie concipiunt, precesque ad Deum fundunt, vt, in hac Tua ingraueſcente ætate, vires animi & corporis duplicare, Tibique omnia integra ſeruare velit.

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

Dab. Halæ d. XXIV. Aug.
MDCCIX.

cultor deuotiſſimus

IVSTVS HENNINGVS BöHMER.

PRAEFATIO.

IUra, quæ *Statum publicum* quarumcunque Rerumpublicarum dirigunt, duplicis eſſe generis, in vulgus notum eſt, *vniuerſalia*, ſcilicet & *particularia*, ita vt hæc quidem cuiuis Reipublicæ propria, illa vero omnibus ſint communia. Cum vero particularia tantum vniuerſalibus ſuperaddita ſint, inde ſtatim apparet, fundamentum omnium quæſtionum, quæ huc ſpectant ex vniuerſali, hoc eſt, iure naturæ petendum eſſe; & ita in addiſcendo iure publico particulari initium ab vniuerſali eſſe faciendum. Quemadmodum vero in iure priuato hæc inuerſa methodus ab eruditioribus iam notata eſt, quod plerique, derelicto ſtudio juris naturæ, ſtatim ſcita particularia juris Romani excolere ſtudeant, ita eadem fata in pleriſque Academiis ſtudium iuris publici hactenus habuit, vt, qui huic ſe dederunt, illotis manibus, illud aggreſſi fuerint,

 ſatis

ſatis eſſe putantes, ſi leges publicas fundamentales, & obſeruantias imperii, vt vocant, ſummo ſtudio euoluerent, de quibus tamen digne iudicare haud poſſunt, ſi fundamenta omnium rerumpublicarum, nexum ciuilem, ſtatum eorundem varium, & quæ huc ſpectant, ſusque deque habuerint. Et qui aliter fieri potuit, cum publici iuris Doctores, quibus diſciplina huius iuris vniuerſalis commendata eſſe debebat, illam vel contemnant, vel vt ſuperfluam & minus neceſſariam iudicent, nullam quæſtionem iuris publici eſſe aſſerentes, quæ non ex diplomatibus vel antiquitatibus hiſtoricis vel legibus aliis fundamentalibus decidi posſit, in quo tamen ſe aliosque decipiunt. Dandus eſt vtique aliquis locus diplomatibus in iure publico particulari, adhibendæ quoque in ſubſidium antiquitates; ſed ſicuti hæ plerumque obſcuræ, incertæ, & mirificis contentionibus obnoxiæ, illa vero variis interpretationibus ſubiacent, ſæpe νοθείας vitio laborant, & in dubium vocari poſſunt, ita, vt de hiſce recte iudicari posſit, adferenda ſunt neceſſario hæc fundamenta vniuerſalia, quæ animum optime præparant, ſimulque præcauent, ne in tot confuſiones, contradictiones aliosque ſcopulos incidamus. Illi itaque demum meo iudicio Ius publicum particulare quarumcunque rerumpublicarum recte aggrediuntur, qui præter *notitiam ſtatus publici* iure

publi-

publico vniuerſali ſatis tincti præparatique ſunt, quia ita inoffenſo pede & facillimo ſtudio ad metam peruenire poſſunt, quam alias vel nunquam, vel ſaltim non ſine magno labore pertingunt. Equidem obſeruaui, in plurimis compendiis iuris publici particularis pleraſque doctrinas iuris vniuerſalis publici immiſceri & explicari, ſicuti in iure priuato noſtro capita iuris naturæ integra euoluuntur & excutiuntur, ex hac ratione, quam ipſe Imperator ſuppeditat, quod ius noſtrum priuatum ſit collectum ex iure naturæ gentium & ciuili. Sed cum omnis diſciplina potiſſimum *adæquata methodo* ſe commendet, nec videndum ſit, quid Romæ factum ſit, ſed quid fieri debuerit, ante omnia diſpiciendum eſt, an hoc bene & ſecundum leges bonæ methodi fiat? Conſtat ſane, Iuris conſultos ſolidiores hunc næuum in iure priuato iam perſtrinxiſſe, quod contraria methodo iura priuata in academiis ſtudioſæ iuuentuti tradantur, illaque ita illotis manibus ad ius Romanum perducatur, vt poſtea recte dignoſcere nequeat, quæ *iuris naturæ* capita ſint, & quæ ex *ciuili ratione* profluxerint. Omnes largiuntur, rhapſodiam noſtram iuris Romani eſſe conſtructam ex concluſionibus iuris naturæ & ſcitis ciuilibus, & hæc quidem eſſe vel *pura*, quæ ſola ratione ciuili conſtant, vel *mixta*, quæ in iure naturæ quidem fundata ſunt, ſed quædam *addita-*

menta ciuilia acceperunt. Inde leges ciuiles dicuntur, quæ nec in totum a iure naturæ recedunt, nec in eo unice ſubſiſtunt, ſed vel aliquid addunt vel detrahunt. Cum itaque concluſiones iuris naturæ ex proprio foro, hoc eſt, ex principiis iuris naturæ ſint demonſtrandæ & deducendæ, ciuiles vero leges ex rationibus ciuilibus, in propatulo eſt, ita demum ad ſolidam eruditionem in iure priuato peruenirí poſſe, ſi *naturalia* a *ciuilibus* ſedulo ſeparantur, & quælibet ex propriis explicantur principiis. Id ipſum autem aliter commode fieri nequit, niſi antea iuris naturæ diſciplina præparetur animus, & poſt demum ad iuris Romani compilationem euoluendam perducatur, cum hac via ſingula facile ſecerni, & *additamenta iuris ciuilis* a concluſionibus iuris naturæ diſtingui poſſint. Hunc in finem quoque neceſſe eſt, vt in ſingulis materiis primo oſtendatur, quid *ius naturæ* hac de re diſponat, & quid *ius Romanum* illi ſuperaddiderit, vt *naturalia* & *ciuilia* ſemper diſtincto ordine tradantur. Hac enim qui non inceſſerit methodo, in eundem labyrinthum & ſcopulos eum incidere neceſſe eſt, quos euitare non potuere gloſſatores & commentatores antiqui, qui, ſepoſita doctrina iuris naturæ, ius Romanum illuſtrare voluerunt. Hi enim tot controuerſiis inter ſe disſident, vt non *rationibus*, ſed *autoritatibus*, non *iudicio*, ſed

credu-

credulitate, non *modeſtia*, ſed *probis* inter ſe pugnent. Sunt homines a natura ita comparati, vt magis *credere* quam *iudicio proprio* vti velint, quod in iure imprimis præcauendum eſt iis, qui felices progreſſus in eo facere ſtudent. Eadem fata habet ſtudium *iuris publici particularis*, in quo plerumque illa, quæ ex *iure publico vniuerſali* ſupponenda erant, traduntur, & explicantur, omiſſis ſæpe capitibus principalioribus iuris particularis, vel leui digito ſaltim tactis. Et cum in iure Romano quoque plures concluſiones iuris publici vniuerſalis occurrant, vbique in huiusmodi materiis ad illud prouocant, ſuas deciſiones exinde probant, indeque vſum iuris Romani in iure publico deducere conantur, cum tamen huiusmodi doctrinæ non ideo *iuris Romani* dici poſſint, quod in eo repetitæ fuerint, multo minus inde vſus iuris huius colligendus ſit, quod æque ad ſtatum rei germanicæ applicari poſſint, nam iuris vniuerſalis concluſiones omnibus rebuspublicis communes ſunt. Unde, quod nonnulli iuris publici Doctores voluerunt, in *ſubſidium* recurrendum eſſe ad ius Romanum, oppido falſum eſt, cum potius ad ius publicum illud, quod in omnibus ciuitatibus colitur, & obſeruatur, reſpiciendum ſit. Falluntur, qui putant, eandem adhuc eſſe Monarchiam, quam Imperatores Romani tenuerunt, & ita easdem leges adhuc lo-

cum

cum habere poſſe. Bene Hottomannus in *Anti-Triboniano C. II. Non omnes Monarchiæ, non omnibus in rebus nec vbique vno eodemque modo exercentur. Hæ poteſtate & autboritate ſunt ſolutiore, illæ ſtrictiore continentur: harum ampliores ſunt termini, latiusque imperium, illæ contractiores ſunt & anguſtiores: hæ plures magiſtratus militares habent, illæ plures, quorum in pace vſus eſt: hæc gens militiæ addictior eſt, illa litibus. Et conſequenter vnius Monarchiæ leges ſæpe inutiles ſunt alteri, haud ſecus quam medicamenta non quæuis quibuslibet hominibus conveniunt, vtut eiusdem ſexus, ætatis & nationis ſint.* Conſtat itaque, illa, quæ in iure Romano traduntur, ſtatum publicum reſpicientia, eſſe vel ex hac diſciplina iuris publici vniuerſalis deſumta, vel ad peculiarem ſtatum Monarchiæ, quæ eo tempore obtinuit in imperio Romano, referenda. Hæc minus recte ad ſtatum rei Germanicæ, ab antiquo rei Romanæ ſtatu longe diuerſum, applicantur, aut ad illud *in ſubſidium* æque inconuenienter recurritur, ac ſi leges fundamentales alterius cuiuscunque Monarchiæ in vſus iuris publici noſtri imperii trahere velim. Illa autem vſum quidem præſtant in noſtra republica in *ſubſidium*, ſed non ideo, quod in iure Romano depre-

deprehendantur, verum quia ex *iure publico vniuerſali* hauſta ſunt, & vſum in quacunque republica præſtare poſſunt.

Quemadmodum vero ICti in controuerſiis iuris publici minus recte *in ſubſidium* refugium ſuum ad ius Romanum habuerunt, ita *Decretiſtæ*, vti vocantur, æque turpiter ſe dederunt, quod controuerſias haſce ex canonibus conciliorum, patrum placitis, Pontificum decretis aliisque ſcitis canonicis decidere haud erubuerint, quæ tamen, vti in ipſa introductione hac oſtendi, plane iuri publico vniuerſali repugnant, & vnice huc tendunt, vt imperantium ſacroſancta autoritas aulæ Romanæ decretis ſubiiciatur, & ſuperſtitioſis huiusmodi dogmatibus conculcetur. E re cleri Romani itaque fuit, ius publicum vniuerſale penitus proſcribere, & illis notam hæreſeos inurere, qui ad hoc prouocare auſi fuerint. Senſit ſtatim fulm[illegible] aulæ Romanæ Hugo Grotius, cum hoc ius ex tenebris in lucem protraheret, quem conatum adeo concoquere haud poterant aulæ Romanæ proceres, vt mox grauiſſima cenſura in librum eius *de iure belli & pacis* animaduerterent. Sed extulit tandem caput ſuum veritas, & in plenam libertatem ſe vindicauit. Deſino plura de *vtilitate* huius diſciplinæ addere, quam in *parte generali c. V* ſatis ſuperque iam oſtendi.

Non

Non itaque longe mihi ſunt arceſcendæ rationes, quibus permotus hanc *introductionem ad ius publicum vniuerſale* ſcripſerim. Ipſa doctrina ſua vtilitate & neceſsitate ſe ſatis commendat, & ab aliis quoque exculta eſt. Vnicum tantum ratione *methodi* monendum eſſe e re duxi, videlicet me ſumma rerum capita breuisſimis theſibus incluſiſſe, ampliorem autem exegeſin ſubieciſſe, & quidem ex hac ratione, vt eo magis *compendii* rationem habere, ſimulque his, qui demonſtrationes, exempla, ſententias veterum, floſculos aliaque ornamenta deſiderant, inſeruire posſit. Methodus facilior apparet, ſi theſes inter ſe una connexione menti noſtræ obiiciuntur, quæ vero illas exornant, ſeparatim ponuntur. Non vnus omnium idemque guſtus. Alii nihil appetunt niſi quod ſententiis veterum exornatum eſt; alii has negligunt, & veritatem *nudam* omni teſtimonio deſtitutam, amplectuntur. Id itaque agendum eſſe exiſtimaui, vt me ad ſingulorum captum accommodarem. Pro libertate academica ſcripſi, ea modeſtia contra diſſentientes vſus, quæ in ſcriptore ingenuo deſideratur, & ita confido, meas doctrinas nemini offendiculo eſſe poſſe. Hiſce fruere B. L. & vale. Dab. in Acad. Fridericiana d. XXIV. Aug. M DCC IX.

INTRODUCTIONIS AD IVS PVBLICVM VNIVERSALE PARS GENERALIS.

CAP. I.

De Iure naturæ in genere.

§. I.

Cum ius publicum vniuerſale ſit pars illius doctrinæ, quæ ius naturæ integrum explicat, merito ante omnia de iuris naturalis generali conceptu (a) laborandum.

§. II.

(a) Ius naturæ eſt *vniuerſale*, & ſic ad hominum actiones applicari poteſt, in quocunque ſtatu viuant, ſiue in ſtatu *libertatis*, in quo hodie ſunt gentes, ſiue in ſtatu *ciuili*, & cum in hoc ſtatu rurſus plures dentur particulares ſtatus, ius naturæ quoque illos regit & ſuis principiis inſtruit. Prout vero ſtatus variant, concluſiones quidem nouæ iuris nat. inde eueniunt, ſed tamen omnes ita debent eſſe comparatæ, vt ex vno generali fundamento, ex quo omne ius nat. dependet, poſſint deduci.

 (b) ſic

§. II. Iuris naturæ conceptus non ſimplex ſed compoſitus eſt, adeoque & *naturæ humanæ* (b) & *iuris* in genere conſiderati conceptus euoluendus.

§. III. *Naturam* in genere dicunt Philoſophi mouendi principium internum, vnde res quælibet ſuam eſſentiam & operationes habet; (c) hic autem tantum ſermo eſt de *natura hominis.*

§. IV.

(b) ſic itaque in hac doctrina potiſſimum ad *naturam* hominis eſt reſpiciendum, cum ſine huius intima cognitione neque *doctrina moralis*, neque hæc *de iure naturali* recte explicari poſſit. Cognita enim natura humani generis, demum recte conſtat qualis norma hominibus corruptis & tam peruerſis applicari neceſſario debeat, non quod norma ex ſtatu corrupto deduci debeat, ſed quod ille indicium præbeat, quomodo norma eſſe debeat comparata, ſi quis per illam ad felicitatem adſpirare velit. Neque obſtat, quod homines inter ſe ſpecie differant, & ſic quoque ſingulorum natura variare videatur, nam nihilominus plura reperiuntur, in quibus plerique homines inter ſe conueniunt, & ſi hominum naturam inter ſe confero, poſſum ſatis certam mihi ideam formare de ſtatu eorundem inter ſe funeſto & turbido, Peccant itaque qui ius nat. absque *contemplatione naturæ humanæ* tradunt, in qua ſane Hobbes cæteris omnibus palmam præripuit, quem licet Pufend. ſecutus ſit, non tamen in omnibus naturæ corruptæ conſiderationem ante oculos habuiſſe videtur.

(c) Omnes res a Deo creatæ ſunt in certum finem, adeo vt nihil otioſum & inutile cenſeri debdat. Finis autem maxime operationes certas ad quas a Summo Deo deſtinatæ ſunt, reſpicit, quæ

§. IV Natura hominis itidem conſiſtit in principio aliquo agendi intrinſeco, ex quo peculiares actiones, quæ propterea *humanæ* vocantur, producuntur. Quamuis enim cum reliquis corporibus quoddam commune habeat (d) tamen & ſua peculiari quoque potentia inſtructa eſt, per quam ab aliis corporibus facile diſtingui poteſt, quæ dicitur *anima humana*.

§. V. Sicuti omnia principia agendi in corporibus ſunt propter certum finem, ita quoque idem aſſerendum de hominis anima. Hæc vero

quæ ex principio aliquo interno prouenire debent. Hinc quælibet res habet ſuas proprias *virtutes* & *potentias*, pro vt natura varie in corpora influxum præſtat. Illud autem principium operandi cum *inuiſibile* ſit, & tantum ex operationibus cognoſcatur, difficulter determinari & definiri poteſt. Vnde quod talis virtus operandi adſit, certum eſt ex effectibus, qui teſtantur de ſua cauſa, ſed quid & qualis illa ſit, ſæpe latet, vt tantum coniecturis locus ſit relictus.

d) Homo dicitur quaſi *paruus mundus* ſeu complexus omnium potentiarum, quæ alias in reliquis quoque corporibus ſunt, ſic plura communia habet cum aliis corporibus, creſcit, nutritur, ſentit, decreſcit, moritur &c. Quæ autem actiones ab *anima humana* proueniunt, eidem propriæ ſunt, cum hæc potentia ei propria ſit. Patet hinc Phyſicam eſſe coniunctam cum morali diſciplina, & minus recte moralitatem actionum poſſe cognoſci absque naturæ humanæ intima cognitione.

A 2 (e) Quan-

vero cum ſpiritus ſit præſtantior (e) quam vis agendi, quæ in ceteris creaturis deprehenditur, nobiliorem quoque finem & præſtantius obiectum, quo fruatur, habere debet, & quia extra ipſum Deum, animæ creatorem, nihil præſtabilius inueniri poteſt, merito ſe ad huius fruitionem conditam iudicat, & ita pro ſcopo primario ipſum Deum habet.

§. VI.

(e) Quando Philoſophi loquuntur de *hominis præſtantia*, ad *mentis* præſtantiam confugiunt, hancque *ſcintillulam diuinitatis* vocant, imo *diuini* quid in ea eſſe volunt. Hinc Stoici imprimis *rationem*, in qua potisſimam operationem animæ, quamuis falſo, ponunt, *lumen diuinum* vocant. Quo tendit Cicero *de ſenectute*, inquiens: *eſt animus cæleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus & quaſi demerſus in terram, locum diuinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent, qui terras tuerentur, quique coeleſtium ordinem contemplantes, imitarentur cum vitæ modo atque conſtantia.* & paucis ſubſequentibus addit: *nos ex uniuerſa mente diuina delibatos animos habere.* conf. idem *l. i. quæſt. Tuſcul. p. m.* 179 ubi *cæleſtem* & *diuinam* eandem vocat. Cognouere itaque etiam Philoſophi Ethnici, *mentem hominis eſſe diuinam*, vel ſaltem *ad diuinum uſum* primario eſſe creatam, quamuis in eo aberrauerint, quod rationis vſui & ſpeculationibus ſuis nudis hæc omnia adſcripſerint, ipſamque originem *diuinitatis* ex vero fonte non deduxerint. Crediderunt enim ſatis inepte ipſam Dei eſſentiam in *ſpeculando* potisſimum quærendam eſſe, & cum rationem ſuam in eo Deo asſimilare vellent, potisſimum hanc quoque ſpeculationibus

§. VI. Et ſic inſtructa eſſe debet illis facultatibus, quibus Deum recipere, & ſecundum voluntatem eius operari poſſit. (f) Exſerit vero hæc facultas ſeſe in duobus, *intellectu* & *voluntate*.

§ VII.

tionibus variis ſubiecerunt. Illud tamen vel etiam ex ratione cognoſci poſſe, apparet, mentem hominum primario in Dei fruitione verſari debere, quamuis in quonam hæc fruitio conſiſtat, non ſatis deprehendat, ſed inſipidos ſæpe ſibi de hac formet conceptus, quod & Gentiles Poetæ ad quos Paulus ipſe prouocat, agnouere, dicendo: *In Deo ſumus, mouemur & viuimus*: In quo vero quis viuit, ad illud etiam dirigi imo illo frui debet.

(f) Fruſtra eſſet homini indita talis facultas, ſi non poſſet in actum traduci. Hinc ex diuerſis operationibus, quas homo ſibi conſcius in ſe ſentit, ſimul agnoſcit, ſe *intelligere* & *velle*, nam & velle & cognoſcere bonum debet, ad quod anima fertur. Sentit quoque homo, illas duas operationes eſſe diuerſas, ſentit ſe intelligere & cogitare in cerebro: Sentit volendi actum primarium in corde ſeſe exſerere, quia voluntas eſt facultas animæ *deſiderandi*, *concupiſcendi* & *amandi* in corde. Omnis voluntas eſt intimum deſiderium ſe vniendi cum re amata, quo impellitur intellectus, vt cogitet de mediis conſequendi rem amatam, in eaque acquieſcendi & re deſiderata fruendi. Potiſſimæ itaque operationes hominis ex corde proueniunt, & ſic actionum humanarum primaria ſedes inde eruenda, vt homini imputari h. e. homo pro *autore* eius haberi poſſit, quo ad diuerſos effectus, prout voluntas ad actionem concurrat, *directo*, ſive *per indirectum*.

§. VII. Quamuis vero homo ſemper aliquod bonum (g) vt vt plerumque *apparens*, appetat, & ſimul cognoſcere poſſit, ſi modo recte rationes ſecum ſubducat, in deſiderio & fruitione ſummi boni, Dei ſcil. veram ſalutem & quietem conſiſtere, nihilominus tamen in ſe deprehendit voluntatem eſſe auerſam à Deo & inordinatam, & plane in contraria niti, quo ipſo nimium quantum mens a vero ſcopo aberrat.

§. VIII.

(g) Deſiderium omne aliquid appetit, & quidem ſub ſpecie *boni*, quia quamuis mala homo plerumque appetat, tamen illa ipſa dum appetit, vt *grata* & *bona*, ſibi proponit, ſaltem *pro præſenti rerum ſtatu*, quo illud appetit, licet alia occaſione forſan illud fugere ſolitus fuerit, propter *diuerſitatem circumſtantiarum* & ſic ſemper ſuam acquieſcentiam & fruitionem in re amata deſiderataque quærit: ſtolidus eſſet, qui *mala tanquam mala*, ſeu ideo, quia mala ſunt, deſideraret, quia potius ex cognitione mali, quod etiam tanquam malum voluntas ſentit, *auerſatio* & *fuga* oritur. Et licet intellectus ſæpe agnoſcat aliquid mali in re cupita latere, tamen cum voluntas ſe cum illa re coniungere deſiderat, decipit intellectum, vt homo credat ex voluntatis impulſu, latere aliquid boni in re cupita. Hoc ſuppoſito cum voluntas bonum deſideret bonum autem non aliud ſit, quam quod hominis quietem promoueat, vel ſaltem in quo arbitratur ſe quietem aliquam inuenire poſſe, facile conſtabit, deſiderium cordis imprimis ad *vnicum verum bonum*, quod in *fruitione Dei* & *vnione cum* eo conſiſtit, debere eſſe directum, ſi finem obtinere velit ſed dum a

centro

§. VIII. Ex hac inordinata concupiſcendi ratione quam homo potiſſimum in voluntate ſua deprehendit, oritur ſumma hominis miſeria (h) tum reſpectu ſui ipſius, tum reſpectu aliorum.

§. IX.

centro veræ quietis aberrat, non poteſt non inde oriri confuſio ſumma in voluntate, ex hac vero inquietis ſummæ calamitas.

(h) *Miſeria* hominis dicitur, quando bono aliquo priuatus eſt, neceſſario felicitatem eius promouente. Sic ſanitas homini *bonum* aliquod eſſe dicitur, & certe re uera eſt, cum ſit donum Dei, hinc miſerum eum dicimus, qui caret ſanitate. Si auaro pecunia deficiat, ſe miſerum clamat: quia hanc pro ſuo bono neceſſario habet; ſi ambitioſus contemnitur, ſi omnis via ei præcluditur ad honores adſpirandi, ſe miſerrimum iudicat &c. Cum tamen hæc omnia ſint re uera mala; ſed quia ſub ſpecie *boni* appetuntur, nec haberi poſſunt, miſer eſt homo hinc *anxietas dolor, triſtitia.* Quidni itaque potius dicendum *de priuatione ſummi boni*, veri, uniceque neceſſarii? Atqui, dicis, homo illud non appetit, adeoque in priuatione & abſentia eius nullos ſentit dolores. Verum eo maior eſt miſeria, quod priuationem illam, unde omnis eſt miſeria, ne quidem ſentiat, ſicuti æger morti vicinus creditur, qui morbi grauitatem ſeu priuationem ſanitatis non agnoſcit. Aſt ubi agnoſcere priuationem ſummi boni, illudque appetere incipit, inde mox intimus oritur *dolor & cordis anxietas*, inde *agnitio propriæ ſtultitiæ*, vt quod hactenus pro bono habuit, iam deteſtari incipiat, & inde denique *pænitentia.* Deinde in his omnibus, quæ deſiderat, quæ appetit, tamen deprehendit, ſe nunquam eſſe felicem aut quietum, adeoque licet illis fruatur, tamen adhuc miſer manet, cum in eorum fruitione acquieſcentiam, ultimum omnis

§. IX. Reſpectu ſui ipſius eſt inquietus, inclinationibus diuerſiſſimis & inter ſe pugnantibus ſubiectus, nunquam tranquillus; quia a centro quietis, (i) Deo eſt remotus.

§. X. Dum itaque in ſe ipſo pacem veram & quietem amiſit, quid mirum, quod quoque reſpectu

mnis veri boni finem, non deprehendat, quin in contrarium videat, hæc eius felicitatem, quam appetit non promouere.

(i) Una quies vera in *centro*, quod eſt *DEus*. Qui extra hoc centrum vagatur, extra veræ quietis terminum verſatur. Iam homo *in ſe ſentit varias concupiſcentias*, quæ proinde nihil aliud ſunt, quam *inordinati motus coniuncti cum aliqua inquiete* v. c. dum angitur, cum inquiete deſiderat &c. atque ab iisdem rapi voluntatem videt. Et eo miſerior eſt, quod diverſas plane & ſæpe *pugnantes* in ſe concupiſcentias videat, unde vulgatum aſſertum: *video meliora proboque deteriora ſequor*. Huc illucue trahitur. Hinc perpetua lucta, hinc conſcientia inquieta, cordis ſumma anxietas. Videtur huc reſpexiſſe Aroſpos apud Xenoph. *de Cyropæd. lib. 6. p. m.* 154. *lit. d.* aiens, duas eſſe animas in homine. *Nam vna ſi eſſet*, inquit, *anima, non & bona ſimul eſſet & mala, neque res pariter honeſtas & turpes amaret, neque ſimul eadem & vellet & nollet facere: ſed eſt manifeſtum, duas eſſe animas, & vbi ſane penes animam bonam eſt imperium, honeſtæ res ſuſcipiuntur, vbi vero penes malam, res illa turpes aggreditur.*

(k) Homines

reſpectu aliorum itidem pacem amorem & concordiam turbet, rumpat, & alios odio habeat. (k)

§. XI. Quilibet ſanus itaque videt, in hac intima corruptione, ſtatuque inordinato nullam eſſe felicitatem, imo ſummam infelicitatem.(l) Et tamen quilibet in ſe ſentit ſtimulos & deſiderium alicuius felicitatis.

§. XII.

(k) Homines inter ſe in *corruptione* ipſa conueniunt, ſed in eo differunt, quod alii felicitatem quærant in *delectatione corporis*, alii in *poſſeſſione* & *proprietate rerum*, alii in *imperio* in alios & *honoribus*, & cum hi tres affectus in omnibus hominibus reperiantur, ſed infinitum in modum miſceantur, hinc diuerſiſſimæ oriuntur ſingulorum voluntates, ex diuerſis vero voluntatibus oritur *diſiunctio animorum, carentia pacis, amoris*, & *concordiæ*, hæc enim potiſſimum in *voluntatum vnione* conſiſtit; Idem velle eſt optimum pacis vinculum. E contrario nunquam poſſunt vniri, qui diuerſa & maxime contraria volunt. Imo dum contraria volunt, inde oriuntur odia, fuga, læſiones, ſuſpiciones &c.

(l) Quis diceret ægrotum in morbo voluptatem concipere, & non potius, ut illis carere, & ſanitate frui poſſit, appetere. Omnes homines *ſtulti* & *ſapientes* in eo conueniunt, quod velint eſſe felices, quia vident infelicium ſtatum eſſe miſerrimum, quem omnes fugiunt: *ſapientes* felicitatem quærunt in *fruitione ſummi boni, Dei; ſtulti* vero felicitatem in rebus aliis perituris & malis quærunt. Felicitas vera conſiſtit in *fruitione veri boni ſummi & ſumma* acquieſcentia in *fruitione*. Eandem etiam ſtulti cupiunt, quia concupiſcentiis

§. XII. Dum felicitatem quærit, tandem animaduertit, emergendum eſſe (m) ex hoc ſtatu, & ſic medio aliquo opus eſſe, quo emergere poſſit.

§. XIII. Medium illud debet eſſe norma quædam, ſecundum quam inordinatæ voluntatis

ducuntur, hæ autem itidem tendunt ad boni cupiti fruitionem & acquieſcentiam, ſed in eo aberrant, quod malum pro bono habeant, & ſic captantes & ſedulo quærentes felicitatem infelicitatem ſibi ipſis attrahant. *Viuere omnes* ait Seneca *de vit. beata. c. 1. beate volunt, ſed ad peruidendum, quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Quia vero vident in euentu, ſe in hoc ſtatu non eſſe felices, ſed inquietos, minus ſecuros læſionibus obnoxios, feliciorem, utique alium ſtatum ſibi neceſſarium eſſe concedere debent, quia quamdiu *acquieſcentia* deſtituuntur, ſe infelices ſciunt, at vero tamdiu ſe ea deſtitutos vident, quamdiu felicitatem quandam in inclinationum ſuarum operationibus quærunt.

(m) Ægrotus qui grauitatem morbi ſentit, qui ſanitatem appetit, medicum quærit & medicamenta appetit. Miſer homo, qui tot concupiſcentiis trahitur, & ita ſe infelicem videt, facile comprehendit ſe medio aliquo indigere, quo feliciorem vitam poſſit ſibi conciliare, omnis finis enim quærit media, ſi modo finis appetatur. Sic & homo dum ſuos affectus & concupiſcentias carnis ſequitur, & in iis felicitatem quærit, de mediis cogitat, quibus bonum illud, quod in eis quærit, conſequi poſſit. Hic iam totus in eo eſt, vt ſecum deliberet, alios conſulat, in auxilium aduocet, & ex pluribus propoſitis mediis unam viam eligat.

(n) Hoc

tis inclinationes in ſuum ordinem reducantur, (n) quia ordo ſupponit normam.

§. XIV. Norma eſt præſcriptum (o) aliquod conueniens, ſecundum quod actiones ordinandæ ſunt inſtituendæ.

§. XV.

(n) Hoc inde conſtat, quia homo, ſi paulo penitius internos animi motus & inde externas actiones fluentes examinat, cognoſcit, ſe eſſe miſerum, ſi ſuas inclinationes ſequitur, imo ductu eorundem in infinitas calamitates incidere, & plane inidoneum fieri cum aliis pacificam & tranquillam vitam ducere, ex quo neceſſario concludit, inclinationes ſuæ voluntatis eſſe inordinatas & obtortas. *Inordinatum* enim dicitur, quod ordine eo deſtituitur, ad quem a Deo eſt creatum. Quod ſi vero res, quæ inter ſe confuſæ & inordinatæ ſunt, in ordinem reduci debent, ante omnia conſtare debet, in quo ordo ille conſiſtat, v. c. ſi libri plures absque ullo ordine in muſeo promiſcue & confuſe iaceant, ſi milites inter ſe nullo ordine poſiti ſint, tunc bibliothecarius, qui libros in certum ordinem redigere, & Dux belli, qui aciem inſtruere vult, de norma quadam debet eſſe ſollicitus, quam ſequatur in ordinando.

(o) In artificialibus artifices ſecundum normam præſcriptam aliquid faciunt, & omnis denique ars addiſcitur ex præſcripto normæ. Homo propter concupiſcentias carnis eſt ſumme imperfectus, inordinatus & omnis felicitatis expers. Quod ſi iam in ordinem reducendus, norma aliqua opus eſt, ſecundum quam potius agat, quam ſecundum inordinatas concupiſcentias, & quia ſimul appetit felicitatem, quam in tali libertate affectuum ſe impetrare non poſſe, videt, ad illam normam recipiendam non plane ineptus eſſe debet.

(p) Hac

§. XV. Cum norma ſit præſcriptum aliquod requirit præſcribentem, & quidem talem, pro quo ſit præſumtio, quod non tantum, quænam ſit optima norma, ſciat, ſed etiam optime ſecundum normam, quam præſcribere aliis vult, agat: (p) ex inde enim oritur fiducia, (q) quod norma ſit ſalutaris.

§. XVI.

(p) Hæc rurſus fluunt ex antecedentibus. Qui artem ſcribendi addiſcere vult, artis ſcribendi peritum adhibere debet, h. e. talem, qui non tantum ſciat, rectam ſcribendi artem, ſed etiam ipſe literas optimas pingere poſſit. Duo enim in quolibet artifice ſupponuntur (I) ut ſit præſumtio pro eo, quod optimam normam ſciat, (II) vt fiduciam alii in eum ponere poſſint, quod optimam normam habeat. Hæc ſi deficiat, ſemper dubii hæremus, utrum is, qui de optima norma gloriatur, eandem ipſe poſſideat, & ſic actionibus ſuis debet oſtendere normam ſuam eſſe bonam.

(q) Qui normam alicui præſcribit, nec ipſe ſecundum normam agit, emendationem vel conformationem aliquam ad normam in aliis ſperare haud poteſt, neque enim alter credet, hanc normam præciſe eſſe neceſſariam, quod videat, eam praxi in docente deſtitui, maxime ſi norma ipſa repugnat eius inclinationibus. Doctrina non tam efficaciter alios ad imitationem trahit, quam optimum exemplum. Doctrina intellectum replet variis conceptibus, ſed non ſemper ad cor penetrat: Aſt bonum exemplum & vita alicuius incorrupta magis cor afficit, ſicut mali mores alios quoque corrumpunt. Ducitur enim homo inclinatione quadam ad imitandum alios. Aiunt: atqui claudus poteſt viam alicui monſtrare, quam ipſe ire nequit. Veruntamen

§. XVI. Si ab hominibus vnice norma eſſet petenda, dubium maneret, a quibus illa eſſet expetenda, cum vere ſapientes pauci, imo quinam pro

men non tantam fiduciam in claudi aſſertionem ponere poſſumus, ac quidem illius, qui ſe ductorem & comitem mihi promittit & offert. Recte Xenophon *lib.* 1. *Cyropæd. p. m.* 31. ait : *Homines ei, quem arbitrantur de commodis ſuis prudentius ſe ipſis diſpicere, perquam lubenter parent. Atque hoc ita ſe habere cum in aliis multis, tum in ægrotantibus animaduertere licet, qui perquam cupide arceſſunt id præcepturos, quod fieri oporteat. Itidemque in mari, vbi vectores per quam cupide gubernatoribus obſequuntur. Etiam plerique ab iis, quibus exiſtimant itinera notiora, quam ſibi, ne diſcedant, totis viribus enituntur.* Eiusdem farinæ ſunt, quæ Socrates apud Xenophontem *memor. lib.* 3. *p.* 764. habet, aiens: *Noſti, quauis in re, parere homines maxime illis velle, quos exiſtimant eſſe præſtantiſſimos, nam in morbo potiſſimum illi parent, quem medicæ rei putant peritisſimum, & in naui, qui nauigant, ei quem gubernandi putant peritiſſimum, & in agricultura, quem agri colendi peritum imprimis arbitrantur.* Audiamus adhuc Senecam qui *Epiſt.* 6. ita : *plus tibi viua vox & conuictus quam oratio proderit, in rem præſentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis quam auribus credimus, ſecundum, quia longum eſt iter per præcepta, breue vel efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum, utrum ex formula ſua viueret. Plus Plato ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermadium & Polyænum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit &c.* (r) Plures

pro talibus habendi, ſæpe incertum eſt, quia etiam ſtulti ſapientiæ laudem affectant. Ergo ab hominibus ſolida ſecura & idonea norma (r) ſperari nequit, quæ hominem ex miſeria eripere valeret.

§. XVII. Solus DEus eſt ſapiens, fons omnis ſalutis, ſumme bonus. Ergo huius ſolius eſt, primario talem, quam quærimus, normam præſcribere & hominum vias dirigere. [s]

§. XVIII.

(r) Plures dantur normæ agendi. Non aſſero ſimpliciter ab homine normam aliquam præſcribi non poſſe, nam diſcipulis præſcribit normam præceptor, filiis pater, ſed tamen illi non ſunt autores normæ & omnes normæ ab his præſcriptæ ſunt deſumtæ ex alia norma. Dantur etiam normæ, quæ ad *conſilia* ſpectant, circa negotia in vita communi caute peragenda, has itidem homo præſcribere poteſt, ſed de his hic non agitur. Quærimus normam, quæ hominem e miſeria deducat. Iam omnes homines ſunt miſerrimi, & rarus quis eſt ſui ipſius medicus. Quilibet homo ambit ſapientiam etiam in corrupto ſuo ſtatu, & ita normam aliquam aliis præſcribit ſuis paſſionibus valde conuenientem. Ambitioſus imprimis alios in viam ducere ſatagit, aliis regulam præſcribere ſtudet, quia hoc ambitioni ſuæ valde conueniens eſt, & cum externe honeſte viuat, alios egregie fallere poteſt, vt credant ipſum eſſe ſapientem. Auarus itidem normam aliquam aliis præſcribere ſolet, ſed ſuis paſſionibus itidem conuenientem. Hinc imprimis quæ ad œconomiam, quæ ad acquirendum & boni patrisfamil. officium ſpectant, aliis inculcat, ſed ita regulæ hæ magis ſtultitiam promouent, quam augent.

(s) Id ipſum oſtendunt paſſim hi, qui dum ſuas normas

§. XVIII. Imo etiam eandem præſcripſit vel cordibus hominum (t) eandem implantans, vel verbo ſuo manifeſtans.

§. XIX. Quamuis vero voluntas Dei ita hominibus ſit manifeſtata, tamen ob corruptionem cordis lumen intellectus ſæpe corrumpitur, vt manuductione (u) ad illam normam indi-

mas, quas aliis inculcant, eſſe ſalutares oſtendere conantur, prouocant ad ſcripturæ ſacræ conſenſum. Ergo primario rectitudinem normæ ſuæ quærunt in Dei voluntate. Et qui ius Nat. tradunt, voluntatem Dei pro principio *eſſendi* ſupponunt.

(t) Veritatem huius aſſerti oſtendunt (I) *effectus* in corde, dum homines male agentes, cruciantur morſibus conſcientiæ, qui indicium præbent, ſe male egiſſe. (II) *finis*, ad quem homo creatus eſt, quia facultates animæ imprimis hominibus ſunt datæ, vt ad DEum dirigantur. Diriguntur ad Deum, ſi in eius *voluntate* acquieſcamus: Voluntas autem Dei debet præſupponi cognita, alioquin nemo poſſet facultates ſuas ad Deum dirigere. Dum itaque facultates ad Deum ſunt dirigendæ, ſimul quædam *cognitio voluntatis diuinæ* debet in iis deprehendi, *voluntas* autem *Dei* eſt ipſa *norma*. Denique (III) idem docet *ſenſus communis*, dum ſtatim homo aſſenſum veritati propoſitæ præbet, , de qua alias ſemper dubitaret, ſi illam in ſe non haberet. Quæ extra hominem ſunt, de eis non aliter certus redditur, quam per receptionem ſenſuum, quæ ſi deficiat, tamen credit probabiliter, id quod refertur, hoc ita eſſe. Quæ autem in homine ſunt, de eorum exiſtentia certus eſt per *internam perceptionem*; nam certo ſcit ſe cogitare, deſiderare & ſic in ſe certus eſt, adeſſe normam aliquam in ſe, ſecundum quam agere debet.

(u) Experientia teſtatur, *ſine manuductione hominem obbruteſcere*

bruteſcere. Infantes, quo magis creſcunt, eo magis inſtinctum ſuarum paſſionum ſequuntur, & eo magis etiam luminis in intellectu vſum verum amittunt. Affectus & prauæ inclinationes totum hominem occupant, vt hæc cognitio voluntatis diuinæ ſenſim moriatur. Quodſi hominem nulla manuductione educatum nobis proponamus, fere a beſtiis parum differet, quia tam imbecille eſt lumen rationis, vt facile ſuperari poſſit a naturali inſtinctu. Latitant *veritates naturales* intra homines, ſed quaſi *ſcintillula* quædam cineribus obruta, quæ ſi in flammam excitari debeat, externo adiumento opus eſt, quo cineres diſpergantur & ſcintillula vires capiat. *Hinc manuductionis neceſſitas adeſt.* Optime Plato *in criton. p. 35. qui in gymnaſiis ſe exercet, eaque in re operam collocat, vtrum cuiuslibet hominis laudi & vituperationi & opinioni attendit, an illius tantum, qui medicus ſit & gymnaſii magiſter? Huius ſolius. Annon timere decet vituperationem & optare laudem illius vnius potius quam multorum? Procul dubio. Hac itaque ratione ille agere ſeque exercere debet, atque etiam edere & bibere, qui illo vnico videatur, qui præſideat intelligatque potius quam vt videtur vulgo. Recte dicis. Nonne & de aliis, ne omnia percurramus eadem ratio eſt? de iuſtis iniuſtisque, de turpibus & honeſtis, bonisque & malis? Vtrum multorum opinionem ſequi debemus, an vnius potius, qui intelligat, quem decet & vereri & timere magis quam cunctos alios? Vnius iſtius procul dubio.* Neq; obſtat quod pauci dentur ſapientes, imo quod cognoſci vix poſſit, quis ſit ſapiens. Nam hæc obiectio id quidem operatur, quod pauci ſint idonei ad præſcribendam aliis normam *cuius ipſi autores ſint*; ſed facilius alii admitti poſſunt ad *manuductionem* quandam præbendam, præſertim ſi longa experientia ſint conſpicui, & ſuis externis actionibus normæ præſcribendæ uſum & praxin oſtendunt.

(x) Cum

digeat, quæ fit vel ab aliis hominibus, ſapientiam colentibus vel etiam facta eſt a Deo per pleniorem reuelationem (x). Vnde præcepta viuendi in ſacris Literis egregie nobis manifeſtata ſunt.

§. XX.

(x) Cum hominum manuductio fallere poſſit ex rationibus ſæpe dictis, hinc etiam a Deo acceſſit ſecurior & falli neſcia manuductio, ſcil. *Verbum Dei reuelatum*, quod ideo a Deo datum eſt, vt ſcintillula cognitionis, quæ in homine adhuc ſupereſt plenius reuocilletur & lumini intellectus obſcurato ſuccurratur. Equidem reuelatum verbum ſequeſtrandum eſſe a cognitione illa, quæ fit per lumen naturæ, vulgo aſſeritur, ſed tamen id non impedit (1.) quo minus poſſit eo, quo dictum eſt, modo, eius mentio fieri, vt hic factum eſt. (2.) quatenus S. Scriptura regulas & normas viuendi quoque continet, *ex lumine rationis prouenientes*, ſine dubio tutius ad eam provocatur, quam ad Senecam, Plautum, vel Virgilium. Vti enim omnes in iure Nat. voluntatem Dei agnoſcimus, certe non rectius voluntas hæc ſæpe habetur, quam ſi pleniorem reuelationem conſulamus. *Neque amittit ius Nat. ſuam rationem & naturam, quod repetitum & plenius explicatum ſit* in verbo diuino, ſicuti manet ius nat. in ſuo ſtatu, ſi vel maxime hæc diſciplina in artem reducatur & methodo conuenienti a Doctoribus exhibeatur vel veſtigia eiusdem occurrant in Cicerone, Seneca aliisque. Et deinde loquor hic in genere de *norma quacunque*, non in ſpecie *de iure nat.* Interim hunc abuſum omnino evitandum eſſe, merito judico, ne omnia dicta ſcripturæ ſ. ad regulas iuris nat. referamus, quo ipſo ingens confuſio *Theologiæ moralis* & *iuris Nat.* oritur, quod bene obſeruauit Pufendorff. in *præf. tr. de offic. hom. & civ.* quamuis non ſemper limites accurate obſeruauerit. Latitant enim non unius generis præcepta in ſ. ſcriptura, quæ ſedulo

§. XX. Iſta manuductio itaque non præſcribit normam, ſed iam a Deo cordibus inſcriptam excitat, vt homo ſtatim ei aſſenſum præbeat, (y) ſi modo in ſe ipſe attentus ſit. (z)

§. XXI. Cum norma itaque ſit *voluntas Dei*, fontis omnis boni & ſalutis, hominique concreata, vel in ſacris plenius reuelata, non potuit non in homine producere obligationem (a) vt ad illam ſuas conformaret actiones.

§. XXII.

dulo iudicio ſunt ſeparanda. Non euitauit hanc confuſionem ipſe Hobbeſius, qui fere unus inter omnes iuris naturæ interpretes loca ſcripturæ ſacræ adduxit, & dogmata ſua exinde firmare voluit. Verum ſi vllibi Sophiſtam egit, certe in allegandis ſcripturæ ſ. dictis hoc præſtitit, vti cuiuis legenti apparebit, & hinc inde etiam nos annotabimus.

(y) Hoc rurſus fluit ex antecedentibus. Si homo in ſe non haberet talem normam, nunquam certus eſſe poſſet de eius veritate. Vnde *ſcit*, hoc verum eſſe, quod ius naturæ præcipit, non ſimpliciter credit.

(z) Homo attentus ad rem dicitur, tum qui & intellectus aciem & voluntatis deſiderium ad rem aliquam dirigit v. c. auarus omnes neruos ingenii ad diuitias flectit. Sic itaque hic requiritur (1) *ſedula inquiſitio.* (2.) *ſedulum deſiderium cognitionis* ſui ipſius, tunc oritur meditatio, hæc vero eſt examen eorum, quæ proponuntur. Atque inde eſt *cognitio naturalis, das natürliche Erkaentnus*, oppoſita revelatæ.

(a) Fruſtra in homine aſſeretur aliqua norma; ſi non eidem attribuenda eſſet quædam *vis* ſeu *obligatio*. Quod ſi enim in hominis libertate foret vtrum inordinatos ſuos affectus, an normam præſcriptam

§. XXII. Qualis eſt norma, talis etiam eſt obligatio, vel interna tantum, vel etiam externa. Normæ autem ratio imprimis debet dirigi ad *ſtatum normandi*, & diiudicari ex conſideratione & cognitione eius, qui normam præſcribit.

§. XXIII. *Status normandi*, ſeu hominis, diiudicandus ex eiusdem actionibus. Hæ autem ſunt

ptam ſequi vellet, homo non raro magis ſuos affectus ſequeretur, cum a bono ſemper naturaliter abhorreat. Dum ergo ſponte ſe non conformat ad normam, quædam coactio voluntatis accedere debet, quæ reuera eſt *coactio*, dum vel inuitus, & reluctantibus cordis inclinationibus carnis deſiderium ſupprimere debet. Conſiſtit vero illa *voluntatis coactio in metus iniectione* ab eo profecta, qui normam præſcripſit, & quia duplici modo malum alicui proponi, & ſic metus iniici poſſit, hinc quoque obligatio hæc eſt vel *interna* vel *externa*. Hæc conſiſtit in coactione aliqua externa proficiſcente ab eo, qui ius cogendi & metum externi mali iniiciendi habet, ex qua externorum malorum propoſitione fit, vt homines abſtineant a re maxime cupita, quia illa externa mala paſſionibus ſuis valde inimica deprehendit. *Illa* vero conſiſtit in mere interna voluntatis coactione vbi tum ex (α) conſcientia mali neceſſarii nobis imminentis, tum etiam (β) ex recordatione, quod a vero ſcopo omnis felicitatis & quietis ita auerſi ſimus, voluntas quandam vim patitur, per quam ſe retrahi ſentit, ab illo, quod caro appetit. Hæc ſine dubio eſt nobilior priori, quia fundamentum habet nobilius, & merito fundamentum eſſe debebat externæ obligationis. Interim obſeruandum, poſſe etiam voluntatem aliunde cogi, ſcilicet,

ſunt potiſſimum duplicis generis: (b) vel in *relatione*

vt vna paſsio reſiſtat alteri. Vnde ſedulo cauendum, ne omnem voluntatis coactionem internam pro obligatione interna capiamus, ſed magis ad *principium*, vnde coactio procedat, reſpiciamus. Plures ſeipſos decipiunt, dum putant ſe ductu conſcientiæ ſuæ hoc vel illud facere debere, atque ita interne obligatos eſſe, cum tamen principium voluntatem inclinans vel cogens ſit *ambitio* vel *vtilitatis propriæ reſpectus*. Sic ambitioſus, qui ſimul ſtimulos carnis in ſe ſentit, reprimit eosdem, dum ambitio prædominans cogit voluntatem ex recordatione mali, quod ex voluptate ſibi imminere videt, quod tamen ambitioni eius aduerſum eſt. Idem ſentiet in ſe auarus, qui quidem ſimul aliquo deſiderio honoris ducitur, ſed ſi periculum fortunarum inde imminere videat, hæc cogitatio retrahit auarum, ne honores ambiat. Sic itaque affectus mirifice cogunt voluntatem & prædominans in homine aliis reſiſtit, ſeu cogit voluntatem, ne illuc flectat. Proinde non ex *ſola recordatione mali imminentis* obligatio interna deducenda, alioquin (I.) alia eſſet obligatio interna in hoc, alia in illo, imo cum homines ſpecie inter ſe differant & varias affectuum mixturas habeant, quod in vno eſſet *obligatio* ſeu *interna voluntatis coactio*, id in alio non eſſet obligatio, qui longe diuerſas in ſe pugnas ſentit. (II.) Cum omnes in eo conueniant, quod affectus hi tres ſint vitioſi & omnis mali fons & origo, iam fundamentum obligandi eſſet quærendum in fonte omnis mali, cum tamen obligatio interna reducere hominem debeat a malo. (III.) Paſsio prædominans in homine normam agendi vnice præſcriberet, quia hæc cogit voluntatem, iam vero aliam normam obligantem quærimus, quæ hanc quoque cogat & hominis voluntatem interne abducat ab iis, quæ a paſsione prædominante eidem imperantur.

(q) Poteſt homo conſiderari vel quoad ſe, vel quoad alios

tione ad alios, quibuscum in ſocietate humana viuit, vel *in relatione ad ſe ipſum. Ibi* norma ex fine eiusdem & indole ſocietatis humanæ, qua homines inter ſe naturaliter ſunt conglutinati, intenditur, vt tranquille & pacifice cum aliis hominibus viuatur; (c) *hic* vero, vt inordinata voluntas

alios, quibuscum agit: Ibi non habetur reſpectus ad alios homines ſed tantum ad ipſum agentem quatenus ſuis actionibus internum malum auget vel corrigere intendit. Atque hic norma requirit, vt in ſe deſcendat & intrinſecos ſuos motus, unde omnis infelicitatis & inordinationis fomes ad normam præſcriptam dirigere intendat. Et ſic hæc norma vnico *pacem internam* promouet & operatur. *Proverb. III*, *v.* 2. 17. hæc verum bonum inſtillat & docet, hæc veram iuſtitiam animis hominum inſinuat *Prov. IIX*, 18. & quid vere iuſtum ſit, diiudicat *ibid. verſ.* 20. imo ſapienter & tranquille imperantes imperare docet, *ibid. verſ.* 15. 16. ſuggerit vera & ſana conſilia. ib. *verſ.* 14. Non tamen eo ipſo neceſſarium eſt, vt homo conſortium aliorum hominum fugiat, nam & in conſortio aliorum hominum id quilibet efficere poteſt. Saltem illud intendo, quod ita norma tantum & primario corrigere intendat actiones internas, quæ non ſeſe exſerunt, quoad alios vel ſaltim hoc reſpectu non conſiderantur; poſſum enim etiam illas actiones, quas cum aliis gero, conſiderare, vel intuitu *mei* vel *alterius*, vt nec illum lædam, nec quietem animi turbem paſſionibusque indulgeam & ita duplici modo quoque de illis iudicandum eſt.

(c) Si *relatiue* vel *quoad alios* homo conſideratur, in examen veniunt actiones, quas cum aliis exercet *in ſocietate humana*, in qua cum aliis poſitus eſt a creatore, & quamuis hæ fluant ex internis animi motibus, adeo-

tas in ordinem reducatur & paſſiones ſupprimantur, atque adeo homo interne emendetur.

§. XXIV.

deoqe norma illos dirigens hic inprimis applicanda, cum ſi interni motus in ordinem reducti, externæ actiones nulla amplius norma peculiari indigeant, tamen cum difficulter & nimis ſero ſæpe, aliquando plane nunquam, interni affectus in homine domentur, & tamen totius generis humani interſit, (cum id aliter conſeruari non poſſit) vt ſaltem per pacem externam vinculum illud humani generis ſanctum illibatumque maneat, deſideratur quoque peculiaris norma quædam externis hiſce actionibus conuenien8, ſeu eos etiam dirigens, qui internos animi motus in ſe domare vel nolunt vel negligunt, quæ ex ipſa *natura ſocietatis humanæ* fluit. Sicuti itaque feris beſtiis, qui ad manſuetudinem non poſſunt deduci, vincula iniicimus, ne damnum dare poſſint, licet inde non fiant manſuetæ, ſicut furioſos vinculis detinemus, ne nocere poſſint, licet inde non fiant ſanæ mentis; ſic quoque eodem modo comparatum eſt cum homine: reuera homo a fera beſtia parum vel nihil differt, ſi in naturali ſuo ſtatu conſideratur, quin quod aliquando feram beſtiam vincat, vti id experientia in bellis aliisque calamitatibus publicis oſtendit. Proinde quidem optimum factu eſſet, ſi ad manſuetudinem reduci poſſet, quia ſic quilibet ab altero ſatis eſſet ſecurus, neque amplius metuendum eſſet vllum malum. Sed quoniam hoc rarius fieri poteſt, (quia pauci ſunt boni) aliud frenum vel vinculum ei iniiciendum fuit, ne maius malum inde oriatur, ſed quantum fieri poteſt externe in ordinem reducatur, vt ſaltem *vinculum humani generis* conſeruetur. Et inde neceſſitas normæ alicuius peculiaris dependet, quæ hominem quaſi refrenat vt abſtineat a malo alteri inferendo, & quiete cum altero viuat, ſicu-

§. XXIV. Actionibus hominum, quæ relationem *ad agentem* habent, & quarum emendatio primario ex interna inclinationum mutatione dependet, norma talis præſcripta eſt, quæ magis producit obligationem internam (d) quam externam.

§. XXV.

cuti frenum iniectum feræ beſtiæ impedit, ne mordere aliiſque nocere poſſit. Differunt itaque hæ duæ normæ in eo, quod prior hominem interne tranquillum reddat, poſterior vero externam potiſſimum tranquillitatem intendat, quod poſterior oriatur ex indole ſocietatis humanæ, quam inter homines natura conſtituit: prior hominem reſpiciat etiam non conſtitutum in quadam ſocietate: poſterior primario intendat *pacem externam*, prior *internam*, adeoque poſterior hominem non faciat *bonum*, ſed ſaltem *ſociabilem*, nec tam perfecta ſit quam prior, quia nobilior eſt felicitas interna quam externa.

(d) Hoc iam fluit ex natura harum actionum, cum enim magis internæ ſint, & conſiſtant in inordinatis animi motibus coërcendis, externam aliquam coactionem non recipiunt, ſed interna tantum ſunt normandæ Deinde cum finis huius normæ ſit, hominem interne tranquillum facere, coactio externa huc eſt impertinens, quæ magis hypocritas quam pios facit. Hinc manuductio quoque hominis ita debet eſſe comparata, vt is, qui alterum manuducit, non imperio & pœnarum metu, ſed conſulendo, ſuadendo, hortando, rogando, inſtandoq; alterum in viam ſalutis ducere ſatagat, quæ manuductionis ratio externe non cogit, ſed potiſſimum ad animum alterius penetrare eumq; ita flectere conatur: atque hoc officium eſt Doctorum, patrum & quorumlibet Chriſtianorum, qua talium. Denique cum manuductio externa tantum viam oſten-

§ XXV. Actiones, quæ in *relatione ad alios homines* conſiderantur, poſſunt ad duo genera referri: quædam neceſſario conſervant & turbant pacem inter omnes homines, (e) quædam vero non turbant neceſſario, quamvis ſi fiant, magis pacem promoveant & amorem, vinculum omnis pacis, inter homines ſtabiliant (f).

§. XXVI.

ſtendat, non autem vires ad eundum præbeat, inde fluit, manuductionem hanc non ſufficere ad hominis mentem a malo auertendam, ſed vires illud, quod inculcatur, faciendi aliunde eſſe deſumendas & petendas, exemplo parentum, qui infantes quidem ducunt manu, vt pedes in ordinem reducere addiſcant, vires autem ſeu virtutem eundi ipſis largiri nequeunt, adeoque fruſtra manuducitur infans, in quo vires eundi quaſi penitus ſunt emortuæ.

(e) Sic pacta foedera ſeruare, ſeruat neceſſario pacem, item ius ſuum nemini detrahere, ſoluere quod quis debet, imperanti obedire & ſimilia. Sed contraria neceſſario turbant pacem. Et cum contrariorum contraria ſit ratio, facile ex iis, quæ neceſſario turbant pacem, iudicari poteſt, quænam eandem conſeruent. Si enim foedera frangere, alterum lædere, ſuum cuique denegare, alterum contemnere, occidere, adulteria committere, pacem & tranquillitatem inter homines tollunt & turbant, merito illud pacem conſeruare dicendum eſt, quo ſeruatur, fœdus alterius honor comiter conſeruatur alter non læditur &c. Quod ſi enim ponas, hæc omnia eſſe licita, habebis bellum omnium contra omnes, & ſic miſeria hominis erit maior quam ferarum beſtiarum.

(f) Huc refero *officia humanitatis* & quæ ex *regulis decori* veniunt. Quod ſi enim vel maxime alteri denego officia humanitatis, adhuc tamen tranquillitas inter homines ſupereſſe poteſt, v. c. ſi commodatum petenti

§. XXVI. Illæ magis externam coactionem & recipiunt & requirunt, cum *abſolute* ad vinculum generis humani conſervandum vel fieri vel omitti debeant (g) hæ vero ordinarie interna obli-

tenti repulſam do, ſi nolit diues egenti pecuniam mutuam dare, vel mandatum ſuſcipere, quod commode exequi poteſt, vel tranſitum per agrum ſuum concedere &c. nihilominus enim pacifice cum altero vivere poſſum, licet hæc officia humanitatis ipſi denegauerim, interim hoc certum eſt, cum hæc officia ex amore, omnis pacis & tranquillitatis vero fonte fluant, inſigniter pacem publicam promovere, quia quod eo ipſo, dum quis alteri inſeruire ſtudet, alias ad ſimilia officia & mutua auxilia alliciat, quæ alios fruſtra ab aliis expectat, vbi hæc aliis denegaverit.

(g) Conſtat, hominem eſſe intime malum, & valde proclivem ad alterum lædendum, & quæcunque in alterum committenda, vt non inepte dixerit Boccalini pro dicterio: *homo homini Diabolus*, ſubſtituendum eſſe: *homo homini homo*, quod ita *vox hominis* magis rem exprimere videatur, quo etiam Seneca reſpexit l. *de benef.* c. 10. aiens: *Homo eſt omnium animalium peſſimum ac teterrimum, quo nihil peius & atrocius*; & Cic. *II. de off. Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur*; & Seneca *Epiſt.* 103. *Ab homine homini quotidianum periculum.* Deinde conſtat, paucos internam normam ſequi, quia pauciſſimi boni, plerique omnes extreme mali & tamen eo miſerior homo eſt, quo magis prauis ſuis affectibus indulget erga alios, hinc neceſſario per externam vim quandam abducendus eſt ab hoc malo, vt alter ab altero ſecurus eſſe poſſit. Quod itaque neceſſarium ad tranquillitatem inter homines medium eſt, & tamen ſine *coactione violenta* obtineri nequit, ibi neceſſe debet obligatio externa; ſubſumtio ex ha-

obligatione reguntur, (h) ſi abſtrahas a civili vinculo, illis ſuperaddito.

§. XXVII. Dictum præterea, conditionem eius, qui normam præſcribit, eſſe conſiderandam (i). Prout

ctenus dictis fluit. Accedit, quod Deus homines in quadam vniuerſali Societate hoc in mundo conglutinauerit, quæ ſocietas absque obligatione mutua eſſe nequit, quæ ſi tantum eſſet interna, finis huius ſocietatis obtineri non poſſet, ſed potius maneret ſemper inter homines ſtatus belli, quo non poſſent non ruere ad interitum, quia pauciores ſecundum obligationem internam viuunt.

(h) Neque enim per ſe harum omisſio pacem inter homines lædit, adeoque non neceſſaria hic fuit obligatio externa. Præterea cum magis ſint effectus amoris, amor autem affectus animi internus, magis ſuadenda & precibus obtinenda ſunt, quam imperanda vique extorquenda. Concludo itaque hic non præciſe neceſſariam eſſe coactionem externam, nec primario pertinere ad hanc *de lege naturali* doctrinam, ſed potius ad *decori*, cuius principia *legis proprie dictæ* vim non habent, quamuis non plena earum natura obſtet, vt non posſint recipere coactionem externam ex lege Ciuili, in quo adhuc differunt ab internis mentis operationibus, quæ nullo modo legis coactioni ſubiici poſſunt.

(i) Dictum eſt hactenus, quasdam actiones plane nullo modo recipere coactionem externam, quasdam quidem recipere poſſe, ſed tamen ex lege naturali de illa non conſtare, quasdam vero neceſſario coactione externa inculcari & conſtare debere. Sed vero hoc non ſufficit ad producendam obligationem externam, niſi etiam præterea cognitam habeamus perſonam eius, qui normam præſcribit, cum ex conditione

Prout enim hic vel par vel inferior vel ſuperior, eatenus obligatio quoque variat. (k)

§. XXVIII. Deus ſumme ſuperior eſt, ens ſummum, præterea tamen amor ſummus, hinc imperium eius in homines pios mere paternum eſt, non herile; adeoque cum omnis bonæ normæ autor ſit, potiſſimum interne, (l) ſed & ſuo modo

tione eiusdem inprimis ratio obligationis quoque dependeat, & non pauci exiſtiment, præcepta iuris naturalis mere internam habere efficaciam, niſi in ſtatu ciuili ab imperio ſuperioris externa vis eis accedat.

(k) Sic itaque, quando par vel inferior præſcribit alteri normam, magis *dogma* aut *conſilium* eſt, & intrinſecam tantum habet vim obligandi, quia par aut inferior deſtituitur vi coactiva ſcil: *directo*, nam per indirectum etiam par parem cogere poteſt, præſertim in ſtatu naturali, licet ei non imperet v. c. reſiſtendo eidem, capiendo, eundem detinendo violenter, ei auferendo, quod denegat. Superior vel habet imperium *paternum* vel *ciuile* vel *herile*. Vterque cogere poteſt, ſed diuerſo modo, ille omnia, quæ agit, ex affectu paterno ſeu amore agit, vt proſit filio, & licet eundem cogat, puniatue, hoc tamen ægre facit: qui vero herile imperium exercet, metum ex imperio incutere intendit, non eius primario, quem cogit, vtilitatem reſpiciens, ſed ſuam; hinc oritur metus ſeruilis in hoc caſu, ſicut in illo caſu metus filialis. Denique qui ciuile imperium exercet, vt iuſtus iudex ad totius Reip. ſalutem vi coactiua vtitur, non vt malis noceat, ſed vt vniuerſitati proſit.

(l) Si imperium Dei vt paternum concipimus (id quod bonitati eius conuenit) metus quoque hominum debet eſſe filialis, hic vero ex amore deſcendit, & dum homo

modo externe obligat, quatenus erga malos vtiuſtus iudex agit. (m)

§. XXIX. Hæc itaque norma, quæ in hominum cordibus ſcripta eſt, quæque obligat ad pacem & tranquillitatem intuitu aliorum ſervandam, dicitur *lex naturæ*, (n) quatenus norma hæc

homo conſcius eſt, quod amorem diuinum lædat, ſi contra normam agat, hæc recordatio, vt ſupra dictum, magis operatur obligationem internam, facitque vt ſponte ſequatur voluntatem Dei, atque hic coactione externa per modum imperii non indigere credendus eſt.

(m) Hoc ita intelligendum velo (I.) quod non repugnet rationi, Deum poſſe etiam iudicium iuſtum exercere erga eos, qui immorigeri ſunt, & ſecundum normam eius viuere nequeunt. Quemadmodum enim piis eſt optimus & benignisſimus pater, ita quoque erga impios, vt iuſtus iudex concipi debet, neque enim impii ſolo conſilio, vel paternis monitis reguntur, niſi arctius vinculum acceſſerit. (II.) Licet Deus non ſemper immediate externe cogat homines, tamen dum hanc normam cordibus hominum inſcripſit, hæc vero non poſſit obtineri ſine *externa coactione*, & hanc hominibus eatenus indulſiſſe videtur, quatenus ad pacis communis conſeruationem facit. Inutilis enim & inanis eſſet norma, ſi homo hominem quadantenus cogere non poſſet. v. c. reſiſtere aggreſſori, ſibi quomodocunque conſulere, ne ab altero opprimatur &c. Congruit enim ſocietati humanæ prouidere & præcauere, ne ullius ius in illa lædatur. Et huc quoque facit natura actionum pacem neceſſario turbantium, quæ neceſſariam requirunt coactionem externam. Et licet DEUS non cogat externe per ſe, tamen per alios ſæpe coercere poteſt immorigeros & foedifragos, vti experientia docet.

(n) Inde iam origo legis naturalis & differentia huius a præ-

hæc illa præcipit & vetat, quæ non *interne* tantum obligant, ſed præterea etiam *externam* obligationem neceſſario requirunt, & ſic ſatis differt ab illa norma, quæ *unice* interne obligat, quæque ad aliam diſciplinam ſpectat. (o)

§. XXX.

præceptis Theologiæ moralis, quæ ſi confunduntur, nullo modo iudicium verum de actionibus ferri poteſt. Intuitu Dei, vti antea dictum, fere eadem vtriusque videtur eſſe ratio, quod vtraque norma ſit ex voluntate Dei & magis interne obliget, ſed cum hic potisſimum actiones hominum in relatione ad alios homines conſideremus, & præterea in iis agendis vel fugiendis homo ſe obligatum aliis eſſe agnoſcat, non potuit ſufficere interna obligatio, niſi etiam accederet ius *cogendi* vt homo alterum cogere externe poſſet ad illud faciendum, quod norma hiſce actionibus præſcripta præcipit & vetat. Et hoc intuitu, cum inter homines effectum *Legis proprie dictæ* ſortiatur, norma hæc a natura homini connata dicitur *lex naturæ.*

(o) Patet hinc (I.) ius naturæ non vlterius progredi, quam ad externam felicitatem & pacem inter homines; non quod ita plene voluntati Dei ſatisfiat, ſed quod ad minimum, ſi normam alteram interne principaliter obligantem, ſequi nolit, hanc neceſſario ſequi debeat, ne bellum omnium in omnia ſequatur, quod lex naturæ præcauet. (II.) Legem naturæ non reddere homines intime bonos, ſed tantum externe tranquillos, adeoque præter hanc aliam correctionem affectuum neceſſariam eſſe; Deinde (III.) ex hoc quoque ſenſus dicterii conſpicuus redditur, quod iuſto non ſit Lex poſita, ſed impiis, nam iuſtus non indiget hac norma, cum omnia ſponte absque vlla coactione agat. *Prouerb. XXI, 15.* Quod apud Lucia-

§. XXX. Utraque norma intendit, vt homo e miſeria reducatur, (p) *virtutis* quidem, vt internam in ſe pacem ſtabiliat, quod fit per affectuum ſuppreſſionem; *Legis* vero, vt ſocietatem humani generis, cuius ſe membrum a creatore conſtitutum eſſe novit, colat, & ita paci externæ cum aliis hominibus ſtudeat videtque contraria

Lucianum Cynicus Demonax cognouit, vbi ita: *οἱ ἀγαθοὶ νομὸν ȣ̓ δέονται ποιȣ̃ντες ἑκȣσίως διὰ τὸν λόγον, ἃ νῦν ἄκοντες διὰ τὸν νόμον.* i. e. *boni legum haud indigent facientes vltro ſecundum rationem, quæ nunc inuiti metu legis facimus.* Breuiter: caret lege, ſed non alia norma, qua internos animi motus in ordinem per Dei gratiam & vires reducere ſtudet.

(p) Id iam fluit ex hactenus dictis & ſtatu naturali hominum, qui turbidus, inquietus, & quaſi ſtatus belli eſt. Hic ſtatus vero miſerrimus imo toti humano generi noxius, ergo felicitatis ſtatus ſine dubio in pace *interna* & *externa* conſiſtere debet. Prioris normæ, internæ ſc effectus plenius deſcribuntur *Prov. III*, 1. 2. 3. Sic itaq; habes principium *eſſendi* ſc. voluntatem Dei, habes *cognoſcendi* ſc. culturam pacis & tranquillitatis cum aliis hominibus, quam ſiue *amicitiam ſiue beneuolentiam* ſiue *ſocialitatem* dixeris, ſiue regula Saluatoris illam circumſcribas: *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, perinde eſſe arbitror nam & hoc ipſum principium idem quod lex *de colenda cum aliis pace intendit*, quia tunc demum cum aliis tranquille viuis, ſi alteri non feceris, quod tibi non vis fieri. Habes denique rationem ſeu demonſtrationem huius principii, quia ob hunc finem norma eſt introducta, quia ſine hac vinculum inter homines ſubſiſtere nequit, imo quia fluit neceſſario ex ſtatu humani generis. Neque muto, ſi dixeris, ex hoc principio officia

ria (q) utrumque vero ideo intendit, quia ſumma hominis miſeria in ſtatu contrario conſiſtit.

§. XXXI. Vtramque normam inculcat optime Salvator his verbis: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis, &. proximum ſicut te ipſum. (r)

§. XXXII.

cia erga Deum & ſemet ipſum cognoſci non poſſe, cum tantum exhibeat officia erga alium hominem ſeu proximum; nam id adhuc eſt in quaſtione, an ad *legem naturæ ſtricte dictam* hæc duo capita pertineant, quod ex hactenus dictis negandum erit. Officia erga ſemetipſum & Deum ex norma virtutis regulanda.

(q) Non itaque confundendæ ſunt diuerſæ denominationes, quæ ſecundum hactenus dicta actionibus adſcribuntur. Alio reſpectu dicuntur *iuſtæ*, quatenus non violant ius alterius aut leges, ſocietatis humanæ, alio *bonæ* vel *malæ*, quatenus internam emendationem vel promouent vel negligunt, & alio denique *decoræ* vel *indecoræ*, quatenus per officia humanitatis alteri prodeſſe vel non prodeſſe intendimus: quo ipſo fit, vt ſæpe actio ſit non *iniuſta*, quæ alio reſpectu poſſit eſſe *mala* vel ſaltem *indecora*.

(r) Interrogabat Legis peritus quidam Chriſtum *Matth. XXII*, 36. qualis eſſet *lex ſumma & fundamentalis*; ex qua reliquæ omnes ſuam deducerent ſubſiſtentiam ? Erat quippe inter iudæos hac de re contentio. Sed Saluator abſque ullis ambagibus duas has regulas eidem tradit. Prior tendit ad internam quietem & emendationem ſui ipſius, quia tendit ad pacem cum Deo optimo ſalutis & boni fonte conciliandam. Alterum præceptum proximum reſpicit, quem quis diligere debet ſicut ſe ipſum, quo ipſo in pace & optima tranquillitate cum eodem viuit, leges naturæ ſtri-

ſtæ

cte dictas & quæ ad officia humanitatis ſpectant,colit, quæ ſi coniunctim obſeruantur, tunc demum homo ad ſcopum ſuum, ad quem creatus eſt, reuertitur & ſibi ipſi conſtat. Illuſtratur hoc porro egregie Pauli dicto *Gal. V*, 14. *omnes leges hoc uno verbo implentur; Ama proximum ſicut te ipſum Leuit. XIX*, 18. Plerius hoc illuſtratur *Rom. XIII*,9.& *Iacob.II*, 8. hoc præceptum dicitur *regium* i.e. primarium & fundamentale, quid vero eſt, *amare ſe ipſum* aliud, quam quærere ſecuritatem & quietem ſui ipſius, ergo quoque aliis hæc præſtanda erit. Sicut enim quilibet ſibi ipſi carus, ita & alterum ſibi æque carum habere debet, vid. Dn. Hertius *de ſociat. ſect.* 2. §. 10. quod etiam agnoſcit Hugo du Roy *de eo quod iuſtum eſt tit.* 3. §. 5. fruſtra renitente Bœclero *in præfat. ad Grot. de iur. B. & P. p.* 8. nam ſi eius ſententia quidquam valeret, plane non quærendum eſſet fundamentum aliquod generale. Sic itaque hoc fundamentum eſt *clarum*, *adæquatum* & *proprium*. Videntur ipſi Ethnici ICti haud alieni fuiſſe ab hoc fundamento fere uniuerſali, cum in *L.* 3. *de I. & I.* illud pro fundamento ſubiicitur *naturam inter nos conſtituiſſe cognationem quandam, & huius conſequens eſſe, hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Quid autem eſt iſta *cognatio* aliud quam *vinculum illud commune inter omnes homines*, quo colligati ſunt a Deo ad pacem colendam, nam vinculi & cognationis huius natura eſt, vt adſit inter omnes *unio quædam*, ſcilicet, voluntatum, & ſic amor recte dicitur a Paulo *vinculum pacis.* Camillus apud Liuium *lib.* 5. *c.* 27. ſocietatem hoc vinculum nominare non veretur, aiens; *nobis cum Faliſcis quæ pacto fit humano ſocietas non eſt, quam ingenerauit natura vtrisque, eſt eritque.* Stoici imprimis, qualis etiam fuit Florentinus *ICtus*, hanc *cognationem* vrſere quæ hypotheſis, licet ex falſo quodam videatur ab ipſis ſi deducta fundamento vid. Dn. Buddei *diſſ.* 1. *de error. Stoic.* §. 2. *ſeqq.* tamen ipſa per ſe eſt veriſſima. M. Aurelius Anton. *L.* 3. *de*

reb.

§ XXXII. Hæc tamen adhuc inter vtramque videtur intercedere differentia, quod norma *virtutis*, vt ita loquar, magis ſingulos reſpiciat, quomodo quisque ſe ipſum corrigere debeat, *legis* vero totum genus humanum inter ſe conſideratum, & vinculo pacis coniunctum dirigat.

§. XXXIII. Hinc vt leges pacis communiter ab omnibus ſeruentur, omnium intereſt; vt vero quis normam virtutis intra ſe ſequatur, potius ſpectat ad ſingulorum curam reſpectu ſui ipſius, neque

reb. ſuis §. 4. id confirmat inquiens: *Meminit cognatum rationale eſſe omne & naturæ rationem ab vnoquoque exigere, vt hominum quorumuis curam habeat.* Idem paſſim huc prouocat. Sic *lib.* 3 §. 11. dicit, orbem eſſe inſtar ciuitatis in qua homines tanquam ciues inter ſe ſunt coniuncti, ait enim: *homines agere ciues ciuitatis ſupremæ iſtius, cuius reliquæ ciuitates iſtæ quaſi familiæ exiſtant lib.* 4. & §. 3 idem repetit aiens: *mundum ciuitatis inſtar obtinere* & §. 23. *Ciuitas & patria mihi, vt homini, mundus* & *lib.* 12. §. 36. *in hac magna ciuitate verſatus es hom. &c.* Cum hoc coniungendus eſt Seneca, qui *epiſt.* 7. nervoſe ait: *Omne hoc quod vides, quo diuina & humana concluſa ſunt, membra ſumus corporis magni; na ura nos cognatos edidit cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc amorem nobis indidit mutuum & ſociabiles fecit: illa æquum iuſtumq; compoſuit, ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere quam lædi; ex illius imperio paratæ ſunt ad iuuandum manus* Agnouiſſe hoc quoque Platonicos teſtis eſt Cicero *Lib.* 1. *Academ. quæſt, p. m.* 9. *lit. a. hominem eſſe cenſentes, quaſi partem quandam ciuitatis & vniuerſi generis humani, eumque eſſe coniunctum cum hominibus humana quadam ſocietate* & *lib.* 1. *de offic. aſſerit, quod latiſſime pateat ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos & vitæ quaſi communitas continetur*, quod declarat

neque alius inde intereſſe allegare poteſt (s) niſi alius concurrat reſpectus.

§. XXXIV. Quatenus itaque omnium intereſt, vt leges pacis communiter inter homines ſeruentur, & quatenus inde ſinguli aliis hominibus *obligantur* ad pacem ſeruandam, eatenus quoque ſingu-

clarat *Lib. 3. de offic.* dum demonſtrare vult concluſiones haſce, nihil eſſe alteri detrahendum aut alterius incommodo ſuum augendum, nam *principio*, ait, *tollit conuictum humanum & ſocietatem. ſi enim ſic erimus affecti, vt propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundam naturam humani generis ſocietatem.* Idem ex ſua ſententia ita loquitur *de fin. bon. & mal. lib. 5. p. m.* 157. *lit. a. in omni honeſto*, inquit, *nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas & communicatio vtilitatum, & ipſa caritas generis humani, quæ nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio & ſtirpe coniungitur: ſerpit ſenſim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis: poſt vicinitatibus cum ciuibus & iis qui publice ſocii atque amici ſunt: deinde totius complexu gentis humanæ. Quæ animi affectio ſuum cuique tribuens atque hanc quam dico ſocietatem coniunctionis humanæ munifice & æque tuens iuſtitia dicitur, cui adiunctæ ſunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque ſunt generis eiusdem. Atque hæc ita iuſtitiæ propria ſunt, vt ſunt virtutum reliquarum communia.* Huc etiam reſpexit Epictetus Diſſ. lib. 2, c. 10. inquiens: mundi ciuis eiusdemq; pars es.

(s) Prius probatur ex fine communi humani generis, qui conſiſtit in conſeruatione pacis & tranquillitatis, ſi hæc corrumpitur, oritur miſerrimus ſtatus inter homi-

ſingulis *ius* (t) datum cenſeri debet, omnia illa faciendi, quæ ad pacis conſeruationem, & quo ſecurus eſſe poſſit, ſpectant; hinc in ſtatu naturali oritur *ius cogendi alterum ad id præſtandum, quod ex LL.*

homines, bellum ſcil: omnium in omnes. Si bellum, neuter ab altero ſecurus eſſe poteſt, quin totum genus humanum parum a totali abeſt interitu. Sed vtrum quis virtutis leges in ſe negligat, alterius non adeo intereſt, modo de cetero pacifice viuat. Loquor *de intereſſe iuris*, quod mihi præbere poſſit facultatem eum ad hoc cogendi; nam id non nego, *leges amoris* quoque curam pro alterius ſalute inculcare. Deinde quoque poteſt concurrere alius reſpectus, aliud vinculum, quo mea intereſſe poſſit, vt alter non tam externe tranquille viuat, ſed etiam ad virtutem ducatur. v. c. in patre, qui educare debet liberos ad virtutem; De principis officio ſuo loco dicemus.

(t) Hoc eſt primum & principale ius, quod homini erga alterum competit. Vti dictum eſt, quilibet obligatur ex lege naturali, vt cum altero pacifice viuat, tranquillitatem quærat, vel ſaltem non tollat. Hæc obligatio eo fortior eſt, quo magis ad felicitatem humanæ ſocietatis *integræ* facit, & quo minus humanum genus *totum* ſine hac ſubſiſtere poteſt. Quamuis itaque nemo alteri obligetur, vt *virtuoſe* & *pie* in ſe viuat, vt inordinatos animi motus inſe domet, atque adeo nemini *ius* perfectum competat, hoc ab altero exigendi, vt hoc faciat, tamen aliud eſt in eis actionibus, quæ *commercium humani generis* inter ſe concernunt. Nam priori caſu, ſi ſui emendationem negligit, ſibi tantum vnice nocet, non primario aliis, ſuam felicitatem in ſe turbat, non aliorum, ſibi moleſtus eſt, non aliis, adeoque ius nullum eo nomi-

ex LL. naturæ debetur & quo pacem conſeruare poſſe deprehendit (u).

§. XXXV, In hoc enim conſiſtit tum utilitas & felicitas totius humani generis, tum eius conſervatio, & eatenus ius naturæ etiam inter homines externam quandam vim habere debet.

§. XXXVI.

ne alteri competere poteſt, & ſic qui ſe emendare recuſat, non alii, ſed ſibi ipſi tantum facit iniuriam. Aſt poſteriori caſu aliis utique obligatur iuxta normam cordi inſcriptam, *vt pacifice cum eo viuat*, quia alias alterius quietem quoque lædit, ei moleſtus eſt &c.

(u) Ex hoc patet, non tantum hic adeſſe obligationem *reſpectu Dei*, quaſi homo ex lege naturæ tantum Deo obligetur, vt pacem ſeruet, ſed etiam *hominem homini obligatum eſſe.* Cum vero hoc ipſum maxime contra Hobbeſium facit, ita fortius probatur ex ratio ne naturæ humanæ, quam ipſe Hobbeſius in iure nat. pro fundamento agnoſcit. Quia alias lex naturalis eſſet inanis, absque effectu inter eos, qui inter ſe æquales ſunt, imo cum ad pacem colendam tendat, reuera hunc finem non aſſequeretur, cum ſemper alter poſſet in ſtatu æquali obiicere: *Ego tibi non obligor ad pacem colendam, ſum mearum actionum arbiter, pro lubitu ago, quicquid ſit reſpectu Dei*, & ſi obiicis, *hoc tamdiu verum eſſe, donec pactum interceſſit*, alter opponere poteſt: *atqui ne ſic tibi quidem obligor, nam & mei conſenſus ſum arbiter, & mei pacti, bellum volo loco pacis.* Si alter reponit, *atque hoc tibi inutile eſt*, rurſus reſpondet, *ego ſum meæ vtilitatis arbiter, forſan mibi vtile erit bellum.* atqui, alter inſtat: *hoc tamen inutile erit toti generi humano, ſi ita velis turbas mouere, tu tamen teneris paci ſtudere communi.* Recte, mi philoſophe, ita tandem fateri neceſſum habes, hominem obligari hu-

humano generi, vt illa faciat, quæ conſeruant pacem. At inſtas, *ita non obligatur ſingulis.* Cur vero non? quia alias & hæc obligatio erga humanum genus eſſet otioſa. Iam quo te vertas neſcio. Examinemus nunc paulo attentius Hobbeſiana fundamenta. Supponit (I.) hominem a natura ſua eſſe inordinatum animal, procliue ad diſcordias, ad odia & bella. *tr. de Ciue p.* 1. §. 2. *ſeqq.* Hactenus bene, & id ipſum quoque ſupra dictum eſt. (II.) inde deducit §. 7. cuiuis competere ius, ſe ſuaque defendendi & præcauendi, ne vita eius ab aliis lædatur. Id tidem concedi poteſt. (III.) Porro ita infert: ius ad finem dat media neceſſaria, ſine quibus ſe conſeruare non poteſt, & de his quiuis eſt iudex. Hoc itidem concedi poteſt modo iudicium hoc non liberum ſupponamus, ſed *alligatum ad obligationem, quæ eſt erga alios homines ſeu totum genus humanum.* Sic itaque vbi iudicium hoc poſt ſe trahit tranquillitatis humanæ interitum, iam extra metam ſuam progreditur. Sic enim poſſet Rex quicunque hodie dicere, vtile mihi iudico, vt has vel illas prouincias aliis eripiam, ergo illas inuadendi mihi ius competit, hic vtique tranquillitatem humani generis læderet, & conſequenter iudicium hoc propriarum vtilitatum eſſet peruerſum. Certe in hoc inſigniter lapſus eſt Hobbeſius, quod hominem vtilitatum propriarum tantum arbitrum dixerit, ſed ab illis ſeparauerit *conſiderationem vtilitatum humani generis,* quæ ex obligatione, qua quiuis inter homines aliis obſtringitur, deſcendit. Si quilibet eſſet *merus* arbiter vtilitatum ſuarum, *absq; conſideratione ad vtilitatem humani generis,* quæ in tranquillitate conſiſtit, poſſet quilibet alterum occidere, ſub prætextu, quod ipſi hoc ſit vtile, neque Cain male feciſſet, occidendo Abelem, cum ei hoc vtile videbatur. Quicquid facimus, facimus ex opinione *boni* vel *vtilitatis,* & ſic quæuis ſcelera ſaluo

 iu-

iure naturæ poſſent committi. Obiicit Hobbes: atqui fateor, in tali ſtatu quidem hominem peccaſſe *in Deum*, quia ei obligatur, ſed *non in hominem quid iniuſte fecit*, quia iniuſtitia erga homines præſuppoīnit leges humanas. Eius mens clarius intelligi poteſt ex *c.* 15. *Leuiath.* dicentis: *dictamina rationis vim quidem obtinuiſſe legum, ſed improprie dictarum, eſſe enim de iis rebus, quæ ad conſeruationem bonorum ducunt, tantum theoremata, legem autem proprie dictam eſſe vocem imperantis.* Eo ipſo, ni fallor, ſatis aperte prodit, ius naturæ non obligare per ſe inter homines, eſſe enim nuda theoremata, ſeu dogmata, quæ magis *ſuadent*, quam *obligant*, & ſi quædam obligatio ex illis induci poſſit, eandem eſſe magis *internam* quam *externam*. Sed in hoc iam latitat πρῶτον ψεῦδος. Concedit, homini in ſtatu naturali competere ius quoddam, ergo hoc ſe refert ad alium, qui ei hoc ius indulgere debet, & impedire nequit, quo minus hoc iure vtatur, & ſic obligatio in altero erit, vt hoc patiatur, quod faciendi ius alteri competit. Dicis: atqui cuilibet tale ius competit; ſed ſic habebis ius irrationabile, dum quilibet aduerſus alterum ius habet, & alter rurſus ius habet illud non permittendi. Demus exemplum. Titius in ſtatu naturali dicit, ſe habere ius conſeruandi vitam ſuam, ſibi autem maxime conducere, vt cum Meuia ſtuprum committat. Meuiæ itidem Hobbes indulget reſiſtendi ius, cum etiam membra ſua & corpus tueri poſſit, quoniam illi vtile videtur, ne patiatur ſtuprum. Siccine ergo petulantia ius eſt? vides quantæ contradictiones commiſſæ ab Hobbeſio, quod obligationem erga genus humanum ſepoſuerit. Si inſtas, Hobbeſium in *c.* 1. §. 10. *de Civ.* tantum hoc applicare *ad bona* & *res*, tamen nihilominus idem exemplum mutatis mutandis contra eum retorqueri poſſet; Et ſi omnem externam obligationem iuri naturali *ante pacta* vel *imperia* detra-

trahere volumus, omne ius quoque cogendi alterum per bellum denegandum gentibus erit, quod tamen nec Hobbes concedit. Nudæ enim ſuaſiones non præbent ius cogendi & quæ nuda ſunt theoremata, nullam in ſe continent facultatem ab inuito extorquendi, quod mihi debetur. Proinde quod *in f.* demum addit, *menſuram iuris eſſe vtilitatem* ſcilicet *propriam*, oppido falſum eſt. Si dixiſſet, *communem*, tunc cum eo facerem, quia communis humani generis vtilitas conſiſtit in obligatione ad ſeruandam pacem communem. Hinc quoque §. *II. ſeqq.* omnem iuris nat. vim ad pacem colendam ex eo deducit, *quod ius tale minime vtile ſingulis hominibus fuerit*, & ſic potius quærenda pax fuerit: quod indicium certum præbet, Hobbeſium plane negare, dari aliquam obligationem hominum aduerſus alios homines ad pacem colendam, ſed tantum ob propriam cuiusuis vtilitatem homines ſingulos *adduci*, vt pacem quærant. Verum nos merito contrarium dicimus, ſcilicet communem omnium hominum vtilitatem cogere ſingulos ad pacem colendam, priuatæ quidem poſſe renunciari, non huic, quia ſic quis alterius iuri renunciaret: quamdiu quis eſt membrum ſocietatis humanæ, debet quoque iura communis vtilitatis ſeruare, ſicuti in ſocietate ciuili poſtponendum eſt ſtudium proprii commodi vtilitati publicæ. Magis ſobrie incedit Adrianus Houtuyn *in polit. gen. in not. ad* §. *II.* vbi, quamuis in plurimis cum Hobbeſio faciat, tamen non diffitetur, ante imperia legem naturalem pacem iubere, læſionem omnem & offenſam prohibere, dum ea admiſſa, fieri nequeat, vt ſtare homines diu in primæuo illo ſtatu poſſint. Magis horrida ſunt, quæ Spinoſa *in. tr. polit. c.* 2. proponit, ius ex potentia deſumens & nullam obligationem hominis erga hominem agnoſcens, adeo vt §. 15. aſſerat, in ſtatu naturali ius nullum eſſe, ſed magis opinione quam re conſtare, ad-

§ XXXVI. Hinc iam oritur definitio legis naturæ, (x) quod ſit norma a Deo cordibus hominum inſcripta, ſecundum quam homines ſibi inuicem obligantur ad pacem & tranquillitatem tanquam unicum illud vinculum ſocietatis humanæ, inter ſe conſeruandam, eaque fugienda, quæ eandem tollunt ad totius humani generis felicitatem externam.

§. XXXVII. Fundamentalis itaque propoſitio iuris natur. ſtricte dicti hæc eſt: (y) quilibet ex volun-

eoque §. 12. infert, nec fidem alteri datam diutius durare, quam voluntas promittentis duret, qui potentiam habet ſoluendi. Ex eodem monſtroſo fonte hæc promanant, ex quo Hobbeſiana: Si enim nullam agnoſcis perfectam obligationem inter homines, nec obligatio erit ad fidem ſeruandam, & ſic fœdera inter reges erunt inania, ludibriaque ſeculi.

(x) Fluit hæc definitio ex theſibus antecedentibus (1.) eſt *norma* per §. 14. (2.) *a Deo præſcripta* per §. 17. (3.) & quidem *concreata* per §. 18. (4.) *habet obligationem tum reſpectu Dei, tum etiam externam reſpectu hominum* per §. 21 *ſeq.* & §. 34. (5.) cognoſcitur voluntas Dei *ex eo, quod ad pacem homini conducit*, per §. 23 *ſeq.* (6.) in eo deniq; *conſiſtit felicitas humani generis* per §. 34.

(y) Hæc propoſitio eſt adæquata, eſt vera, eſt clara. Eſt *clara* & *perſpicua*, quia homo ſtatim agnoſcit in pace & tranquillitate eſſe ſalutem. Nulla ſalus bello. Omnes appetunt quietem, & ſic quoque naturæ humanæ maxime conformis eſt. Eſt *vera*, quia & ſtulti in eo conſentiunt, quod tranquillitas bonum ſit, imo ſine hac ſubſiſtere nequit genus humanum & vinculum eius. Eſt denique *adæquata*, quia quælibet officia hominum erga alios inde deduci poſſunt, & optime hoc principium diſtinguit hanc doctrinam a doctrina *morali* ſtricte dicta, & *decori*. Neque obſtat quod

voluntate Dei in ſocietate humana alteri obligatur ad ea facienda, quæ tranquillitatem & pacem inter homines neceſſario conſeruant, & ad contraria vitanda.

§. XXXVIII. Hac obſeruata propoſitione ſimul limites libertatis naturalis, (z) quæ ſæpe iuris

quod non omnia, quæ a tramite rectæ rationis abeunt, inde poſſint deduci, nam *non omnia dictamina rationis ſunt ſtatim iuris nat.* quod vel ex doctrina de domandis affectibus apparet. In quo plures aberrarunt, qui omne illud, quod *naturaliter* cognoſci poteſt, in genere motum, ad hanc doctrinam retulerunt.

(z) Hæc *facultas naturalis* ſæpiſſime nomine *iuris* naturæ venit, vnde aliud eſt quærere, *quid iure naturæ præceptum*, de quo hactenus, & aliud, *quid iure naturæ liceat?* Vbi duo dedi fundamenta. Primum ius eſt ex obligatione: Hæc enim & ius ſunt correlata, adeoque cum ſinguli obligentur ad pacem & tranquillitatem conſeruandam, ſingulis ex hac obligatione aliorum ius naſcitur, ſcil. ſe conſeruandi in ſtatu ſuo, propellendi contraria, ſeu vim vi repellendi, vnde & ius naſcitur bona ſua defendendi & ab aliis, iniuſte eadem detrahentibus, vindicandi, & ſi forſan maius malum immineat, ſe cum aliis ſociandi, pangendi eo nomine foedera, & ſuæ ſecuritati quouis modo conſulendi, refractarium hoſtem capiendi, vt ſecurus ab eo exiſtere poſſit. Vnde vis iniuſta tamdiu vi iuſta repellitur, quamdiu alter ſecurus eſſe nequit. Verum vbi alio modo ſecuritas ſatis haberi poteſt, alterque leges pacis obſeruare vult, vlterior offenſio erit interdicta, ne ex vi iuſta offenſio vel pacis turbatio oriatur. Obtento fine, ceſſant media &c. Atque hæc omnia ad ſtatum naturalem ſpectant; ſed in ſtatu Ciuili mutata ſcena eſt, quia huic iuri ſubditi reuera renunciarunt erga Principem, quoad ſe ipſos autem aliud medium cogendi introductum eſt. Altera ſpecies

iuris naturalis nomine quoque venit, conſpicui ſunt. Scilicet ius Naturæ, quando facultatem moralem aliquid agendi denotat, vel illud ius denotat, *quod ex obligatione prædicta alteri naſcitur*, vel *quod homo a natura libere agere poteſt*, quatenus præcepta pacis & tranquillitatis communis non læduntur, & ſic hoc reſpectu ius agendi ſuppeditat, non ſemper intuitu Dei, ſed ſaltem aliorum hominum. (a)

§. XXXIX.

cies iuris naturalis, quod *libertatis* dicitur, oritur ex eo, quod præceptis & legibus pacis non comprehenditur, & ſic omne illud ita dicitur, *quod lege nat. non reperitur prohibitum* & ſtricte loquendo *libertas naturalis* dictum, arque huc ſpectat difinitio in *§. I. J. de iur. perſ.* vbi hæc libertas, non illa, quæ ſeruituti opponitur, definitur, quod ſcil. ſit *facultas naturalis faciendi illud, quod cuiuis facere libet, niſi lege vel vi prohibeatur.* Ius naturæ quod non prohibuit, ad hoc faciendum libere ius dediſſe *inter homines* videtur. Sic non prohibita eſt captura ferarum, acquiſitio dominii, derelictio rei propriæ, eiusdem alienatio &c. ergo natura ad hoc ius dediſſe videtur. Hinc naturali ratione res cedunt occupanti, quæ nullius ſunt, & hoc ſenſu admitti poteſt Hobbeſianum illud, *quod vnicuique natura ius dederit in omnia tr. de Ciu. p.* I. §. 10. ſed non eo, quo ipſe explicat, modo.

(a) Circa hanc libertatem naturalem duo ſunt notanda. (I.) aliud eſt, *an ad has res quis ius habeat, & pro lubitu de iure nat. de iis poſſit diſponere?* h. e. an vſus huius iuris poſſit libere admitti inter homines absque ruptura vinculi humani generis, quod hactenus recte aſſeritur; & aliud eſt, *an homini ob intimam eius prauitatem naturalem conducat, hoc ius exercere*, quod ſecun-

§. XXXIX. Ne itaque in exercitio iuris ſui quis impe-

cundum regulas virtutis æſtimandum, & denique, *an ſemper decorum ſit illud, quod licet, agere*, quod itidem debet iudicari ex propriis fundamentis. Nam quamuis ius datum homini ſit, vt poſſit plura acquirere, tamen hoc ſæpe eidem damnoſum eſſe poteſt, dum videt concupiſcentias ſuas inde incendi & augeri, poteſt homo rebus ſuis abuti, vt tamen abuſus rerum in propriam eius perniciem tendat. Inde *prou. X.16.* dicitur: *Iuſtus rebus ſuis vtitur ad vitam, ſed impius ad perniciem*, quin quod ita ſæpe officia humanitatis plane corrumpat & negligat. Hoc ideo notandum, vt præcaueamus, ne ab eo, quod *iuſte* vel iure fieri dicitur, ſtatim quis excuſationem in foro interno quærat. Atque ex hoc diiudicandum de *indifferentiſmo actionum*. Hactenus recte ſeſe habet regula; *qui iure ſuo vtitur, alteri non facit iniuriam*: ſed eo ipſo non negatur, quod *ſibi* iniuriam facere poſſit, tantum illud aſſeritur, quod leges pacis communis non violet inter homines, poteſt enim eo ipſo ſuam in ſe tranquillitatem fortiter turbare, atque adeo actio talis nihilominus adhuc eſſe *mala* & *indecora*. Vnde agenti incumbit, actionem ſuam non ſolum *ad regulam iuſti*, ſed etiam *ad decori* & *virtutis* examinare, quamuis hi reſpectus inter ſe adhuc maneant diuerſi. (II.) Altera obſeruatio eſt, *hanc libertatem naturalem ſuis includendam eſſe limitibus*, ſcilicet quousque leges pacis non violantur. Et ſic Hobbeſianum illud, *naturam vnicuique dediſſe ius in omnia*, ſecundum hos limites eſt reſtringendum: ſemper enim ius ex cuiuscunque officio ſeu concurrente obligatione eſt temperandum. Si natura vnicuiuis ius in omnia dedit, non vlterius id dedit, quam quatenus res adhuc in medio relictæ fuere. Ergo ſi quis occupauit ſolus locum, inſulam forte, eamque ſolus poſſideat, alteri nullum amplius

ius

impediatur, ſed libere agere poſſit, pacis leges iubent, alias inde naſcitur iniuria (b).

CAPVT II.
DE
Diviſione iuris vniuerſalis in priuatum & publicum.

§. I.

IUs Naturæ dirigit *actiones hominum inter ſe*, quocunque in ſtatu viuant (c).

§. II.

ius in illam competere poteſt, quia alias, ſi poſſeſſorem deturbaret, leges pacis violaret. Neque in ipſam rem *actuale ius* habuit, ſed tantum *ius acquirendi*, quatenus fuit nullius. Potuiſſet itaque eandem acquirere; ſed quatenus ab altero præuentus eſt, ex legibus pacis iam obligatur, vt hunc quiete re ſua frui patiatur.

(b) Iura libertatis ſingulis data ſunt. qui itaque hic alteri vellet impedimenta ponere, & ius eiuinteruertere, contra pacis obligationem ageret, & hoc eſt, quod dicitur, *iniuria*. Sic itaque, quod huic ex libertate naturali agere licet, alteri imponit neceſsitatem ex lege pacis, ne eum impediat, vel exercitio libertatis obſit, niſi poſſit oſtendere, ius ſibi competere ad impediendam libertatem. Sic ciuili imperio introducto varie hæc libertas ſubditis adimi poteſt, veluti ne venentur, nec hæc vel illa acquirant &c. quia ex ratione imperii imperanti hæc facultas indulta eſt.

(c) Directionem iuris nat. non tollunt ſtatus varii, in quibus homines poſtea viuere cœpere: nunquam mutatur vinculum humani generis, aut tollitur, quan-

§. II. Status hominum quamuis varius eſſe queat, primario tamen in duplici conſiderari poteſt differentia, dum alius eſt *libertatis*, ſeu *naturalis* (d) alius *adſcititius*, ſeu qui facto humano ſuperaduenit, qui vtut varius eſſe poſſit, potiſſimum tamen hic eminet *ciuilis*.

§ III.

quando homines in ſpeciales ſocietates abeunt, ſed potius firmatur, & arctioribus conſtringitur munimentis, niſi quod iura libertatis hic quodammodo reſtringi poſſint. Agnouit hoc egregie Cyrus, qui poſtquam Crœſum deuictum ad ſe adduci iusſiſſet, & ab hoc tanquam dominus compellatus fuiſſet, optime reſpondit: *Salue tu quoq; Crœſe, quando quidem homines ambo ſumus*, indicans, ſaluum vinculum humani generis adhuc manere, licet alter eſſet victor, alter vero victus, Xenoph. *in Cyropæd p.* 181. *lit. c.* Ceterum non nego, ex noui ſtatus ſuperuenientia nouas actiones & ſic quoque nouas concluſiones Iuris naturæ quoque naſci, veluti in ſocietate domeſtica ius naturæ quoque ſeruis obedientiam iniungit, quia alias, ſi domino iubenti reſiſtere poſſent, non poſſet ſubſiſtere pax inter homines, cum tamen extra hunc ſtatum nemo alteri obligetur ad obedientiam.

(d) Satus eſt *conditio quædam hominum, ſecundum quam certis inter ſe fruuntur iuribus.* Naturalisſimum illum eſſe iam dixi, quo homines etiam *naturali vinculo* inter ſe connexi & communibus pacis legibus *qua homines* adſtricti ſunt. Ceterum *facto humano* poſtea multi ſtatus ſuperinducti ſunt pro neceſſitate, & viciſſitudine temporum, ex quibus iura quidem variare cœperunt, ſed tamen communiter ad hoc proſunt, vt eo ſecurius pax communis ſeruari poſſit. Sic imperiorum introductio apprime facit ad leges pacis ſartas

teſtas

§. III. Status libertatis ſeu naturalis (e) conſiderari poteſt, vel ante omnia imperia, vel imperiis iam introductis, quatenus variæ respublicæ liberæ inter ſe conſiderantur.

§. V.

tectas conſeruandas, cum ſine illis *nec gens nec ciuitas, nec domus ſtare poſſit*, vt ait Cic. *lib.* 3. *de LL.* Introducto vero imperio ciuili, duplex poſtmodum ortus eſt ſtatus *naturalis* & *ciuilis*. Ille dicitur in oppoſitione ad imperium aliquod ciuile, quod in altero ſtatu præualet. Nam alias negari nequit, etiam in ſtatu libertatis aliquam ad tempus poſſe eſſe imperandi rationem, quæ in ſocietate paterna & maritali concurrit: ſed illa cum non ſit perpetua, nec ita reſtricta, fere hic negligitur.

(e) Status *libertatis* eſt inter eos, qui inter ſe abſque ullo reſpectu *imperii ciuilis* æquales ſunt, quales omnes homines a natura ſunt. Nam ſeruos quosdam naſci, hoc ſenſu, vt aliis ius imperandi abſque vi vel conſenſu præcedente in eos competat, ſenſui communi repugnat, quamuis *apti* quidam a natura naſcantur, vt potius pareant, quam imperent. Quia itaque hactenus omnes æquales ſunt, æqualia quoque debent eſſe iura, ſemper tamen legibus pacis & tranquillitatis ſubordinata. Hinc itaque corruit ius illud Hobbeſianum *omnium in omnia*, cum ipſe *c.* 2. *de Ciue* §. 3. aſſerat, contra legem naturæ eum facere, ſi quis de iure ſuo in omnia non decedat: ſunt vero contradictoria, *dari aliquod ius in ſtatu libertatis, quod ſit contra leges naturales*. Ceterum fatendum eſt, propter *æqualitatem* hunc ſtatum eſſe periculoſum, & ad pacem non adeo aptum, quia veneratione legum naturalium homines non ſemper ducuntur, nec conſtringi tam ſtricte poſſunt, quam ſi frenum aliud *imperii ciuilis* acceſſerit. *Hinc ſtatus ciuilis*

merito

§. IV. Actiones liberarum rerumpublicarum itidem adſtrictæ ſunt inter ſe ad leges pacis, quemadmodum *iura libertatis* iis denegari nequeunt. (f)

§. IV.

merito præfertur ſtatui *libertatis*, vbi leges pacis maiori in veneratione ſunt, & aptior ad pacis & tranquillitatis culturam, accedente freno ciuili, redditur. Inde & Ethnici ſatis horride naturalem ſtatum circumſcribere ſolent, interprete Cicerone *lib. I. de inuent. in princ.* inquiente: *fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum modo vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Non diuinæ religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam inſpexerat liberos: non ius æquabile quicquam vt. litatis haberet, acceperat &c.* Sed poſtquam homines abierunt in varias ciuiles ſocietates particulares, manſit adhuc inter eos, quatenus vt *gentes* conſiderantur, *ſtatus libertatis*, cum nulla gens habeat alteram gentem ſuperiorem & ita iure æquali inter ſe fruuntur. Hinc quando quæſtio de vnius gentis præ altera prærogatiua & iure proedrias formatur, apparet, nullum certum fundamentum, quo gens altera alteri præferri debeat, reperiri, multo minus vnam gentem, vt alteri dignitate præferatur, prætendere poſſe, niſi ſponte gens altera alteri ceſſerit. Omnis ergo ratio decidendi deſumi debet ex pactis vel *expreſſis*, vel *tacitis*, his quidem, ſi longo tempore alteri genti ceſſerint, quia ſic eo ipſo præcedentiam ratione ordinis genti alteri indulſiſſe videntur.

(f) Hoc ita intelligi debet, quatenus respublica, *qua talis*, cum altera, qua tali, aliquid agit. Et quia in eos, qui reipublicæ præſunt, omnis poteſtas & *voluntas omnium*

§. V. Reſpublicæ liberæ inter ſe conſideratæ alias GENTES dici ſolent, & ita leges pacis ad eas applicatæ & iura libertatis eiſdem attributa, nomen

mnium translata eſt, ſequitur, vt ad eos inter gentes potisſimum reſpici debeat. Subditi enim, quamuis ſint membra reipublicæ, non tamen poſſunt conſiderari, *vt conſtituti in ſtatu libertatis*, licet cum ſubditis alterius ciuitatis aliquid agant, ſed in illos vtrinque cadit reſpectus imperii, & ſi aliis denegent illud, quod eis debetur, a proprio ſuo Principe cogi poſſunt: qui autem præſunt reipublicæ, a coactione ciuili liberi ſunt. Proinde iterum non conſentiendum Hobbeſio, *iuſtitiam & iniuſtitiam in hoc ſtatu libertatis non dari*, aſſerenti. Putat enim actionem omnem in hoc ſtatu eſſe *adiaphoram*, in *tr. de Ciue. c.* 12. §. 1. nec iniuriam in alterum committi poſſe &c. Quæ omnia ex falſo illo principio fluunt, quaſi nullum omnino vinculum Deus inter homines conſtituiſſet, id quod tamen *c.* 1. iam aſſertum eſt. Admitti hæc poſſent, ſi de ſola *non obſeruantia iuſtitiæ* hæc aſſeruiſſet, id quod tamen a mente eius alienum eſt, cum putet, omnia *iure* fieri poſſe, quæcunque tali modo fiunt. Atque adeo recte quidem Vlricus Huberus *de Iure Ciuit. lib.* 1. *S.* 1. *c.* 3. §. 6. & 7. concedit, ſtatum hunc quodammodo turbidum eſſe, ſimul tamen addit in §. 8. ſpoliare alios in ſtatu naturali non poſſe *ius* vocari, ſed etiam tum fuiſſe veras iniurias: Obiicit Hobbeſius: *Si homines tam corrupti ſunt & turbidi inter ſe, ſi ad lædendum proni, vt alter absque altero ſecurus eſſe non poſſit, ſi gens gentem ſpoliare, ſubigere, & quouis modo opprimere intendit, huic autem vires na uraliter reſiſtendi conceſſæ fuerunt, ſequitur, vt ſtatus naturalis in plena disiunctione animorum concipi debeat. Vbi autem animorum disiunctio, ibi*

ſtatus

men IVRIS GENTIUM acceperunt; (g) quo ipſo

ſtatûs belli; in bello ceſſat omnis obligatio ad pacem, & ſic omnia permiſſa ſunt, omnia iure fiunt, habent ſinguli ius in omnia, & tandem ceſſabit omne ius, quippe quod ſtatum pacificum requirit. Equidem hominum corruptionem Hobbio concedimus, concedimus quandam diſiunctionem animorum, ſed negamus, quod in hoc ſtatu ſtatim perpetuum aliquod & nunquam ceſſaturum ſit bellum. Hoc ſaltem exinde fluit, ſtatum hunc fuiſſe *periculoſum*, & bellis facile obnoxium, & poſito actuali bello, demum ius quieſcere. Neque obſtat, quod primi homines in ſocietatibus inter ſe vixerint, nam nihil ominus ipſa *ſingula capita familiæ* in ſtatu naturali manſerunt, & tamen pacifice vixiſſe leguntur. Concedi ergo debet, dari *tempus pacis* in ſtatu naturali, quod & hodierna experientia teſtatur, vbi non perpetuum inter gentes bellum, ſed præterea etiam ſtatus pacis, & quidem ad ſatis durabile tempus aliquando durat. Si datur in ſtatu naturali quoddam tempus pacis, quod dari poſſe certum eſt, ius omnium in omnia quoque ceſſabit, & leges naturæ vigorem ſuum exercebunt, ſingulique tunc obligantur ad pacem conſeruandam. Obiicis: *atqui talis pax non durabilis eſt, inſtabit bellum, ad quod plerique ſunt procliues.* Verum regero, non tamen excludi omne pacis tempus, & qui ita auctor belli eſt, & pacem lædit, ſine dubio alteri iniuriam inferre, quod rurſus contra Hobbeſium eſt, dum contendit, quod in hoc ſtatu nulla iniuria alicui inferri poſſit. Regerit quidem Hobbeſius, hoc caſu iam pacta adeſſe, & ſic ex pactis gentes ad pacem obligari, alias non. Verum vnde obligatio ex pactis niſi ex iure naturæ? & deinde non video, quare non etiam pax inter gentes abſque pactis concipi poſſit.

(g) Id ex variis inductionibus oſtendi poteſt. Suprà

D dictum

ipſo tamen non nouum & *diſtinctum iure naturæ ius*, ſed ſpecies eius inducitur.

§. VI.

dictum, quod ex lege naturæ in ſtatu quoque libertatis alter alteri, & ſic quoque gens genti obligetur ad pacem conſeruandam, quæ obligatio quoque ſingulis gentibus ius tribuit, ad omnia illa facienda, ſine quibus pax & ſecuritas obtineri nequit. Inde *bella* ſunt orta, tanquam *medium cogendi* eum, qui pacem & ſecuritatem denegat, introducta *imperia, termini* poſiti, *fœdera* pacta, quia hæc optima ſunt pacis munimenta, & tamen hæc omnia dicuntur *Iuris Gentium*, ſeu ex iure gentium introducta Vid. *l. 5. d. J. & J.* Faciunt prætere multum ad mutuam inter gentes harmoniam conſeruandam *commercia,* quæ anſam ad varios contractꝰ dederunt, non quod a lege naturæ *præcipiantur*, ſed quod horum uſum gentes *conducibilem* eſſe duxerint ad pacem conſeruandam, & ſic horum negotiorum introductio ad *iura libertatis* ſuo modo referri debet. Præterea *ius legatos mittendi*, & per eos expediendi negotia cum altera gente, itidem inſigniter pacis fundamenta firmat, & tamen etiam *iuris gentium* dicitur. Cur enim gentibus integris denegaretur, quod ſingulis conceſſum eſt hominibus, qui non tantum per ſe, ſed etiam per alios poſſunt negotia expedire? Quod ſi iam gentes conſideramus inſtar vnius perſonæ, ſicuti quoque aliæ vniuerſitates vnius perſonæ vicem ſuſtinent, adhuc clarior erit horum iurium applicatio, quia ita idem ius habent, quod ſinguli olim in ſtatu naturali. Quod vero dixi, *respublicas inter ſe conſideratas gentes dici*, euidens eſt, quoniam conceptus Reipublicæ ſtricte loquendo eſt tantum inter *parentes* & *imperantes*, qui ſunt in vna Republica; quando autem Reſpublicæ plures inter ſe conſiderantur, tunc huius reſpectus nulla habetur ratio, ſed illæ inter ſe ſunt *liberæ*, non habito reſpectu a-

li-

§. VI. *Facta* (h) vero mera vel *mores* quarundam gentium (i) abuſiue iuris gentium dicuntur,

licuius *formæ politicæ*, vel *imperii ciuilis*. Eatenus tamen gentem ad alterius Reipubl. conſtitutionem reſpicere debere conſtat, quatenus exinde iudicare debet, quocum vel quibuscum agere debeat: alioquin enim ſi non agat cum eo vel eis, qui ſummæ rerum præſunt, & totam rempublicam repræſentant, & in ſua perſona ſuſtinent, gens altera exinde plane obligari nequit: ſicuti id quoque obtinet inter priuatos, vbi alter alterius conditionem cognitam habere debet.

(h) Ab omnibus ſeculis inualuit, vt *facta gentium*, iuri naturæ contraria, *iuris gentium* nomen induerint, quo olim pertinuiſſe videtur *mos latriciniorum funeſtus*. Quam plurima adhuc hodie in bellis fiunt, vt ſtupra, adulteria, innocentum cædes aliaque plura facinora, quæ *iuris gentium* eſſe dicuntur. Omnes diſputant contra Hobbeſium, & tamen dum talia *iuris gentium* eſſe profitentur, fatentur Hobbeſianiſmum fuiſſe ante Hobbeſium, qui *C.* 2. *de Ciue* §. 3. talem ſtatum adhuc quodammodo improbat; atque ſic conceduat, dari ius Gentium, quod ſit contra ius naturæ, & tamen *Ius Gentium* ex voluntate DEI deducere non verentur. Petulantiæ hi ſunt effectus, non iuris. Si dicis, quia talia facta puniri nequeunt, ergo effectum iuris habent, tunc reſpondeo, ſic omnia, quæ a gentibus fiunt, iuri conueniunt, quia non datur pœna inter gentes, adeoque otioſa ſunt, quæ de norma aliqua inter gentes proferuntur, ſed potius facta gentium ſimpliciter erunt *Iuris Gentium*, quod abſurdum.

(i) Mores *decori* rationem habent, ſed vero decorum legem non conſtituit per ſe, niſi conſenſu mutuo receptum ſit, tunc enim ex pacto obligat, & mores ſæpe mutari ſolent, prout ſtatus gentium variat. Præter-

tur, cum hi quidem *ad rationem decori*, pro ſeculi ratione variantis; illa vero *ad meram licentiam facti* ſpectent.

§. VII. Denique cum Gentes moralem perſonam repræſentent, ſemper eædem inter ſe eſſe videntur, licet forma regiminis mutata fuerit; (k) adeoque durante eadem gente, durant quoque obligationes gentium (l).

§. VIII.

ea dubium eſt, quarum gentium mores huc referri debeant: ſi dicis, *moratiorum*, tunc erit *ius gentium particulare*, inter moratiores tantum vſitatum, quamuis diſtinctio ipſa inter barbaras gentes & moratiores fundamento ſano deſtituatur.

(k) Reipublicæ forma mutata, mutatur quidem ciuitatis *ſtatus internus*, quatenus *in ſe* conſideratur, veluti ſi ex Monarchia fit Democratia, vbi vnio illa, quæ ante fuit, in aliam formam abit: ſed gens ipſa manet eadem *in relatione ad alias gentes*, quacunque demum noua gubernetur forma, quia gentes intuitu aliorum primario non conſiderantur ex *forma reipublicæ interna*, ſed ſufficit, quod gens *libera* maneat; vnde gens Romana, eiectis regibus eadem manſit, ſicuti quoque tunc, cum Auguſtus imperium occuparet.

(l) Ariſtotelem hoc negaſſe, patet ex 3. *polit.* 3. quem refutauit Grotius *de I. B. & P. lib.* 2. *c*, 9. §. 8. ex quo recte infert, non deſinere populum debere pecuniam, rege ſibi impoſito, quam liber alteri genti debuit, & ſic foedera cum altera gente pacta, non reſcinduntur, mutata reipublicæ facie. Alias quidem vniuerſitates diſſoluuntur, vnione diſſoluta, & ita demum obligationes exſpirant, ſed in tali *mutatione formæ* compages & ſtructura reipublicæ manet ſalua, & adhuc cohæret, quod ſufficit, quoad gentem alteram, licet a forma regiminis per nouum conſenſum recedatur.

Exem-

§. VIII Status Ciuilis (m) conſiderat homines, quatenus in ciuitatem coaluere, quæ in *ordine imperantium & ſubditorum conſiſtit*.

§. IX.

Exemplum aliud affert Bœclerus *Diſſert. de eo quod egit ciuitas* de Lacædemoniis, qui petebant pecuniam mutuo datam vel promiſſam ab Athenienſibus poſt eiectos Oligarchas triginta, quibus pecunia erat credita, quod Athenienſes recte iudicarunt, ſe adhuc debere. Quod ſi gens mutato ſtatu Reipublicæ ſub iugum alterius principis redigatur, iam quidem peculiaris *gens libera* eſſe deſinit, ſed eius vicem quodammodo ſubire incipit is, cuius ſub iugum redacta eſt, & ſic quoque tranſire debet in iura huius populi

(m) Status huius potiſſima ratio in eo eſt, quod ius libertatis ex *omnimoda æqualitate* ortum inter eos, qui in vnam coaluere ciuitatem, & ſic æqualitati renunciarunt, remitti & in vnum vel aliquod concilium Imperium transferri debeat, quia diſceſſio a ſtatu libertatis *ſubiectionem*, hæc vero in alio *imperium* inuoluit. Inde iam in ſtatu ciuili potiſſima ratio *imperantium* & *parentium* habenda, inter quos perpetua ſupponi debet relatio. Neque tamen in hoc ſtatu leges pacis & naturæ mutantur, ſed magis confirmantur, quæ autem ex *libertate naturali* ſinguli agere poterant, illa tantum is retinet, qui *reip.* præeſt, reliqui autem, ſcil. ſubditi, illa quoad *maximam partem* deponunt, quia ius illud libertatis, quod ſimul ſecum trahit *reſiſtendi facultatem*, non poteſt ſubſiſtere cum *ſubiectione* & *pace ciuili*. Ceterum priuatio hæc libertatis naturalis diuerſa eſt a *ſeruitute ſingularum perſonarum perpetua*: Illa enim tantum reſtringit libertatem naturalem, quæ magis impediebat pacem inter homines, & ſic eo ipſo felicitatem ciuium firmat; vt non inepte Claudianus *in Stilic.* cecinit:

§. IX. Ciuitatibus introductis, negotia & actiones ciuium alterari, & nouis reſpectibus diſtingui cœperunt, (n) quo inprimis pertinet, quod actiones ſint vel *priuatæ*, vel *publicæ*. *Priuatæ* ſunt, quæ nullum reſpectum habent ad publicum ſtatum, ſeu adminiſtrationem reipublicæ, ſed a ſingulis, qua talibus, in proprium commodum expediuntur.

§. X.

Fallitur, egregio quisquis ſub principe credit
Seruitium: nunquam libertas gratior extat.

Hæc vero plane conculcat omnem liberam agendi facultatem, vt ſeruus ſit *in proprietate domini plena*, & ita hic ſtatus magis eius infortunium augeat, quam minuat, licet per accidens ob durum imperium principis ſæpe euenire poſſit, vt ſubditorum quoque conditio quodammodo dura ſit.

(n) Quamuis omnes ciues alicuius Reipublicæ ſint membra eiusdem ciuitatis, non tamen omnia, quæ faciunt, expediunt, quatenus ſunt membra Reipublicæ, ſed plura adhuc & infinita ſunt negotia, quæ inter ſe *vt ſinguli* peragunt, quæ etiam, ſi in ſtatu naturali adhuc eſſent, licite inter ſe agere poſſent, quo pertinent varia commerciorum genera, aliaque. Equidem omnes ciuium actiones debent ſubordinatæ eſſe ſaluti Reipublicæ, hoc ſcilicet ſenſu, ne contra *pacem ciuilem* aliquid tentetur, ſed tamen propterea omnia negotia non ſunt unius eiusdemque naturæ. Quædam enim neceſſarium reſpectum habent ad Reipublicæ gubernationem ſeu Regimen publicum, quædam vero ab hoc reſpectu remotæ ſunt, & vbi ciues non præciſe, *vt ciues*, conſiderantur, ſed vt alii homines; & hactenus dicuntur *priuata negotia*. Immo & ſi vel maxime a Principe talia fiunt, nihilominus tamen cum non fiunt a Principe, *qua tali*, huc refe-

§. X. *Publicæ* (o) vero dicuntur, quæ nexum imperantium & parentium regimenque ciuile, quæq; ad conſeruationem & adminiſtrationem ſtatus ciuilis ſpectant, reſpiciunt, adeoque rei-publ. qua tali, propriæ ſunt, nec extra rempublicam occurrunt (p). §. XI.

referuntur, veluti ſi emit, ſi ſubditis aliquid locat, ſi priuati ab eo aliquid conducunt, quia ſic conſideratur vt *paterfamilias*, & ita negotia priuata peregiſſe dicitur. Quod de ſingulis dictum, idem applicari poſſet ad *corpora* in Republica conſtituta, quatenus vt *priuati* agunt. Hoc modo etiam *priuatæ* & *publicæ perſonæ* diſtinguuntur: hæ enim ita dicuntur, *quatenus ad ſtatum publicum adminiſtrandum concurrunt*, quæ tamen alio reſpectu, quatenus res ſuas domeſticas agunt, *priuatarum* vicem tenent.

(o) Publica differunt a priuatis multis modis: (1) *priuata* negotia ſingulorum potiſſimum vtilitatem *domeſticam* reſpiciunt, ſed publica totius ciuitatis ſecuritatem & conſeruationem; (2) illa ad *ſingulos* ſpectant, hæc ad *vniuerſam Rempublicam*: (3.) illa magis *curam familiaris rei* tangunt, hæc vero *regimen publicum* concernunt: (4.) ibi quilibet ſuæ vtilitati renunciare poteſt, nemo vero publicæ: (5.) illa etiam extra imperium ciuile poſſunt peragi, ſaltem non habent neceſſariam connexionem cum ſtatu ciuili, nam emere, permutare, alienare &c. etiam in ſtatu naturali fieri poſſunt, ſed hæc tantum ſtatui ciuili propria, nec extra eum facile ſeſe exſerunt.

(p) Quædam negotia *eſſentialiter* & *proxime* ad ſtatum publicum ſpectant, ſine quibus adminiſtratio fieri & ſubſiſtere nequit, vt *legislatio, iudiciorum inſtitutio*, & *cura ſecuritatis internæ* &c. quædam vero *paulo remotius* Reipublicæ curam tangunt, nec adeo proxime

§. XI. Satis itaque hæc negotia differunt ab actionibus gentium inter ſe; quæ nec priuatæ nec publicæ commode dici poſſunt, (q) cum inter ſe ma-

xime ſtatum attingunt, vt *cura pauperum*, *imbecillorum*, *pupillorum*, *ſcholarum*, *inſtitutio optimarum artium* &c. vnde illa κατ' ἐξοχὴν *publica* dicuntur, quæ etiam imperans ſuæ curæ reſeruare ſolet; hæc vero licet ſuo modo *publica* dici posſint, quatenus reipubl. intereſt, curam horum non deponere, & quatenus ad ſalutem totius reipublicæ ab imperante diriguntur & inſtituuntur; tamen etiam ſuo modo ad *priuata negotia* referri poſſunt, quatenus nec priuatis hæc cura interdicta. Vnde nemini interdictum eſt, curam pauperum exercere, orphanotrophia exſtruere vel noſocomia, ſuo ſcilicet ſumptu, ſic & ſcholas quilibet paterfamilias intra priuatos parietes erigere poteſt, quatenus tamen a Principe hæc cura exercetur, in claſſem *publicorum negotiorum* referri debent, vnde *publicam* quoque inde accipiunt *autoritatem*.

(q) Solenne quidem ſcriptoribus eſſe ſolet, vt de *actionibus gentium* prædicare ſoleant, quod ſint *publicæ*, ſed ita dicuntur, quatenus non ſunt *clandeſtinæ* cum *publicum* etiam *clandeſtino* opponatur. Deinde etiam *publicæ* dici poſſunt eædem actiones, quatenus per indirectum ipſam Rempublicam reſpiciunt, eiusque commodum vel promouent, vel confirmant. Ceterum ſi gentes inter ſe conſideratæ agunt, actiones illæ, cum nullum reſpectum regiminis vel imperii inuoluant, magis *liberæ* dici poſſunt, quam *publicæ* vel *priuatæ*, qui termini neceſſarium reſpectum inuoluunt ad Rempublicam. Non nego tamen, quod eadem negotia quæ a gentibus, peraguntur, ſi conſiderantur intuitu ſecuritatis publicæ, & ſic *intra*

Digitized by Google

maneant in ſtatu naturali, & ſic omnes reſpectus ciuiles inter eas ceſſent.

§. XII. Cauendum præterea, ne facta publica, quatenus occultis opponuntur (r) cum actionibus publicis, priuatis oppoſitis, confundamus, nam hoc ſenſu etiam priuata negotia aliquando publica dicuntur.

§. XIII.

intra ciuitatem, ad *publica negotia* ſuo modo referri debeant, ſed hæc conſideratio tantum eſt intra pomœria Reipublicæ, cum in conſideratione ad aliam gentem potius ex *iure libertatis* profluxerint. Imo ſi vel maxime gens alia concurrat ad ſtatus alterius gentis confirmationem, i. e. ad contundendos vel exſtirpandos rebelles, tamen ne ſic quidem publicum hoc negotium dici poſſet, quia itidem hoc facit, non tanquam Princeps alterius Reipublicæ, cui cura regiminis eſſet commiſſa, ſed vel ex fœdere præcedente, aliove pacto. Quod ideo notandum eſt, *ne actiones gentium* temere trahantur ad *ius publicum vniuerſale*, quamuis Grotium promiſcue hæc inter ſe miſcuiſſe appareat.

(r) Hoc ſenſu etiam priuatæ actiones poſſunt dici publicæ, h. e. notoriæ, quæ non ſunt factæ remotis arbitris. Vnde natæ ſunt locutiones; inter priuatos contrahi *ſponſalia publica*, *publicam exerceri tabernam*, cauponam, *publicas officinas* haberi: vulgatum eſt, *in publicum prodire*, *publici iuris librum facere*, *in publico vendere*, *publicare teſtamentum* &c. Alio ſenſu etiam res pluribus communes *publicæ* dici ſolent. Sic in uſu publico aqua dicitur eſſe *l. 2. de fluminibus*. Imo & quædam, quæ publicam autoritatem h. e. manifeſtam & indubiam habent, publica dici ſolent, vt inſtrumenta publica &c. quæ tamen omnia a publicis negotiis hactenus deſcriptis diſcernuntur.

§. XIII. Sicuti omnia negotia hominum legibus naturæ, pacem inculcantibus, diriguntur, ita æque dicendum eſt de negotiis in republica, tum priuatis, tum publicis, (s) atque adeo ius naturæ eſt vel *publicum*, vel *priuatum*. Illud dicitur, quod ſtatum publicum, in quauis ciuitate; hoc vero quod negotia priuata hominum inter ſe dirigit.

§. XIV. De iure priuato res clara eſt. Sed quoad leges publicas quidam dubitarunt, (I.) dum imperantem legibus naturalibus quoad ſubditos abſoluerunt, & omnimodam ei libertatem adſcripſerunt, (t) quo ipſo reuera exlex iudicatur. Qui-

(s) Iam ante ſuppoſitum eſt, ius naturæ non amittere vim ſuam, quicunque ſtatus ſtatui generaliſsimo humanitatis ſuperaddatur, nam manet hic ſemper fundamentum idem, cum exui vel diuelli *vinculum humani generis* non poſſit, ne quidem per *ſubiectionem*, cum & imperans maneat *homo*, & ſic ex *vinculo humanitatis* etiam ſubditis obligatus ſit. Præterea omnis ciuitas conſiſtit in arctiori quodam vinculo imperantis & parentium, ex quo varia ſingulorum officia diriguntur. Iam ſi abſtrahamus a legibus poſitiuis humanis, non eſt alia lex, quæ dirigere poſſit illa officia, niſi lex naturæ. Neque mutatur ius naturæ: ſed quia ita *negotia* mutantur, nouæ concluſiones inde emergunt, cum duplex negotiorum reſpectus in ciuitatibus occurrat.

(t) Quod ſi huic ſententiæ aduocatus dandus eſt, ſubtiliorem vix inuenire poſſum, quam ipſum Hobbeſium, qui *c.* 5. *de Ciue*, huic ſententiæ fauet. Subditis enim *ſimplicem & abſolutam* inculcat *obedientiam*, quæcunque etiam præceperit imperans, hunc vero

vero poteſtatem ſeu ius abſolutum habere contendit, reſpectu eius nemini proprium quicquam eſſe, hoc cuique proprium eſſe, quod ſibi retinere poteſt per leges & potentiam eius, cui ſummum imperium delatum *c.* 6. §. 15. Præuidit iam Hobbeſius obiectionem, quam poſt §. 13. *in notis* ſubiicit, ſcil: ciuium conditionem ita miſeram eſſe, *ſic enim cogitant*, inquit, *rapiet, ſpoliabit, occidet, & tantum non ſpoliatum & occiſum ſe quisque putet.* Quid vero ad hæc Hobbeſius? reſpondet, *iure* quidem id facere, ſed non *iuſte* i. e. *non ſine violatione legum naturalium & iniuria in DEum, deinde nec principem id facere præſumi, cum ſibi id non bonum videatur.* Verum ita ius principi tribuit, quod contra leges naturæ eſt, cum tamen ſupra dictum, omne ius eſſe coercendum *intra limites obligationis ad pacem humani generis,* imo nemini ius competere poſſe contra legis diſpoſitionem, cum ad hoc tantum quilibet ius habeat, quod leges non prohibuerunt. Vno verbo, dum principi *ius abſolutiſſimum* indulget, tollit *vinculum humani generis*, & ſic in effectu *ius naturæ publicum*, actiones principum regens, quoad maximam partem negat, vel tale ſubſtituit, quod in mera *violentia, potentia, & crudelitate* conſiſtit. At vero ita fruſtra coiuiſſent homines in ſocietates ciuiles, cum tamen *pacis & tranquillitatis ſtudium* homines ex propria eius ſententia induxerit, vt in ciuitates coaleſcerent, tranquillitas autem in eo conſiſtat, vt ſecure ab omni violentia externa viuere poſſint. Hæc minime obtinetur, ſi *ius publicum vniuerſale* negamus. Si dicis: *atqui principes tamen ita viuunt, nec eſt, qui eis dicere poſſit, cur ita facitis? & ſic ſaltem reſpectu ſubditorum, qui illis reſiſtere nequeunt, ius habebunt tale quid faciendi, quibus iniuria non infertur, licet quando princeps contra officium egerit, Deum vtique offendat.* Aſt non quid fiat, ſed quid fieri debebat, reſpiciendum, & ingenui Doctoris eſt, non ex factis

ius

Quicunque enim liberrime pro lubitu agere poteſt, nullis legum vinculis tenetur. Sed tales principem extra ſtatum humanitatis conſtituunt, imo finem ciuitatum, qui in pace eo ſecurius colenda & per imperantes ſubditis præſtanda conſiſtere debebat, euertunt, cum potentiorem vbique hoſtem in Principe habeant, cui reſiſtere nequeunt.

§. XV. Iam vero leges naturæ quoque officium imperantium & parentium determinant, & pacem, tranquillitatemque ſubditorum imperantibus inculcant, cum ſubditi adhuc maneant homines, & vinculum humanitatis inter eosdem ſaluum ſit, quod per reſpubl. magis confirmari, quam tolli debet.

§. XVI. Neque obſtat, quod ſubditi eo ipſo renunciauerint libertati ſuæ naturali, nam non potuere propterea imperantem abſoluere ab obli-

ius metiri, ſed facta principum ſecundam ius ponderare. Qui docet, non debet principi ſub prætextu iuris illa attribuere, quæ ſunt *violentiæ*, non *iuris* effectus. Aliud eſt Doctorem agere, aliud deſcribere, quomodo principes quandoque agant. Hi *facta mera* recenſent, illi, an iuſte omnia acta ſint, oſtendunt. Subinde falſa quoque eſt conſequentia: *ſubditi non poſſunt reſiſtere principi, ergo non poteſt iniuriam ſubditis inferre*, nam licet ſubditi iuri reſiſtendi renunciauerint, non tamen potuerunt Principem abſoluere a *vinculo naturali*, propter quod ſubditis manet obligatus. Dum itaque contra hanc obligationem agit, iniuriam ſubditis infert. In eundem cenſum quoque referri debet Adrianus Houtuyn *in politica generali*

bligatione, qua erga homines alios lege naturæ adſtringitur. (u)

§. XVII.

nerali, vbi per varia capita abſolutiſſimam adſcribit poteſtatem imperanti, tum in *profanis*, tum *ſacris*, & quidem quoad hæc fere conſpirat cum Hobbeſio, ne dicam, quod eum ſuperet. Conſtituit eundem legum diuinarum & naturalium interpretem, & quod fidei articulos determinare queat. Quamuis enim in §. 92. poteſtatem principis ſubiiciat legibus diuinis & naturalibus, tamen cum ſtatim addat, utrum aliquid ſit iuris naturæ vel diuini, vel eidem conueniat, vel repugnet? ipſum per legis interpretationem iudicare, tollit omnem eo ipſo obligationem, & reſtrictionem poteſtatis ſoluit, cum omnia ſcita iuris naturæ interpretatione ſua peruertere poſſit.

(u) Supra iam monitum, ius nat. quatenus *libertatem naturæ* denotat, diuerſum eſſe a lege nat. quatenus *obligationem ad pacem in vtilitatem totius humani generis* introductam denotat, illud eſſe renunciabile, non vero hoc. Hoc ſi applicetur ad ciuitates, certum eſt, renunciaſſe ſubditos *libertati naturali* in pluribus caſibus, vel ſaltem imperanti ius dediſſe, vt poſſit de *libertate ciuium* diſponere, in utilitatem reipubl., adeoque ſoli imperanti adhuc ſaluum & illibatum eſſe *plenarium ius libertatis naturalis*. Verum ſicuti hoc in *ſtatu naturali* coercendum eſt intra limites obligationis ad pacem, ita multo magis in *ſtatu ciuili*. Hoc poſito ius publicum vniuerſale oſtendere debet quouſque iura imperantis ſe extendant, & in quantum ſubditis imperans adhuc ſit obligatus. Si obiiciant; *atqui præcepta iuris naturæ quoad ſubditos principem non obligant externe*, regero, hoc accidere non ob naturam actionum, & ita non *per ſe* ſed *per accidens*. Scil. *obligatio externa* deficere poteſt, tribus ex cauſis (1.) propter naturam actionis & ſic per ſe. (2.) pro-

§. XVII. Leuius dubium eſt, quod aliqui mouent iure naturæ non eſſe respubl. introductas & ſic easdem non poſſe regulari ſecundum ius nat., nam dominia non ſunt introducta iure nat., vel ſaltim ſecundum hoc ius incognita & tamen regulantur ſecundum ius naturæ (x.)

§. XVIII.

propter defectum potentiæ ad ius ſuum perſequendum. Sic in ſtatu etiam naturali quilibet externe etiam obligatur ad rem meam ablatam mihi reſtituendam, licet alter ob defectum potentiæ alterum cogere non posſit, ad quod tamen ius habebat. Denique (3.) propter renunciationem *iuris reſiſtendi*, quod alias in ſtatu naturali obtinuit, pacis communis gratia: vt tamen alterum a vinculo ſuo abſoluere noluerint. Hic itaque obligatio adfuit externa, ſed ex *accidenti* vim amittit *propter ſubiectionem*, quæ *renunciationem iuris cogendi* in ſe continet, quo ipſo tamen præcepta iuris naturalis non tolluntur, neque a iure naturali ſeparanda ſunt, quæ vtique ſeparari deberent, ſi *ſemper* in *omni caſu* & in *omni ſubiecto*, imo & *quolibet ſtatu* tantum interne obligarent. Quamuis itaque ſubditi ius ſuum erga principem non posſint exequi, tamen in hoc nunquam conſenſiſſe dicendi ſunt, vt princeps iuri naturali non ſit ſubiectus.

(x) Ius naturæ generaliſſima & vniuerſaliſſima principia tradit, i.e. neminem eſſe lædendum, ſuum cuique tribuendum; hæc vero talia ſunt, vt quolibet introducto ſtatu posſint applicari, & fiunt ſaltem nouæ concluſiones, (dum ſtatus nouus introducitur,) quæ antea erant incognitæ vel ſaltem applicari non potuere, principia autem maneant eadem, qualia a Grotio vocantur *reductiue* iuris nat. vel *ex ſuppoſitione certi facti humani*. Sic ſeruitus itidem iuri naturæ eſt incogni-

§. XVIII. Eiuſdem farinæ dubium eſt, quod Ungepauer (y) *in exerc. Iuſtin. qu.* 14. affert, quaſi ius publicum tantum ſit collectum ex iure gentium & ciuili; nam ſupra iam oſtenſum, non recte opponi ius naturæ iuri gentium.

§. XIX.

cognita, ſed poſtquam ſemel introducta, iam præſcribit quoque lex naturæ dominis & ſeruis officia, quæ ante erant incognita. ſic ius naturæ dicit: *bona fide cum altero agendum.* Inde quoad emtionem, venditionem, ſemel introductam, concludo. *Ergo in emtione debet abeſſe dolus in re vendenda, res propria alicui vendenda, vitioſa res alteri non tradenda, onera alteri indicanda, ſi quæ rei cohaereant, cauendum, ne alter in pretio lædatur. &c.*

(y) Probat Vngepauerus ſuam ſententiam ita: (1.) Magiſtratus autoritas & veneratio ſunt *iuris publici l.* 1. §. 2. *de I. & I.* ſed Magiſtratus conſtitutio attribuitur iuri gentium *l.* 5. *de I. & I.* (2.) ius belli inferendi eſt iuris publici *l.* 24. *de capt. & poſtlim. rev.* Ex iure autem gentium introducta ſunt bella *c. l.* 5. (3.) Conuentiones, quæ per pacem fiunt, dicuntur iuris eſſe publici *l.* 5. §. 2. *de pact.* ſed illæ conuentiones, quibus pax finitur, ſunt iuris gentium. Denique (4.) ius legationum mittendarum publici iuris eſt, & tamen iuri gentium adſcribitur *l. f. de legat.* Sed ſtatim hic monendum eſt, Vngepauerum illa, quæ iuris gentium & publici ſunt, male probare ex iure Romano. Deinde non ſequitur: *introductio* horum negotiorum dependet ex iure gentium, ergo ſemel introductæ non regulantur ſecundum ius naturæ. Nam & regna in *c. l.* 5. introducta eſſe a iure gentium dicuntur, vt tamen ſemel introducta dirigantur iure naturæ. Vlterius hi actus iuri naturæ, quatenus *facultatem liberam & legitimam* deno-

§. XIX. Nec plus ponderis habent Weſembecii argumenta, *ad tit. de I. & I.* allata, quod ſcilicet (1.) ius publicum non ad æquum & bonum, ſed ad ſtatum Reipublicæ, & quid huic vtile ſit, reſpiciat

denotat, itidem adſcribi poſſunt, eoque magis, quod ſint medium conſeruandi vel reducendi pacem inter homines, adeoque *ius gentium* male hic opponitur iuri naturæ. Addit vero nouum argumentum, ad quod eadem regeri poſſunt. Dicit: *quod ius publicum ex iure naturali collectum non ſit, inde videtur conſtare, quia neque ſacra neque ſacerdotes, neque Magiſtratus, in quibus tribus ius illud dicitur conſtare, d. l. 1. §. 5. de. I. & I. iuri naturæ adſcribi poſſunt; Non ſacra*, pergit, *quia horum nomine nihil aliud quam ceremoniæ ad religionis cultum pertinentes intelliguntur. Præterea vbi nulla ſacra, ibi etiam ſunt nulli ſacrorum diſpenſatores ſeu miniſtri i. e. ſacerdotes. Denique Magiſtratus iure gentium creatos eſſe conſtat c. l. 5.* Non mirandum, ICtum tam leuia in medium protuliſſe argumenta, cum ex omnibus circumſtantiis conſtet, Vngepauerum principiis moralibus non admodum tinctum fuiſſe. Ius *ſacrorum* quidem non eſt ex lege præceptiua iuris naturæ, quod concedo; ſed poſtquam ceremoniæ & cultus externus ſemel introductus, ex iure naturæ quoque dependet, quid Principi circa illum liceat, nec ne? qualem habitum religio ad rempublicam habeat? ſic vlterius, ſacerdotibus introductis, ius naturæ quoque circa eosdem diſponit, eorum officium circumſcribit, quod & ad Magiſtratus applicari poteſt, vt non debuiſſet Vngepauerus ad leges Romanas prouocare. Non nego quidem in *alleg. tx.* iuris publici particularis hæc tria capita *ſacrorum*, *ſacerdotum* & *magiſtratuum* dici; ſed eo ipſo non negatur abſtrahendo a iure Romano, hæc non poſſe generaliter circumſcribi ex iure

ſpiciat (z) (2.) quod tempore Iuſtiniani ius vetus publicum iam abrogatum fuerit, (a) quibus argumentis ſatisfecit Hahnius *in Not. ad eund.*

§. XX. Sic & facile reſponderi poteſt ad rationem Biccii *in præloquio rerum quotid. n. 32.* quod ius publicum vniuerſum ad ſtatum certæ ciuitatis ſpectet, eiusque proprium, adeoque nulla ex parte collectum ſit ex præceptis naturalibus: (b) nam oppido falſum eſt, quod vniuerſum

iure naturæ. Sacra Romanorum dirigebantur *iure publico particulari*, quia publice recepti erant Dei, & cultus, publice erant conſtituti ſacerdotes & tota Magiſtratuum diuiſio & ratio ex particulari iure dependebat vid. Lyclama *lib. 7. membr. Eclog.* 41. Sed hæc non ſunt in quæſtione, illud enim quæritur, annon præterea aliquid naturale illis applicari poſſit?

z) Hoc argumentum falſiſſimum eſt, quo ipſo oſtendit auctor, ſe non diſcernere potuiſſe Regulas *iuſti* & *prudentiæ ciuilis*. Vtræque hic applicari poſſunt, ſed in quæſtionibus iuris publici magis reſpicimus ad Regulas *iuſti & æqui*, quam *vtilis*.

(a) Hoc argumentum reſpicit poſitiua iura, quæ mutantur in republica, ſed non naturalia. Bene Mauritius *de princip. iur. publ. c.* 3. §. 7. inquit: *quando euenit mutatio, ea non ſit circa eas leges, quæ ex naturali ratione deſcendunt, ſed circa alias, quæ ex hominum poſitione, haud ſecus ac ius ciuile priuatum etiam mutatur, quamuis & illud collectum ſit ex iure naturæ.*

(b) Recenſirit hoc argumentum quoque Ericus Mauritius *de princip. iur. publ. Germ. c.* 3. §. 3. & 4. & hoc ita refellit, quod *ius publicum vniuerſale* duo deno-

ſum ius publicum alicui reipublicæ proprium ſit, cum quæ iuri vniuerſali ſuperaddita ſunt, in horum claſſem tantum pertineant.

§. XXI. Adhuc alii confugiunt ad Imperatorem (c) in §. *vlt. J. de J. & J.* quod ille tantum de

tet (1.) *complexum omnium legum publicarum* ſimul in vna maſſa ſumtarum (2) *leges ſeparatim & ſeorſim conſideratas*. Si in priori ſenſu accipiatur *vniuerſale ius publicum*, major propoſitio eſt neganda, quia non ſequitur, quando leges omnes ſimul ſumptæ in vno complexu applicari nequeunt ad alium ſtatum, quod ideo non posſint dici collectæ ex præceptis naturalibus, vel quod in illo legum publicarum complexu non posſint plures leges concurrere, quæ ex iure publico vniuerſali deſumptæ ſunt. Si autem per *ius publicum vniuerſale* leges quoque ſingulæ intelligantur, hoc ſenſu, quod ſingulæ leges in iure publico ad ſtatum peculiarem reipublicæ ſpectent, tunc minor neganda erit, nam in omni republica plures occurrunt leges, quæ ad omnem poſſunt applicari ſtatum publicum. Huc quoque ſpectat Vitriarii *in inſtit. iur. publici lib.* 1. *tit.* 2. §. 1. reſponſio per inſtantiam, quod idem quoque aſſeri de iure priuato, non tamen inde concludi posſit, quod non ſit collectum ex iure naturæ & gentium.

(c) Quod Imperator hic non loquatur excluſivè, etiam obſeruauit Bachov *Comment. in prim. part. l.* 1. §. 2. Verba eius ſunt hæc: *Equidem ex hoc loco id non poteſt ſolide colligi, cum in promptu ſit dicere, ideo ius priuatum ita diſtributum, tum quod in iure priuato hæc res eſſet manifeſtior, tum quod Vlpiano forte tantum de iure priuato tractare propoſitum eſſet, cum ius vetus publicum magna ex parte eſſe ſublatum; Ceteroquin publico quoque iuri hac diuiſio non inepte accommoda-*

tur

de iure priuato hoc aſſerat, quod ſit collectum ex principiis iuris naturalis & G. & ciuilibus, non idem de iure publico. Sed hanc controuerſiam autoritate Iuſtiniani definire non poſſumus, & præterea falſum, quod Imperator hic excluſiue loquatur.

§. XXII. Denique nuperrime ICtus quidam non incelebris (d) de nouo exiſtentiam iuris publici

tur. Idem quoque confirmat Samuel Rachel *introduct. in ius publ. c. 2.* inquiens: *Quod enim ICtus ait, ius i. e. ſyſtema iuris Romani collectum eſſe partim ex iure gentium, partim ciuili i. e. ciuitatis alicuius proprio l. 1. §. 2. de J. & J. & §. vlt. eod. Idem quoque de iuris publici diſciplina in ſua latitudine conſiderata dici poteſt.* Neceſſitatem huius præſtantiſſimæ doctrinæ idem *l. 6. p. 28. ſeq.* his circumſcribit verbis: *Quin in examinandis & decidendis controuerſiis publicis nullius iuris maior uſus vel autoritas eſt, quam naturalis. Ideo ſaltem non minori aſſiduitate & ſtudio illud, quam ius priuatum excolendum eſſet. Quo enim magis quisquam in illo profecerit, hoc ad publicas privatasque cauſas recte diiudicandas iuris publici vſum aptior erit, vt magna laude digni ſint illi principes, qui etiam ius naturæ in ſuis Academiis doceri inſtituerunt.* Conf. B. Schilter. *de natura & Orig. iuris publ.* §. 4. Præterea ponamus, Imperatorem loqui *excluſive*, quid inde? an Imperatoris deciſio in rebus, quæ ad rationem ſpectant, aliquid momenti habet? Quid ſi Imperator aſſereret, nec Ius priuatum eſſe collectum ex iure naturæ, an proinde ei eſſet credendum? In his & ſimilibus quæſtionibus non agit Imperator *legislatorem*, ſed *doctorem* & in his *autoritatem authenticam* non habet.

(d) Intelligo Iohannem Gröningium, qui edidit *Biblio-*

thecam iuris gentium Europæam ; in cuius diſcurſu præliminari ſequentia hac de re habet : *Loco iuris gentium autem Cl. Hertius ſecutus Vlr. Huberum, ius publicum vniuerſale ſubſtituere videtur : Quod ſequentem in modum a Politica ſcientia & iure publico particulari diſtinguit (I.) A politica inde differre cenſet, quod in hac iuris publici ſcientia inueniantur, quæ non ad ciuitates, qua ſingulas, ſed qua vniuerſas, pertinent.* (2) *A iure publico particulari autem, quia* (a) *hoc in ſingulis populis variat : vniuerſale autem ad ciuitates omnes ſe extendat.* (b) *Hoc ex dictaminibus iuris naturalis deduci, illud voluntario, eoque ſcripto vel non ſcripto iure conſtare.* (c.) *Vniuerſale ſemper vnum ac idem eſſe, particulare vero in vna ciuitate pro reipublicæ ſtatu ſemper mutari. Verum quemadmodum iam in Bibl. I. Gent. Exot. cap.* 1. *n.* 24. *exiſtentiam iuris publici vniuerſalis negaui, ita ne quidem nunc apparet, cur ſententiam mutem, vel entia præter neceſſitatem multiplicanda ſuadeam. Mihi potius videtur ius publicum, quod dicitur vniuerſale, quatenus iuſtum ciuitatis magnæ, ſeu omnium rerumpublicarum reſpicit, citra vllam legem promulgatam, ad ius naturæ & gentium ſpectare. Quatenus vero vtilitatem atque vtilia a noxiis diſcernendi rationes conſiderat, ad Politicam vel generalem vel ſpecialem pertinere. Nam vt ſcientia quædam ſpecialis atque diſtincta a reliquis ſtatui queat, neceſſe eſt, vt eiusdem demonſtrentur propria & domeſtica principia : his autem ius publicum vniuerſale ſubnixum non eſt ; nam quod ipſe Dn. Hertius non diffitetur, illud ex dictaminibus iuris naturalis deducendum eſſe, indeque, ſi orirentur controuerſiæ circa iura belli, pacis & foederum,* (*circa eiusmodi enim publicos actus ius publicum vniuerſale imprimis verſari dicitur*) *non aliunde quam ex iure naturæ publicarum controuerſiarum deciſio petenda eſſet. Verum in liquidis haud opus eſt verbis ; res ipſa loquitur, non ius ſed ſubiectum ſaltem in iſtis caſibus mutari, neque ius*

nouum

blici vniuerſalis negare auſus eſt, cuius argumentis tamen ex hactenus dictis ſatisfieri poteſt, &

nouum induci, ſed adeſſe modo hic applicationem iuris ad factum. Ius naturæ & gentium, tanquam ius vniuerſaliſſimum, vſum præſtat in iure ciuili, tam publico quam priuato, propriis principiis inſuper ſubnixo. Verum exinde ius naturale non fit ciuile publicum vel priuatum: ſeu haud naturam ciuilis iuris induit, ſed manet ius naturale & gentium, quaſi per retrotractionem. Et quemadmodum ius ciuile priuatum Romanorum haud inde uniuerſale fit, quia interpretationem quandoque ex legibus naturalibus accipit, pari quoque ratione ius publicum aliquod vniuerſale inde haud conſtituitur, quia controuerſiæ publicæ ex dictaminibus iuris naturalis deducendæ. Fidem datam atque pacta fœdere ſolenni ſancita ſeruanda eſſe ius naturæ iubet: quodſi de iſtis pactorum verbis, eorumque ſenſu inter ſummas poteſtates controuertatur, quæro, ex quo iure iſtæ controuerſiæ decidantur, an ex iure publico vniuerſali, annon potius ex iure naturæ & gentium? poſterius, vt puto, nemo in dubium facile vocabit. Quod ſi ſit, parum ad naturam iuris refert, an perſona naturalis vel moralis ſubſidio iuris indigeat; fruſtra quoque arguitur, quaſi ius publicum particulare ſolum voluntario iure conſtet; nam regitur etiam iure naturali eiusque principiis nititur, quod ni fallor iam dudum demonſtrauit Ill. Mauritius diſſert. de principiis iur. publ. indeque exſpecto, vt quisquam iuris publici vniuerſalis propria principia demonſtret, & tum mutabo ſententiam, aut ſi iſta oſtendi nequeant, neque noua rerum vocabula citra neceſſitatem inducenda erunt, ſed potius ea, quæ iuris publici vniuerſalis dicuntur, ſedibus ſuis reſtituenda, nempe politicæ prudentiæ & iuri gentium communi, quæ iuris gentium atque politicæ doctrinæ ſunt.

& iam ſatis abundeque factum ab illuſtri Hertio ICto Gieſſenſi (e).

CAP III.
DE
Differentiis iuris publici vniuerſalis a iure gentium, politica, notitia ſingularis Reip. & iure publico particulari.

§. I.

IUs Publicum vniuerſale *ſyſtematice* conſidera-

(e) Diſputat in *adducto loco* clariſſ. autor contra illuſtrem Hertium, illuſtre Iuris publici vniuerſalis lumen. Quemadmodum vero ipſe iam ad argumenta adducta reſpondit in *pecul. Epiſtola ad amicum iuſtas continente vindicias aduerſus nuperum Bibliothecæ iuris gentium Europaeæ editorem*; ita multa refutatione iam quidem ſuperſedere potero. Illud tamen vel binis verbis monere ſufficiet (I.) clariſſ. autorem eo ipſo, dum *ius gentium* a *iure naturæ* diſtinguit, illas ipſas obiectiones incurrere, quas contra ius publicum vniuerſale ſtruxit. Cum enim *ius naturæ* ſit *vniuerſale* & ſic ad omnium hominum actiones applicari poſſit, non apparet, cur non pro *diuerſitate obiecti* poſſit diuerſam denominationem ſortiri, & docendi cauſa inter ſe doctrinæ quædam diſtingui, licet alias nihil impediat, quo minus etiam in vno complexu ab aliis tradi poſſint. Methodus arbitraria eſt. Hinc factum, vt in denominatione ſimplici *iuris naturæ* ſubſiſtamus, ſi hominum ſingulorum, quatenus abſolute conſiderantur, non habito reſpectu ad rempubl, negotia ſecundum leges naturales examinemus; quod

quod ſi vero eadem principia ad integras gentes inter ſe agentes & controuertentes applicemus, *iuris gentium* denominationem accipit, vti ſuo loco demonſtratum eſt. Et denique ſi principia iuris naturæ ad ſtatum reipublicæ eiusque ordinem applicare intendimus, hanc partem *iuris publici vniuerſalis* nomine inſignire ſolemus. vtrobiq; idem ius naturæ, ſed quod propter diuerſum obiectum recte diſtingui poteſt. Dum itaq; clariſſ. autor ius gent. a iure naturæ ſeparare voluit, concedat neceſſe eſt, ius publ. vniuerſale ita ſeparatim quoq; tractari poſſe. Atq; ex his (II.) nunc patet, non recte ius gentium & ius publ. vniuerſale propter diuerſos reſpectus ab eo confundi. quamvis enim ex vno principio fluant, ſingula tamen ſuum peculiarem ſtatum ſupponunt, ſecundum quem ius naturæ quoque variat; alia enim eſt ratio iuris in ſtatu naturali inter gentes, & alia ratio iuris in ſtatu reipublicæ, vbi plane diuerſisſimæ concluſiones deprehenduntur, vt in ſpeciali parte oſtendendum erit. (III.) Præterea illud quoque animaduerto, clar. Autorem adhuc ſtare a partibus politicorum antiquorum, qui loco genuinæ Politicæ Prudentiæ, vel quæſtiones iuris gentium, vel iuris publici vniuerſalis tradiderunt, veram autem prudentiam politicam neglexerunt, quem defectum egregie ſuppleuit Illuſtr. Hertius *in elem. prud. politicæ*, ſimulque ab alienis in illa diſciplina abſtinuit. Denique (IV.) id potisſimum vrget, deficere hic fundamentum proprium ſeu principia huic diſciplinæ propria, quæ tamen non adeo longe petenda ſunt, ſi tantum conditionem ſtatus ciuilis paulo penitius intuebitur, & diuerſitatem negotiorum publicorum & priuatorum examinabit, quemadmodum etiam infra aliquod principium proprium ſubſtituendum erit vid. *cap. ſeq.* §. 4. Principium primum certe non mutatur, ſicuti nec in iure gentium, aſt nouus ille ſtatus hominum, ſcilicet ciuilis noua & peculiaria producit neceſſario iura, & quidem

ratum eſt complexus (f) legum publicarum vni-
ver-

dem in tanta copia & abundantia, vt non inepte illi faciant, qui hæc ſeparatim tractant, & oſtendunt, quod diuerſi reſpectus iurium diuerſitatem etiam poſtulent. Reuera itaque non videtur exiſtentiam huius diſciplinæ negare, ſed tantum illud vnice agere, vt oſtendat, non neceſſe eſſe, ſeparata doctrina hanc iuris partem proponere. Utut itaque in Pufendorffio non reprehendimus, quod hanc partem ſimul in *tr. de iure nat. & gent.* complexus ſit, ita nobis vitio verti non poteſt, quod ſeparatim illam tractemus, & ſecundum propria eiusdem principia ſtatui ciuili accommodata *actiones publicas* diiudicemus.

(f) Collectionem legum publicarum vniuerſalium, non quamlibet, ſed *congruam* & per modum artis exhibitam, & conueniente methodo exultam requiro. Neque enim huc referri poteſt collectio, in qua ſparſim tantum leges ſunt digeſtæ, vti in *iure publico particulari* faſciculi harum legum extant. Nam præterea & ſenſus legum genuinus eruendus, & applicandi methodus tradenda: Leges enim non ex verbis ſolum iudicandæ, ſed ex mente. Obiectum huius prudentiæ iuris ſunt *ipſæ leges vniuerſales*, tum recte *interpretandæ* tum *applicandæ*: Legum autem ipſarum publicarum obiectum eſt *ſtatus publicus generatim conſideratus*, quatenus quæritur, quid *iuſtum* vel *iniuſtum* ſit. Annon vero & negotia cum exteris peragenda hic ſimul obiectum legum publicarum conſtituunt, veluti belli, pacis, fœderum? Negat hoc Dn. Hertius *de iurispr. vniuerſ. ſect.* 2. §. 9. quoniam hæc ex alia iuris naturæ parte petenda. Quod concedi poteſt, quatenus negotia hæc abſolute ſpectantur, prout intercedunt inter liberas Reſpubl., interim quia ſimul reſpectum *ad civitatem* involuunt, dum ad ſecuritatem ciuitatis debent eſſe directa, ſuo modo
quo-

uerſalium conueniente methodo adornatus, ſenſum earundem genuinum, & applicationem prudentem, & quæ huc ſpectant, exhibens.

§. II. Præterea vero ſumitur etiam *habitualiter*, deſignans habitum (g) leges publicas vniuerſales recte intelligendi & prudenter applicandi, tranquillitatis & pacis publicæ gratia.

§. III.

quoque huc trahi poſſe videntur, vt tamen iuxta monitum Ill. Hertii hi diuerſi reſpectus non confundantur.

(g) Cognitio legum harum quidem omnibus hominibus ineſt, iisque quaſi *connata* videtur, aſt hoc de *principiis primis* & *communibus* eſt intelligendum, imo hæc *cognitio* eſt admodum *rudis* propter naturæ deprauationem. Quodſi vero hæc cognitio per manuductionem & diligentem meditationem excolitur, oritur inde in mente *habitus*, leges hasce innatas eo facilius & certius cognoſcendi, remotioresque concluſiones, quæ ex primis principiis oriuntur, ſolide diiudicandi. Vnde omnes homines quidem aliquam ſcientiam & cognitionem harum legum habent, ſed plerumque *rudem* & minus excultam, dum parum ſibi attendunt, & veritatem non ex ſe, ſed aliunde extra ſe addiſcere volunt; *habitum* autem demum illi poſſident, qui excultam cognitionem poſſident cum promtitudine, in quauis materia illas applicandi. Conſiſtit vero ille habitus in *ſenſu* accurato legum & *vſu* ſeu praxi. Non nudæ ſcientiæ gratia, ſed inprimis propter vſum iura nata ſunt. Qui itaque hoc habitu inſtructus eſt, dicitur *iuris conſultus*. Hodie quidem ex peſſimo quodam errore obtinere videtur, vt ICtos fere vnice ex *ſolida legum Romanorum cognitione* æſtimemus; quia ab antiquo creditum fuit, ex hoc iure omnem legum ſcientiam eſſe hauriendam,

 verum

§. III. Senſus ſeu cognitio (h) harum legum vniuerſalium per demonſtrationem certam & indubiam habetur & ſic per argumenta a ratione deſumta expeditur.

§. IV.

verum ſicuti in hoc ſenſu nemini ICti nomen denegamus, ita quoque qui harum legum prudentia inſtructi ſunt, ICti eo magis dici poſſunt, vel ſaltem *Iurispublici vniuerſalis conſulti*, cum ita aptiores reddantur, vt feliciores in iure poſitiuo faciant progreſſ9.

(h) Circa cognitionem legum naturalium hæc capita perluſtranda ſunt: (1) An detur aliqua demonſtratio a priori in hac diſciplina? (2) An utilis ſit, cum iam ius naturæ per ſe notum ſit. Prius membrum, *an detur aliqua demonſtratio in hac diſciplina*, negandum videtur ex argumentis, quæ ICtus Regiomontanus celeberrimus Theod. Pauli in tr. *de veris iuris & iurispr. principiis p. 2. q. 11.* adducit: Vrget (I) quod tot ſint eruditorum diſſenſus circa primum principium, & quod Dd. dum demonſtrare ius naturæ voluerunt, eius certitudinem amiſerint, (II) quod plerique non *veritatis* cupidine ducti ius naturæ tradiderint, ſed magis *oſtentationis* gratia, & ſic rationem iuris naturæ quæſiuerint, vbi ius omni ratiocinio longe eſt euidentius, vel vbi id, quod operoſe probare ſatagunt, a nemine, qui ſanæ mentis eſt, in dubium vocari poſſit. (III) Quod quæſtiones iuris huius non ſint diſputabiles, adeoque qui easdem in dubium vocat, non ratione ſed poena indigeat. (IV) Denique addit tandem eſſe ſubſiſtendum in aliquo Principio, ceu vltimo demonſtrationis termino. Verum quod pace viri eruditisſimi dixerim, ſubdubito, an ex his rationibus posſit concludi, non dari in hac diſciplina demonſtrationem. Primum argumentum enim facile reſolui poteſt, ſi modo attendamus, de

quo-

§. IV. Quemadmodũ vero in omni demonſtratione principium aliquod fundamentale conſtituendum, ex quo omnes reliquæ concluſiones prono alueo fluere debent, ita in iure publico vniuerſali itidem tale principium quærendum, quod ſummatim in eo conſiſtit: *agenda eſſe ea, ſine quibus pax & tranquillitas ſpecialis totius cor-*

quonam diſſentiant Dd. ſcil. de primo aliquo & fundamentali principio. Iam vero antea ſuppoſui, reuera pleroſque non diſſentire, ſed conceptus ſuos mentis tantum paulo aliter efferre, dum alii ſupponunt *ſocialitatem*, alii *amorem*, alii *amicitiam*, alii *pacem* &c. ſed hi omnes in effectu conſentiunt, & quilibet tantum ſtudet aptiori modo doctrinam hanc connectere. Deinde ponamus, adeſſe litem de primo principio, vti inter quosdam eſt, inde tamen non ſequitur, plane huius diſciplinæ non dari demonſtrationem, ſed ſaltem, *caute* circa hanc procedendum, ne amittatur veritas. Veritas ſine dubio & certitudo optima eſt in ſacris literis, quam tamen tot controuerſiæ Theologorum non euertunt. Alterum argumentum procedit quidem in primis iuris naturæ principiis, de quorum veritate ſatis conſtat, & hæc demonſtratione non indigent, quatenus non vocantur in dubium. Verum (a) demonſtratio non ſuſcipitur propter *leuiſſima* & *notiſſima iuris naturæ præcepta*, ſed propter *concluſiones remotiores*, quæ non æque cuiuis patent, vti notisſima principia. (b) Imo & leuisſima principia licet veritatem in ſe habeant, non carent controuerſiis, quas homines male ſani mouerunt, ad quos contundendos demonſtratione opus eſt. Quis dubiis ab Hobbeſio & Spinoſa motis absque demonſtratione reſpondebit? Tertium argumentum inter eruditos merit. proferri non debebat

corporis ciuilis conſeruari & vnio ciuilis contineri non poteſt. (i)

§. V. Applicatio legum publicarum ante omnia

bebat, cum dubia non poenis ſed ratione ſint retundenda. Quartum facilius admitti poteſt, cum in demonſtrationibus non fiat proceſſus in infinitum vltra propoſitionem fundamentalem, ſed in hac ſubſiſtendum. Cum enim intellectus noſter ſit finitus, non poteſt quis in demonſtrationibus adſcendere in infinitum, ſed neceſſe eſt, vt aliquando ſubſiſtat; atque ſic tamen nihilominus manet demonſtratio. Alterum caput *de vtilitate demonſtrationis* quod concernit, ex hactenus dictis apparet, absque hac quidem aliqua principia iam nota eſſe, cum ſint cordibus hominum inſcripta, ſed in *cap.* 1. iam ſuppoſui, hominem eſſe corruptum quoad omnes facultates, vt ſæpe ſui non conſcius, ſed quaſi ex ſomno excitandus ſit, hinc addidi, *manuductionem ſapientum requiri*, per quam norma cordibus inſcripta excitetur, & homo ad ſenſus internos intra ſe reducatur. Nulla melior autem manuductio dari poteſt, quam talis, per quam veritas rerum alicui ob oculum ponitur, id quod fit in demonſtratione.

(i) Fluit hoc principium vniuerſale ex ipſa *indole ſocietatis ciuilis*, & *fine omnium rerumpubl.*, ex quo in moralibus *ratio formalis* quæri ſolet. Sunt coetus ciuiles inprimis propter ſecuritatem publicam inſtituendæ ex ordinatione etiam ipſius DEI. In origine prima quidem ciuitatum vitium aliquod ſubeſſe poteſt, attamen poſtquam cœtus ciuilis ſemel conſtitutus eſt, & extra illum pax, ſecuritas & tranquillitas commode haberi nequit, rectius autem mediante imperio obtinetur, & ita actiones rerumpubl. huc inprimis tendere debent, non alia potuit ſubſtitui regula, quam quæ in ipſa theſi propoſita eſt.

Eſt

Eſt hæc ipſa ſubordinata principio *iuris naturalis in genere conſiderati*, de quo in *c.* 1. actum, quod ex ſpeciali ſtatu hominum peculiares ſuas conſequitur proprietates, quæ extra ſtatum ciuilem ceſſabant. Hoc principium dirigit iura imperantium & obligationem ſubditorum, imo & officium boni principis inſtruit, & cum ex natura & fine cœtuum ciuilium fluat, non poteſt non eſſe *verum, euidens* & *adæquatum*. Inſtas: *atqui hoc non eſt principium proprium, ſed illud ipſum vniuerſale, quod in omni iure naturali pro fundamento ponendum eſt, atque adeo tantum ſimpliciter applicatum ad ſtatum ciuilem*. Reſpondeo, eſt vtique hæc doctrina pars diſciplinæ *iuris naturæ, generatim conſideratæ*, atque adeo ſub eius prima fundamentali propoſitione etiam contineri debet. Quatenus itaq; hoc principium generale ſpeciatim ad ſtatum rerum publicarum applicatur, tunc magis naturam *concluſionis* induit, quod ex generali illo, *concordiam & pacem generis humani colendam eſſe*, fluit, & immediate deducitur, & ſtatui ciuili ita *peculiariter* applicatur, prout finis & ratio reipubl. id poſtulat. Nihil tamen impedit, quo minus *diuerſo reſpectu* principium primum & fundamentalis propoſitio *ſecundum quid* dici posſit, ſcilicet reſpectu illius doctrinæ, de qua *ſeparatim* agitur, cui hoc principium proprium eſt, poſtquam *ſpeciatim* ad cœtus ciuiles applicatur, & negotiorum publicorum expeditionibus *vnice* accommodatur. Sic eodem ſenſu principium iuris naturæ in genere conſiderati, *pacem eſſe ſeruandam*, recte aſſumitur pro primo principio in *iure naturali*, licet illud ipſum aliunde demonſtrari queat, & hoc intuitu *concluſionis* vicem ſubire videatur, reſpectu *doctrinæ moralis in genere*, quæ *felicitatem hominis* pro fundamento habet, ex quo fluit, *pacem eſſe ſeruandam cum aliis hominibus*. Et hoc ipſum decemuiri non ignoraſſe videntur, dum etiam in legibus XII. Tabb. fundamentalem legem publicam in hoc poſuerunt: *ſalus populi ſuprema lex eſto*.

(*k*) Ap-

mnia ſupponit notitiam (k) ſtatus publici & negotiorum publicorum.

§. VI. Præterea circa *applicationem* regulæ politicæ ſeu prudentiæ ciuilis (l) non ſunt negligendæ, ne alias quis laborare videatur contra commodum ciuitatis, ad quod ius publicum tanquam ad centrum ſeſe referre debet.

§. VII.

(k) Applicandum ius ad facta. Ergo vtriusque ſcientia requiritur, neque enim recte leges applicaueris, niſi facti notitiam accuratam habeas, hinc Imperator definitioni Iurisprudentiæ inſeruit *notitiam rerum humanarum & diuinarum.* Variant quippe negotia ex ſuis circumſtantiis, quibus non recte perpenſis iniuſtitia in applicatione committitur. Adeoq; ICto non deneganda inquiſitio in *naturam* & *indolem negotiorum*, quibus ius applicandum: veluti *de ſacris* diſputaturo incumbit naturam ſacrorum & negotiorum eccleſiaſticorum antea perſcrutari, cum alias definire nequeat, an & quatenus prædicatum *iuſti* ſubiecto inſit, niſi ſubiecti natura perpenſa fuerit. In hac doctrina de iure publico vniuerſali idem aſſerendum eſſe nemo negabit, adeoque naturam imperiorum & nexus ciuilis infra adhuc excutiendam exiſtimaui, ſicuti hactenus iam naturam actionum publicarum explicui. Fuſius hac de re egi in *diſſert. præliminari* ad Petrum de Marca *de concord. ſacerd. & imp.*

(l) Multa permiſſa ſunt, ſed non conducunt: multa ſecundum leges naturæ optime fieri poſſunt, ſed ſi fiunt, detrimentum Reip. afferunt, vel tollunt illam vnionem Reip. *Prudentia* itaque ſumma in *applicatione* opus, adeoque ICtus, hac prudentia deſtitutus, magis eſt *Rabula*, quam verus *ICtus*. Vnde apparet, quam amice *ICti* & *Conſiliarii* munus conſpiret. Si in iure priuato regulæ prudentiæ non ſunt negligendæ, multo

§. VII. Tandem quoque in applicatione ad particularia cuiuslibet reipubl. ſcita (m) reſpiciendum, quia vix vlla datur reſpubl. quæ ſolo hoc vniuerſali iure contenta ſit, ſed plurima etiam legibus fundamentalibus ſunt circumſcripta (n).

§. VIII.

multo minus ICtus illis carere poteſt in hac doctrina. Ex merito certe in iure priuato laudatur *iurisprudentia cautelaris*, cum ICti officium quoque ſit cavere h. e. conſilia ſuppeditare, qua ratione ſecure & absque damno illa, quæ iuris ſunt, applicari debeant. Fruſtra iurisprudentia nomen *prudentiæ* obtineret, ſi *regulas prudentiæ* in *applicatione* iuris ICtus ſequi non deberet. Et hoc ſenſu recte *prudentia* vocatur *ars vitæ* a Cicerone *lib.* 5. *de finib. c.* 6. cum hæc demum vitam & actiones hominum quascunque ſiue publicas ſiue priuatas inſtruat. Hinc eſt, quod dicitur, omnia ſubordinata eſſe ſaluti Reip.

(m) Sunt ſui cuilibet Reip. mores, ſunt leges, ſecundum quas regimen Reip. adminiſtrandum. Hæ libertati imperantium, quam alias habent, certos limites ponunt, quo *ius publicum vniuerſale* non mutatur, ſed *naturalis* reſtringitur *libertas*.

(n) Sunt hæ leges duplicis generis, *quædam* tantum illud confirmant, quod ius publ. vniuerſ. præſcribit imperantibus, cuius generis capita etiam in capitulationibus Imperatorum noſtrorum occurrunt *vid. art.* 1. & 37. *cap. Ioſ. Quædam* noui quid addunt, quo ipſo ius ſummi Imperatoris ex iure publ. vniuerſali alias ei competens, reſtringitur, qualia ſunt pleraque capita capitulationum. Quæ hic non ſunt definita, manent ſub regula huius iuris. Imo *iura ipſa* in quauis Republica ſunt fere *eadem*, adeoque horum naturæ ex *iure publico vniuerſali* deſumenda: ſed *modus*

§. VIII. Quamuis vero hæc tria, notitia ſtatus reipubl. ſingularis, politica, ius publicum particulare in applicatione huius diſciplinæ vſum habeant non tamen cum hac ſunt confundenda, ſed adhuc diuerſa ab hac diſciplina ſunt (o)

§. IX. Sic notitia ſingularis reipublicæ oſtendit hiſtorice & eruit peculiarem nexum certæ alicuius ciuitatis, occupaturque circa perſpiciendas & enucleandas rationes, quibus hæc vel illa ciuitas adminiſtratur. (p) Sed ius publicum tantum circa leges tum intelligendas tum applicandas verſatur.

§. X.

dus & *exercitium* in legibus particularibus tantum ſolet circumſcribi, ne Imperans vel *ſolus* exerceat, vel *omni tempore* vel *libere*, ſed *ſub certis modis.* &c. Ipſa ergo *natura horum iurium* addiſcenda ex *iure publico vniuerſali, exercitium* vero horum iúrium ex *particulari.* Ceterum quo *ſimplicior* populus, eo magis regnandi ratio petitur ex hoc iure. De Tartaris Præcopienſibus refert Ioach. Piſtorius *lib. I. hiſtor. Polon. plenioris p.* 58. *quod regnandi artes nonniſi a naturali iudicio & vſu magiſtro habeant, ſimplicitate legum & fide pactorum multis aliis populis ſuperiores.*

(o) Logica, Metaphyſica & Politica aliæque diſciplinæ, in iure priuato vſum aliquem præſtant, ſed tamen non ſunt ipſius iuris priuati *pars eſſentialis.* Ius publicum, particulare etiam pluribꝰ *adminiculis* indiget aliunde deſumtis, v. c. iure *canonico, feudali, hiſtoria, politica.* Quid mirum itaque, quod hæc quoque diſciplina alia adminicula in ſuos trahat vſus?

(p) Latius verſatur hæc *notitia,* quam *ius publicum.* Equidem hæc notitia itidem poteſt eſſe vel *generalis*

vel

§ X. Subinde quoque præſens diſciplina vnice iuris naturæ præcepta agnoſcit, ſed notitia Reip. aliunde petenda, plurimaque eo nomine ex actis publi-

vel *ſpecialis* ſeu ſingularis, vt *illa* nexum in genere ciuitatum abſtrahendo a rebuspublicis particularibus ſiſtat, ſed ſic a politica ſeu prudentia ciuili ſtricte dicta non diſtinguitur, quoniam huius officium eſt, *rerumpubl. faciem & conſtitutionem ſiſtere. Singularis* Reipublicæ notitia circa hanc vel illam ciuitatem verſatur, & particulares eius rationes, quibus adminiſtratur, refert Vtraque diſciplina verſatur circa idem obiectum, *ciuitatem* ſcilicet, ſed *diuerſo modo*; ius publicum vniuerſale quidem *ſub ratione iuſti*, ſeu quatenus ius naturæ ſtatum publicum dirigit, adeoque tantum leges enucleat: ſed *notitia* hæc *ſpecialis* intimam ipſius ciuitatis in indiuiduo conſideratæ *naturam* & *ſtatum* enucleat, in vires eiusdem inquirit, defectus & morbum non diſſimulat, & ſic quoque ipſas leges particulares publicas examinat, vtrum ſtatui ſint conformes, nec ne, originem omnium accurate inquirit, mutationes varias & earum cauſas exhibet, & quo euentu omnia in Republica ceſſerint, docet. Breuiter, hæc notitia non eſt mere *hiſtorica*, ſed *erudita*, vt loquitur Boecl. *de notitia S. Rom. Imp. lib. I. c. 1. inf.* h. e. politica, quæ non eſt cuiusvis hominis, ſed eorum, qui Reip. conſtituendæ & tractandæ intellectum habent, & ſubacto iudicio præditi ſunt, vt prætextus & colores a veris rerum cauſis ſeparare poſſint. Conf. Boecler. *diſſ. de notitia Reipubl.* Præclare ad hanc ipſam notitiam viam ſternit Dn. Hertius Diſſ. *de notit. ſingul. Reip.* vbi omnia adminicula & media ad talem notitiam perueniendi erudite, pro more, ſuppeditat. Conf. Conring. ad *Lamp. p. 3.*

publicis, antiquis monumentis, (q) propriaque experientia ſunt deſumenda, exactoque iudicio ponderanda.

§. XI.

(q) Notitia Rerumpubl. inprimis hiſtoriam pro fundamento habet. Quærendus enim eſt primus ortus Reipublicæ, incrementa, decrementa, mutationes, ſtructura eiusdem intima, & quibus nitatur ſubſidiis, aliaque, ex quibus animus ciuili ſcientia ſubactus, ſolidam, aliquam notitiam colligere poſſit, hanc enim, vt & ciuilem præterea ſcientiam præſupponimus, ne alias iudicium aliquod obliquum ex antiquis monumentis feramus, cum ſæpe contingat, vt rerum externarum ſpecie incauti decipiantur. Talem plerarumque rerumpublicarum Europæ hiſtoriam, ad ſcopum prudentiæ ciuilis contexendam, ſuſceperat Conringius, & priuatos intra parietes auditoribus ſuis propoſuerat, quam deinceps inſalutato autore, qui vltimam manum huic labori non addiderat, ſub titulo *theſauri rerumpubl. quadripartiti* edidit Oldenburger. Suſcepit proinde Illuſtris Hertius conſilium, vti promiſit in Diſſ. *de notitia ſingul. Reipubl.* §. 32. de opere hoc recomponendo, & addendis, quæ deſunt. Non parum etiam hanc notitiam promouent *memoriæ*, quas *memoires* vulgo vocant, quales plures exſtant. v. c. *Memoires de Rocheſort*, quæ concernunt miniſterium Richelii & Mazerini, *Memoires de la Cour d' Angleterre par la Comteſſe d' Aunois* 2. *vol.* 1695. *Memoires de Bellieure & de Sillery* 2. *vol.* 1696. *Memoires de Dupleſſis*, *memoires de Schwede* par Chanut, *Memoires de Marechal de Baſſompiere*, *Memoires de Buſſy Rabutin* &c. Conferunt quoque huc plurimum relationes Boteri, Sanſouini, Entis, Honorii, Belli &c. quæ ex inſtituto Venetorum natæ, quippe qui legatis ſuis in mandatis dare conſueuerunt, vt pendente legatione omnia, quæ ad mores ſummorum imperan-

§. XI. Quo magis vero politica cum hac diſciplina confundi ſolet, (r) eo maior cura adhibenda, vt limites vtriusque diſciplinæ exacte ponan-

perantium ſpectant, item adminiſtrorum & opes reipubl. ſcripto comprehenderent.

(r) Confuſio harum diſciplinarum diuerſarum plerisque politicis ſolennis eſt, de quo etiam conqueritur Huber *de iure ciuitat. l.* 1. *S. I. c.* 1. §. 14. vbi vnicum Lipſium excipit, quod nihil alieni admiſcuerit. Neque Boeclerus excipi poteſt, vti quidem putat Huber. *cit. l.* nam & plura, quæ iuris ſunt, immiſcuit. Iam ſuo tempore Grotius *de J. B. & P. in proleg.* §. 57. hanc confuſionem annotauit, & præcauendam eſſe cenſuit his verbis: *Temperaui me ab his, quæ alterius ſunt tractationis, vt quæ docent, quid ex vſu ſit facere, quia iſta ſuam artem habent ſpecialem politicam, quam recte ita ſolam tractat Ariſtoteles, vt alieni nihil admiſceat, contra quam fecit Bodinus, apud quem hæc ars cum iuris noſtri arte confunditur.* Et fatendum eſt, ICtorum ineptiam in culpa fuiſſe, quod diſciplinam iuris publici vniuerſalis ſibi vindicauerint politici. Cum enim ICti putarent, tantum ad forum ſuum ſpectare, quæ iuris Romani ſunt, adeo, vt etiam *ius publicum particulare* ad *politicam* quidam traherent & ICtis deſuper quæſtionem mouerent, politici hanc iuris partem tanquam derelictam occuparunt, quod & *ſcholaſtici Theologi* in ea parte iuris naturæ fecerunt, quæ priuata dirigit hominum negotia. Accedebat etiam hæc ratio, quod vtraque diſciplina circa *ciuitatem* verſaretur, & manus adiutrices ſibi inuicem porrigere deberet, ex quo facile confuſio ſequi poterat. Euoluas Althuſium, Arniſæum, Beſoldum aliosque, qui ſemper illa, quæ iuris ſunt, immiſcent. Quin & ipſe Hadrianus Houtuyn hanc diſciplinam *de iure publico vniuerſali*

nantur. In eo vtique conueniunt, quod vtraque circa ciuitatem occupata ſit, & optime inter ſe conſpirare poſſit. (s)

§. XII. Differunt vero in eo (I) quod ius publicum vniuerſale reſpiciat ciuitatem ſub ratione *iuſti*, politica vero ſub ratione *vtilis*. (t)

§. XIII.

edidit ſub titulo *Politicæ generalis*, hac ex ratione, vt *in præfat.* monet, quod *ciuitatem* concernat, & iuris ad ciuitatem pertinentis regulas contineat.

(s) In *applicatione* combinari optime poſſunt. Videntur huc collimaſſe ICti Romani, dum ius per artem *boni & æqui*, definivere, hoc indigitantes, ius quoque non tantum regulas *æqui* ſequi debere, quod quidem ipſius proprium eſt officium, ſed etiam in ſubſidium adhibere debere τὸ *bonum* h. e. *vtile*, quod ſæpe *bonum publicum* dicitur *l.* 1. *d. vſucap. l.* 13. *in f. ad SCt. Vell. l.* 13. §. 1. *de vſuſr.*

(t) Negotia publica vtrobique obiectum faciunt, ſed modus conſiderandi diuerſus adeſt. Aliud eſt, inquirere, *an hoc iuſtum ſit*, h. e. an ſaluis legibus naturæ à principe fieri poſſit? & aliud, *an vtile ſit*, h. e. an conducat & expediat: hoc ex *regulis prudentiæ*, illud ex *legibus Naturæ* diiudicabitur. Hac conſideratione temperantur ſæpe actiones publicæ, vt licet *iuſte* aliquid fieri poſſit, tamen illud paullatim ſuſpendatur, cum peculiaris ratio reſiſtat. Prædicatur vero, iuſtum de actionibus in ſenſu tum *aiente*, tum *negante*. Priori acceptione complectitur quicquid legibus naturæ præcipitur: poſteriori; quicquid iure naturæ non eſt prohibitum, & ita *facultatem moralem* agendi deſignat. Priori in ſenſu iuſtum ſemper ſimul vtile eſt, quia vnice pacem & tranquillitatem humani generis intendit, in quo vera vtilitas conſiſtit, & quicquid huic refragatur, ſimul eſt inutile, cum ſtatus & vin

vinculum humani generis eo ipſo tollitur, licet vtile, ſed *apparenter*, videatur. Præclare Cicero *lib.* 3. *de offic. quod turpe eſt, id nunquam eſt vtile, ne tum quidem, cum id, quod eſſe vtile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum vtile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt.* Ecquid enim *vtile*, quid *inutile* aliud eſt, quam *quod hominem conſeruat in ſua duratione vel non conſeruat?* Leges pacis ſunt ad conſeruandum vinculum humani generis, & eatenus dicuntur toti generi humano *vtiles.* Bonum enim quodlibet ex diuerſo conſiderandi modo dicitur *honeſtum*, ſi reſpectu ſuæ cauſæ *vtile*, ſi reſpectu ſuorum effectuum, quos producit, *iucundum*, ſi ratione fruitionis præſentis conſideratur. Iam omnes fatentur, leges naturæ eſſe bonas, ergo quoque ſunt vtiles, & ſic quicquid ab hoc tramite recedit, eſt quoque inutile h. e. ab arte recte viuendi alienum. *Vt enim medicina valetudinis, nauigationis gubernatio, ſic vinendi ars eſt prudentia.* Cic. *lib.* 5. *de finib. c.* 6. ſed ita quidem τὸ *vtile* & *iuſtum* non recte diſcernuntur, multo minus opponuntur. Sed circa actiones, prout *iuſtæ* dicuntur *in ſenſu negante*, ſæpe euenit, vt regulæ *iuſti* & *vtilis* inter ſe collidant, adeoque aliquid licite fieri poſſit, ſed non expediat propter varias circumſtantias, quæ impediunt, ne tale quid fiat. An vero hoc vel illud hoc ſenſu iuſte fiat, expendit ICtus: an ex vſu reip. illud ipſum ſit, politicus ſuggerit. Sic licite magiſtratus *perpetui* vel *temporarii* conſtituuntur, *indigenæ* vel *alienigenæ*, ſed hic rationes politicæ aliud determinare poſſunt: v. c. in Romana Rep. arcanum ſtatus publ. erat, habere Magiſtratus *annales*, item magis *extraneos* ad habenas Reip. admittere, quam ciues, ne hi, ad gubernaculum admiſſi, ſeditiones mouerent *l.* 3. *ff. de offic. aſſeſſ. l.* 10. *C. de aſſeſſ. & domeſt. l.* 1. *C. vt nulli patriæ ſuæ adminiſtr. permitt.* Quod ſi autem vtilitatis reſpectus cum iuſto in *ſenſu aiente* repugnat, tunc merito ille ſeponendus, quanquam *publicæ vtilitatis ſpecies præ honeſtate contemnatur*, vti conqueritur Cic.

 lib.

§. XIII. Hinc (II) regulæ prudentiæ ciuilis magis conſilia ſunt, neque adeo neceſſitant: (u) ſed regulæ huius iuris partim neceſſitant, partim legitimum ius agendi concedunt.

§. XIV. (III) Regulæ prudentiæ ciuilis magis probabilitate, fundantur, (x) adeoque in illis non ſemper demonſtratio datur, ſecus ac in iure naturæ publico.

§. XV.

lib. 3. de offic. Sic in plurimis rebusp. expediret, vnius imperio rempubl. adminiſtrari, quam populari, ſed inde nemini ius, rempubl. inuadendi, aut alio modo turbandi, naſcitur.

(u) Suggerit prudentia *media, quibus caute quis agere poſſit, cautioribus vtitur conſiliis, in poſterum prouidet, eſt omni ratione protectior*, vt ait Cicero *Philipp.* 13. *circa princ.* quæ ſiue quis adhibeat, ſiue non adhibeat, legis nat. regulas non violat, cum obligationem legis externam hæc præcepta non habeant. *Imprudens* eſt, qui conſilia ſana negligit, *cum pleraque in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus gerantur*, Tacitus *lib. XIII. annal.* Et tandem, ſi aliqua *obligatio* in regulis prudentiæ occurrit, hæc mere *interna* eſt, ſi alias conſilium ſit ſobrium, & alterius conſeruationem intendat. Sic princeps de *iure* ad ſuas leges non eſt adſtrictus, quamuis *regulæ prudentiæ* ſæpe contrarium ſuadeant, quia regis ad exemplum totus componitur orbis. Quando vxorem ciuicam virginem ducit, legibus naturæ nihil contrarium agit, peccat tamen ſæpe contra principia politica. Optime Cicero: *Iudex ſtatuit de præteritis, de futuris ſenatus.*

(x) Prudentia ciuilis quoad maximam partem hauritur ex *inductione rerum ſingularium*, ſeu *factorum & exemplorum*, quæ debent eſſe *certa, vera & plene intel-*

lecta

§. XV. Prudentia Ciuilis (IV) ſtatum publicum format, & formatum vel corrigit, vel conſeruat, adeoque hactenus quoque leges publicas commendat, mutat, temperat & corrigit, (y) ſed ſenſum earundem penitiorem & applicationem haud tradit, quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat.

§. XVI.

lecta. Prudentiam enim *longa vita & multus rerum vſus affert*, vt ait Dion. Halicarn. *lib.* 8. *c.* 28. Ex euentibus rerum variis variæ propoſitiones hauriuntur, quæ licet non omni ex parte ſint vniuerſales, quoniam futura, & inprimis euentus rerum ignorantur, tamen perquam probabiles eſſe ſolent, ſi ponamus, vix aliam rerum faciem in poſterum futuram eſſe, quam quæ iam antea ſæpe ita contigit. Et huius generis politicæ obſeruationes ſunt, quæ Forſtnerus, Berneggerus, Amelottus, aliique *ad Tacitum* collegerunt. Sed tamen & hæ propoſitiones fallere poſſunt, dum vel minima & occulta circumſtantia alium euentum producere poteſt; interim qui talem regulam prudentiæ adhibuit, prudenter verſatus eſſe dicitur, licet ex voto negotium non ſucceſſit. Optime Imperator Antoninus *lib.* 7. §. 49. philoſophatur: *præterita*, inquit, *recole, totque imperiorum mutationes. Inde licet & futura proſpicere, eiusdem enim generis omnino futura ſunt, nec poſſunt eorum, quæ nunc ſunt, modulum egredi.* Eadem repetit *lib.* 10. §. 27. *cogita*, inquit, *iugiter tecum, qualia nunc ſunt omnia, talia prius actitata, cogita & talia futura eſſe.*

(y) Nouit politicus, leges ad formandam & conſeruandam Rempubl. vtramque facere paginam, adeoque quales ſint ferendæ, an latæ emendandæ, an abrogandæ, an nouæ addendæ, conſultat. In ſpecie de iure publi-

§. XVI. Sic itaque (V) a prudentia Ciuili alienum eſt, iura imperantium & obligationem ſubditorum ex profeſſo (z) excutere, quippe quæ poſt conſtitutam demum & formatam ciuitatem expendit ICtus.

§. XVII.

publico vniuerſali politicus *obiter* quoque agit, quatenus cauere debet, ne conſilia eius eidem ſint contraria, ſed ſenſum eorundem intimum euoluere, ab inſtituto ſuo alienum eſſe nouit. Interim tam arcte ſæpe regulæ *prudentiæ ciuilis* cum his *iuſtitiæ* ſunt coniunctæ, vt diuelli non tuto poſſint; hinc ſicut ICtis non inuidetur, ſi regulis iuſtitiæ quoque addant reſpectum vtilitatis; ita Politicis quoque non ſemper inuidendum, ſi iuſti reſpectum aliquando admiſceant, quatenus id *obiter* fit. Oſtendit itaque Politica, nihil eſſe temere in republica tentandum, quod legibus publicis vniuerſalibus repugnet, quæ autem tales ſint, ex hac diſciplina deſumit, & ſæpe ad forum ſuum applicat, vti ICtus principia politica. Suadet prudentia ciuilis iuſtitiam, legum culturam, ſed quomodo hæc obtineatur, huius diſciplinæ eſt.

(z) Opponitur: *iura hæc ad curam regiminis publici pertinere, hanc ad prudentiam ciuilem referri debere.* Sed politicus iura non euoluit, aut explicat, ſed quid circa exercitium iurium conducat, docet. Porro obiicitur: *hos duos reſpectus vtilis & iuſti non poſſe ſegregari.* Imo vero poſſunt, *diuerſo conſiderandi modo*, ſi principia conſideres, ex quibus ſingulæ concluſiones hauriendæ, licet in *applicatione* vtriusque reſpectus ratio habenda ſit. Denique contendunt quidam, *rempubl. potiſſimum conſtitui ex nexu imperantium & parentium, hunc autem nihil aliud eſſe, quam ſeriem iurium imperantis & ſubditorum obligationum? Ergo cum nexus hic ad prudentiam ciuilem ſpectet, merito quoque conſideratio horum iurium ab hac diſciplina*

non

§. XVII. Quo ipſo quoque nunc ſatis hæc diſciplina diſtinguitur a *ratione ſtatus*, quam vocant, quæ media ſuggerit, quatenus ſtatus publicus in illo ſtatu, in quo felicitatem ſuam quærit, conſervari poſſit (a).

§. XVIII.

non videtur aliena. Verum diſtingui poteſt inter *generalem* aliquam *ſuperficiariamq;* huius nexus conſiderationem, quam in prudentia ciuili admittimus, quatenus ſtatus publicus inde efformatur, hunc ſcilicet in finem, vt conſilia ſobria & ſalutaria poſſit ſuggerere, & de mediis conſultare, quod vix aliter, quam cognito nexu reipublicæ, fieri poteſt; & inter *penitiorem ſolidioremque* horum iurium pertractationem. Hæc ad diſciplinam iuris ſpectat, ſufficitque adeo politico pro ſcopo ſuo, vel digito oſtendere iura principis.

(a) Reuera itaque *ratio ſtatus* ex principiis prudentiæ ciuilis fluit, adeoque exinde quædam deducta concluſio eſt. Quilibet homo conſeruationi ſuæ ſtudet, & illius ſtatus appetit confirmationem, in quo ſecuritatem & felicitatem quærit. *Status* vero *ratio*, quatenus ad Rempubl. ſpectat, denotat *ſolertem indagationem mediorum, quæ ad conſeruationem tendere poſſunt*. Hæc vero media variorum conſiliorum anſam præbent, quorum anima inprimis in *applicabilitate*, vt ita loquar, quærenda, ſine qua frigent. Plura huiusmodi conſilia e Doctorum muſeis hactenus prodierunt, quæ tamen vtplurimum inania & ieiuna deprehenſa ſunt, poſtquam negotiis publicis expediendis raro interfuerunt, & vtrum ad praxin deduci poſſint, haud ponderare potuere, id quod conſilia paſſim edita in libellis de *ratione ſtatus imperii noſtri* ſatis probant. Nam *applicabilitas* acquiritur ex notitia humani generis intima, & negotiorum publicorum, vnde animus inexercitatus hic reuera eſt ineptus.

 (b) Ita

§. XVIII. A iure gentium ſtricte dicto quomodo differat hæc diſciplina, iam cap. antec. dictum.

§. XIX. Denique a iure publico particulari hæc differentia ſupereſt, quod vniuerſale ad omnes ciuitates ſe extendat, particulare vero in ſingulis populis variet, ac ſuccinctius alibi, alibi diffuſius ſit. (b)

§. XX. Quemadmodum vero ius ciuile priuatum aliquid addit, vel detrahit iuri naturæ, (c) ita

(b) Ita rem totam complectitur Dn. Hertius *diſſ. de iurispr. vniuerſ. S.* 2. §. 5. vnde ſequitur (1) particulare poſſe mutari vel *expreſſe*, vel *tacite*, mutato ſtatu Reipubl. (2) Nec ex rationis dictamine dependere, quamuis non debeat eſſe contra rationem. (3) Ad hoc obligari imperantem per modum pacti ſpecialis. (4) Alii reip. non æque applicari poſſe. (5) Sæpe incertum eſſe poſſe, adeoq; demonſtrationem talem non admittere, quæ omnia ſecus ſunt in vniuerſali. Quo magis autem receditur a liberrima & abſoluta regnandi poteſtate, eo magis creſcit ius publicum particulare, quia eo magis reſtringitur libertas principi, vel imperanti competens, imo quod optime obſeruat Dn. Hertius *cit. l. quo magis reſpubl. ſubiacent hierarchiæ papali, eo magis ius publicum particulare creuit*, & intricatius factum ob tot controuerſias, quæ ſeculari poteſtati motæ fuere. Ceterum ex quibus ſingularum rerumpubl. iura particularia publica hauriri debeant, præclare oſtendit Maurit. *de princip. iur. publ. cap.* 2.

(c) De iure priuato ciuili hoc traditur *in l. 6. ff. de I. & I.* Scilicet ius naturæ in complexu ſuo eſt admodum *generale* & *ſimplex*, neque adeo magnum apparatum ad

ad ſui obſeruantiam requirit, ſed *ſufficere poteſt, vbi ſimplicius viuitur*. Quo ſimplicior vita in rep., eo ſimpliciores leges, quia mores ſimplices leges plures non requirunt. Germani priſci in magna ſimplicitate viuebant, nec multis ambagibus legum indigebant, multo minus illæ ſubtilitates apud eos notæ erant, quæ penes luxurioſos Romanos. Tacitus *lib.* 3. *annal. p.*94. ipſe fatetur, leges *primitus rudibus hominum animis ſimplices fuiſſe*, neque de patriarchis legimus, quod vllas leges alias agnouerint, quam ſimpliciſſimas iuris naturæ. Aſt poſtquam luxus ambitioue corrupit Respubl., multa his præterea ſunt *ſuperaddita* ex ſeculi vitio, multa *detracta*. Vti mores legislatoris compoſiti ſunt ad luxuriam & ambitionem, ita ſeſe habent leges. Etenim iuris naturalis præceptis addunt plura ſolennia, quæ *additamenta iuris ciuilis* a naturalibus præceptis ſemper caute ſeparanda, vt, quid *naturale* in iis ſit, quid *ciuile* recte diiudicari, & vnumquodque ex ſuis *propriis principiis* explicari queat: *naturalia* quidem ex hac noſtra doctrina, *cetera* vero, quæ hiſce ſuperaddita ſunt, ex ratione ſtatus ciuilis. Deinde quoque quædam addit per vlteriorem determinationem, quæ iure naturæ indeterminata relicta, ſed eo ipſo, quo ſub nullitatis pœna eidem aliquid addit, ſimul detrahit, cum ita obligationi detrahitur aliquid, vt valere non poſſit, ſi *additamentum ciuile* deficiat, imo eo ipſo detrahere videtur, dum naturali præcepto non aſſiſtit. In iure particulari publico ſimilia deprehenduntur: ſi ſimplicius iura vniuerſalia obſeruarentur, publica ſalus eſſet ſatis tuta, ſed dum plura detrahuntur, dum adduntur, male cohærens vtplurimum, & ægrota inde oritur facies reip. Imperantis poteſtati ſi aliquid detrahitur, ille ordinarie contra niti ſolet, proceres ſuam libertatem tueri, inde confuſio rerum, vel internæ pacis defectus. Si plura ſolennia adduntur negotiis publicis, impedimenta plura oriri ſolent, & alia mala, ad exhauriendas totas prouincias apta. (d) *Ne-*

ita quoque ſuo modo dici poteſt de iure particulari publico, quod vniuerſali aliquid addat vel detrahat; *hoc* quidem, dum circumſcribit poteſtatem imperantium, *illud* vero, dum rationes exercendi ſummam poteſtatem vel alia iura deſcribit, & quibus cum ſolennitatibus exerceri debeant, docet.

CAP. IV.

De neceſſitate & vtilitate huius doctrinæ.

§. I.

Neceſſitas huius diſciplinæ eſt eadem quæ iuris naturæ in genere, hæc vero doctrina eſt neceſſaria hypothetice (d) quia ſtatus corruptus & ciuilis legibus coactiuis dirigitur, vbi vero legibus poſitiuis omnia diiudicantur, naturales cognitæ eſſe debent, tanquam fundamentum legum ciuilium (e.)

§. II.

(d) *Neceſſitas hypothetica* ſupponit certum *ſtatum*, pro cuius exiſtentia aliquid neceſſarium eſt. Iam *cap. I.* dedimus deſcriptionem ſtatus corrupti, quod ſit *legalis* h. e. frenis legum conſtringendus, ne malitia humana erumpat, licet homo inde non reddatur interne melior. Porro oſtenſum, ad hoc vtiles eſſe ſocietates ciuiles, vt eo ſecurior ſit vita, & in illis negotia alia priuata, alia publica eſſe facta, hæc negotia denique dirigenda eſſe legibus ſiue naturalibus ſiue ciuilibus: ſi itaque in ſtatu corrupto negotia legibus *poſitiuis* & *naturalibus* diiudicanda ſunt, neceſſaria eſt cultura legum naturalium.

(e) *Naturales* ſunt fundamentum legum poſitiuarum vel.

§. II. Et cum tota reipubl. ratio legibus contineatur, omnia vero poſitiuis definiri nequeant, (f) vtique illa, quæ non ſunt determinata legibus ciuilibus, ex iure naturæ ſunt decidenda.

§. III.

vel, vt Cicero *lib.* 1. *de LL.* loquitur, *ſtirps omnis iuris a natura* (1) quia humanum vinculum adhuc durat in ciuitate, ergo & leges naturales, (2) quia iuri naturæ plura adduntur a iure ciuili, inde vtile eſt, vt additamenta ciuilia internoſcere queamus ab iis, quæ naturalia ſunt, (3) vbi iuris ciuilis deficit definitio, ibi iuris naturalis diſpoſitio defectum ſupplet. Denique (4) *legem bonam a mala nulla alia niſi naturali norma diuidere poſſumus*, vt ait Cicero *lib.* 1. *de Legib.*

(f) Confitentur hoc ipſum ICti Romani in *l.* 10. *ſeqq. de LL.* & experientia quotidiana in praxi teſtatur. Neque aliunde deciſio peti poſſet, cum, quid iuſtum & iniuſtum ſit, h. e. quid alteri ab altero debeatur, in rep. ex legibus decidi debeat. Si dicis, ex S. ſcriptura poſſe hunc defectum ſuppleri, reſpondeo: aut ſcriptura præcepta iuris naturalis tradit aut præcepta virtutis. priori caſu manet adhuc theſis vera, quod ex iure naturæ illud ſupplendum ſit, cum ius nat. eo ipſo non mutetur, quod in ſcriptura ſacra contineatur. Poſterioris generis præcepta huc non pertinent, quæ internam hominum emendationem reſpiciunt atque per modum legum applicari nequeunt, alias *Cæſaropapia* inde oriretur. Et, ni fallor, prima fundamenta Hierarchiæ papalis inde iacta ſunt, quod Pontifices omnia, quæ in ſacris occurrunt, præcepta, *vnius generis* eſſe, & ita vno eodemque modo applicari debere crediderint, quia ſic factum, vt *præcepta virtutis*, omnis coactionis expertia, a clericis per metum externum & pœnas hominibus inculcari cœperint. Si dicis, iudex tamen bene facit, ſi non ſecundum leges, ſed etiam ſecundum doctri-

§. III. Plura quoque in legibus ciuilibus ſunt diſpoſita, quæ nil niſi concluſiones ex iure naturæ ſunt, (g) & proinde non demum ex ciuilibus legi-

ſtrinam Chriſti pronunciat, regero, poſſe quidem iudicem *adhortari* partes ad concordiam, ad amicabilem compoſitionem iuxta monitum Pauli 1. *Cor. VI*, 1. *ſeqq.* ſed eosdem *cogere* nequit, vt deſiſtant a lite. Sic poteſt *dehortari* vindictæ ſtudium, & patientiam *ſuadere*, ſed ſi actor nolit, permittere debet actionem iniuriarum, poteſt inducere omnibus modis diuitem, vt potius pauperibus, quam alii haud indigenti donet, ſed ſi contrarium factum, donationem reſcindere nequit, & quis omnia recenſeret? Cauendum itaque eſt, ne, dum omnia ex S. literis hic ſupplere volumus, illa, quæ in *mera obligatione interna* fundantur, in coactionem quandam externam & debitum perfectum conuertamus, vnde craſſiſſimus Papismus ortus. Reuera enim Pontifex omnia ſua v. c. denunciationem illam euangelicam, matrimoniales cauſas, vſuras, iuramenta, eccleſiaſticam pœnitentiam &c. ex ſacris literis repetit, ſed eo ipſo peruertit, dum in *remedia ciuilia* conuertit, &, vt dictum, etiam illa, quæ vnice ad emendationem mentis ſpectant, his mediis externis inculcare ſatagit. Sicuti enim ICti ſecundum leges Romanas iudicarunt, ita patres crediderunt, ſe ſecundum ſcripturam S. iudicare, & idem iudicium exercere debere, vnde etiam ſemper in canonibus & decretis *dicta ſcripturæ ſacræ* allegantur, cum tamen Chriſtus haud fuerit legiſlator, nec doctrinas *per modum legum* propoſuerit, & conſequenter per modum legum applicari haud debeant.

(g) Ipſa iuris Romani compilatio plurimas eius argumenti leges continet, quia integræ doctrinæ ibidem apparent, quæ ex meris principiis naturalibus dependent,

legibus addiſcenda, ſed ex proprio foro petenda, ne in morem imperitorum gloſſatorum ineptiamus. (h)

§. IV. Quod in genere de neceſſitate huius diſciplinæ verum eſt, id ſine dubio quoque verum erit de eius parte, h. e. iure publico vniuerſali, quia etiam hæc omnia, quæ dicta ſunt, ad leges publicas particulares applicari poſſunt. (i)

§. V.

dent, vti ex *materia contractuum* conſtat. Eſt enim in confeſſo, fuiſſe ICtos Romanos æqui bonique callentiſsimos, & cum leges poſitiuæ admodum *pauca* ab initio eſſent, vel etiam *obſcuræ* & *duræ*, plura a ICtis ſuppleri cœperunt ex iure naturali, & hoc intuitu Imperator confitetur, ius priuatum Rom. collectum eſſe ex principiis etiam naturalibus. Cum itaque deprehendamus, ICtos ſæpe ſolius iuris naturæ ſecutos eſſe præcepta, quis recte eosdem interpretabitur, niſi qui hac diſciplina inſtructus eſt?

(h) Irridemus hodie gloſſatores ineptos, qui pro ruditate ſeculi nullo modo huic ſtudio operam nauauerunt, adeoque ſæpe tam turpiter ſe dederunt, vt nil niſi ineptias protulerint. Interpretem decet, omnia ex *rationibus adæquatis* deducere, hæ vero ſunt vel *ciuiles*, vel *naturales*, prout nimirum leges vel mere poſitiuæ ſunt, vel ex principiis naturalibus deductæ. Illæ petuntur ex hiſtoria ciuili & ſtatu reip., hæ vero ex noſtra diſciplina, qua ſi ſatis inſtructus eſt interpres, facillime genuinum legis ſenſum indagare poteſt, & hoc eſt demum, *vim & poteſtatem* legis eruere. Præterea ratio in legibus plerumque omittitur, vel non raro *inadæquata* & *ſecundaria* adſtruitur. Hoc vero diiudicare & veram rationem adferre, eſt interpretis, ſolidis fundamentis iuris naturalis tincti.

(i) Scilicet (1.) etiam hoc ius vniuerſale manet fundamen-

mentum legum publicarum particularium, cum in rep. quoque maneat vinculum humanitatis inter ſubditos & imperantem. (2.) Plura legibus publicis non ſunt definita, quæ ex hac diſciplina ſunt decidenda, quod inprimis in illis imperiis verum eſt, vbi imperantis poteſtas valde adſtricta & alii coimperantes in conſortium aſſumti, vti in noſtro imperio, nam ibi ob potentiam omnium fere æqualem magis renitentia ſeſe exſerit, ne Imperator contra voluntatem ſtatuum aliquid tentare poſſit. Plura quidem ſunt definita in noſtris legibus publ. ſed plura non aliunde definiuntur, quam ex hac diſciplina. (3.) Omnium iurium *indoles* & *natura*, ex hac diſciplina peti debet etiam in iure publico particulari, licet *modus* & *exercitium* aliunde definiatur. Experta eſt Germania ſummo cum detrimento ruditatem antiquorum ICtorum. Nam quæ non erant definita legibus publicis, ex *iure Romano* ſæpe inepte explicare voluerunt, imo, quod mireris indolem iurium ſummorum, non aliunde quam ex *iure Romano* vel etiam *Canonico* rectius haberi poſſe arbitrati ſunt. Vnde Pontificii tempore Ludouici Bauari contra Cæſares pugnauere, ex iure Canonico, qui a Cæſaris partibus ſtabant, ex iure Romano, quo nihil ineptius excogitari potuit. Quæ enim in iure Romano reperiuntur principia huius diſciplinæ, non inde petenda & obtorto collo applicanda, ſed ex proprio foro. Tractatus hinc inde eo tempore *de poteſtate ſacra & ſeculari* conſcriptos tribus voluminibus nobis conſeruauit Goldaſtus *de Monarchia Imperii*, vbi rarius aliquid ſolidi apparebit; ſed pleraque ex more illius ſeculi autoritate legum Romanarum vel Canonum ſunt confirmata. Denique (4.) plura quoque in legibus publicis particularibus reperiuntur, quæ ſunt concluſiones ex hac diſciplina & ſic itidem non recte intelliguntur, niſi hac diſciplina animus bene ſubactus fuerit.

(k) Rem-

§. V. Et cum rerum publicarum origo unice ſtatui corrupto adſcribi debeat,& ſic quoque per leges conſtituatur, dirigatur & conſeruetur, maior certe erit neceſſitas huius diſciplinæ, (k) cum poſitis legibus, neceſſitas culturæ legum ponatur, quæ eſt ipſa iurisprudentia, quatenus pro *arte iuris* ſumitur.

§. VI. Imo hæc diſciplina in Academiis eo magis tractanda eſt, cum hi, quibus aliquando cura Reip. ſimul tradenda eſt, in hoc loco inſtrui & animus eorum eis doctrinis præparari debeat, quæ ciuilem tranquillitatem promouent. (l)

§. VII.

(k) Rempublicam Iudaicam in exemplum trahamus, quæ pluribus fuit circumſcripta legibus tam publicis quam priuatis. Enimvero quis crederet, nullum hic quoque legum publicarum vniuerſalium adfuiſſe vſum? Eo prudentius adornata tunc fuit respubl., quo ſapientior eius Præſes, ſummum Numen, & hinc eo ſanctiores quoque & ſimpliciores omnes leges, quales etiam ſunt ipſa ſcita naturalia. Sed in noſtris rebuspubl. tot corruptionum ſemina occurrunt, vt Deo gratiæ eſſent agendæ, ſi ius publicum vniuerſale eo, quo debebat, modo obſeruaretur.

(l) Hæc eſt ratio ipſius Racheli in *otio Nouiom. ſ. introd. ad ius publ. c. 6. p. 28. ſeq.* quam his verbis inculcat: *Quia in examinandis vel decidendis controuerſiis publicis nullius iuris maior vſus vel autoritas, quam naturalis, ideo ſaltem non minori aſſiduitate & ſtudio illud, quam ius priuatum excolendum eſt. Quo enim magis quisquam in illo profecerit, hoc ad publicas priuatasq; cauſas recte diiudicandas iurisque publici vſum aptior erit, vt magna laude digni ſint illi principes, qui etiam ius*

natu-

§. VII. Contra hanc neceſſitatem vrgetur, ius naturæ eſſe incertum, & medium illud cognoſcendi, ſcilicet rationem, eſſe corruptam. Verum certitudinem eius ſupra iam adſtruximus, neque ratio tam corrupta dici poteſt, (m) vt hæc generanera-

naturæ in ſuis Academiis doceri inſtituerunt. Quo rudiores ſunt principis adminiſtri, eo peiori ſtat respublica loco. Principes non raro ſuis affectibus reguntur & potentiæ indulgent: miniſtrorum itaque eſt, principi iura ſua & obligationem ſimul ob oculos ponere & quibus ſalus populi contineatur legibus, non diſſimulare. Theopompus Rex Spartanorum quærenti, *quænam ratio ſeruandi regni eſſet*? reſpondit, *ſi iuſtam dicendi libertatem princeps amicis permittat.* Ferdinandus II. in ſcheda quadam poſt mortem eius reperta, ita ſcripſerat: *canes mutos in conſilio non probare, qui nempe autoritate cuiuspiam ſe abripi ſinunt in ſententiam, quam alioqui non probant* Io. a Chokier *theſ. polit. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 7. Sæpe principes controuerſias, quas cum ſubditis, ciuitatibus, aliisque collegiis habent, ſuis miniſtris committunt, vt ſua ſententia dirimant tanquam arbitri, quomodo autem apte hic decidere poſſunt litem, niſi in Academiis eorum animus hac diſciplina tinctus fuerit?

(m) Quæ ad internam hominum emendationem ſpectant, ſæpe diuinius lumen requirunt, ſed quoad illa, quæ ad externum hoc vinculum humani generis dirigendum ſpectant, *ratio naturalis* lumen ſatis idoneum eſt. Prout obiectum cognoſcibile eſt, eatenus lumen, mediante quo cognoſcitur, comparatum eſſe debet. Crasſiora in rebus naturalibus lumen aliquod acutisſimum & perſpicacisſimum in vidente non requirunt, ſed tantum ſubtiliora & acutiora. Diuina vtique diuiniori lumine percontanda, quia

neralia fundamenta, quæ huc ſpectant, aſſequi nequeat, maxime vbi ratio haud irritata (n) ab affectibus iudicat. (o)

§. VIII.

---

quia in hiſce *ſola ratio* non ſufficit, licet non leuia aſſequi valeat, ſed quæ hanc hominum tranquillitatem externam firmant, crasſiora ſunt, vt lumine naturali ſatis posſint cognoſci.

(n) Lumen naturale inprimis corrumpitur affectibus, quando vero in *theſi* iudicamus de *iuſto* & *iniuſto*, ordinarie vacui ſumus affectibus. Simile quid occurrit in aquis, quæ, ſi nullo grauiori motu concutiantur, pellucidæ & clarisſimæ ſunt, vt obiecta in illis repræſentari posſint; ſin turbatæ & motu vehementi quasſatæ, puriorem faciem ſuam amittunt, neque commode obiecta obuia repræſentant.

(o) Sunt quidem, qui vrgent, ne quidem legem per Moſen reuelatam ſufficienter fuiſſe intellectam quoad *interiorem ſanctitatem*, adeoq; optimum legis huius interpretem Chriſtum in carnem veniſſe. Verum cogitandum erat, de *interiore ſanctitate* legum reſpectu Dei *in ſtatu ciuili* diſſeri non poſſe, ſed hæc eſſe *monita*, quæ cuiusuis hominis internam correctionem tangunt, ad fora autem ciuilia, quæ de *externis* iudicant, ſpectare nequeunt, quin quod ob ſtatum corruptum leges aliter ferri & applicari nequeant, quam quatenus in *externa* acquieſcunt *obligatione*. Quæ ad internam ſpectant, vtique *commendanda, ſuadenda* & *docenda* ſunt, ſed illa ad forum non ſpectant, ſed alterius ſunt diſciplinæ. Dicis: atque ita inutilis eſt hæc doctrina, cum hominem non corrigat; concedo eo reſpectu, vt legibus naturalibus ſalus æterna non posſit obtineri, ſed tamen vtilis eſt ad *ſalutem externam*, quam

§. VIII. Porro vrgetur, doceri quidem, ius naturæ ex voluntate Dei propendere, ſed tamen multa inde deduci, quæ voluntati Dei aduerſa ſunt, (p) v. c. quæ verbo reuelato aliter ſunt reuelata; Deum autem non poſſe contraria velle. Verum id ſi fiat, culpa ſæpe eſt quorundam hominum, non ipſius iuris, qui hoc iure non raro abutuntur ad ſuas malitias tegendas. Deinde quoque aliud eſt, an ex iure naturæ hoc vel illud cognoſci negetur, (q) & aliud, an ius naturæ aliquid præcipiat & vetet, quod directo ſit contra voluntatem Dei, quod negatur.

§. IX.

interim, cum homines mali ſunt, eadem ratione quærere debemus, qua frena imponimus beſtiis & furioſis, ne amplius noceant. Per leges nunquam intendimus homines *pios* facere, ſed *quietos*, *tranquillos*, *ſociabiles*.

(p) Non poteſt negari, quosdam ſingulari Dei permisſione in ſenſum reprobum fuiſſe actos, vt quæuis ſcelera ex iure naturæ defenderent, & quid mirum, cum etiam Theologi non raro opera carnis ex S. literis defendant: ſed quis inde vtilitatem, necesſitatemque ſacrarum literarum vellet negare? Ubique ſunt extrema vitanda, ne omnem necesſitatem negemus, neque eam nimis extollamus.

(q) Quæ iure naturæ *permiſſa* dicuntur, hoc ſenſu capienda, quod non ſint contra leges naturales, vel rectius, quod ius naturæ primario ad illa negotia non pertingat, atque ex iure naturæ decidi non debeant, ſed potius ex regulis *officiorum humanitatis*, vel in genere *pietatis internæ*. Neque enim, ut ſæpe dictum, ius naturæ ad omnes ſpectat actiones,

ſed

§. IX. Alii dicunt, ius naturæ, licet gentiles eo vſi fuerint, tamen inter Chriſtianos excolendum non eſſe, quippe quibus lumen diuinius datum ſit. (r) Sed id ad Chriſtianos, qui ethnice viuunt, applicari nequit, alioquin & leges ciuiles eſſent eiiciendæ ex Chriſtianismo.

§. X.

ſed ſuum habet circumſcriptum forum, ultra quod non progreditur. Inepti ſunt, qui de iuſto vel iniuſto illarum actionum, quæ ad ius naturæ non ſpectant, quærunt, dum potius ad aliam normam exigi debeant. Vnde tales actiones ſatis emphatice & conuenienter vocari ſolent *non iniuſtæ*, ſeu quod, quia lege naturali de iis non diſponitur, non poſſint dici *iuſtæ*, aut *iniuſtæ*, ſed quod reſpectus *iuſti* & *iniuſti* ad eos non pertineat. Hinc nemo de iure naturæ violato conqueri poteſt, qui iure permiſſo vtitur. Sic itaque, infers, ad minimum ius naturæ eatenus, quatenus *iura*, ſeu *facultates morales* tradit, erit repudiandum. Sed nec hoc quidem inde fluit. Viuimus in ſtatu corrupto, in ſocietate humana, vbi quilibet alterius ſorte debet eſſe contentus, ſi tranquillitatis & pacis ius non lædat, quæ præterea agit, hactenus pro *licitis* INTER HOMINES haberi debent, & ſuos effectus INTER HOMINES ſortiuntur, licet poſſint eſſe contra voluntatem Dei. Quo ipſo tales quidem peccant contra Deum, ſed proximo ſuo iniuriam non inferunt. Quatenus autem hæc amori & voluntati diuinæ *alio reſpectu* aduerſari videmus, eatenus *doctrina*, *adhortationibus*, aliisque *ſuadendi mediis* alter inducendus, quæ ſi inſuper habeat, habebunt actus hi ſuos effectus *iuris* INTER HOMINES, vt cogi, puniri, vel ad quid præſtandum adſtringi in foro nequeat.

(r) Qui talia opponunt, in ea ſunt opinione; quaſi ius

§. X. Ex deducta neceſſitate iam eius vtilitas per ſe patet. Nam (1.) conducit hæc diſciplina, vt ius publicum particulare inde ſolide interpretari & quid iuris ſingulis in Rep. competat, docere poſſimus.

§. XI.

naturæ ideo in Academiis tradatur, ut homo exinde ad *internam* & *externam felicitatem* adſpirare queat. Sed ſi qui ſunt, qui hoc tradunt, in eo limites huius doctrinæ tranſcendunt. Nihil vlterius operatur ius naturæ, quam leges ciuiles in Republ. Tolle has & habebis diſſociatam multitudinem & bellum Hobbeſianum. Vnde non negandum eſt, illos lumen diuinius ſequi, neque ſolo iure naturæ viuere debere, qui volunt eſſe Chriſtiani. Sed (1.) quæritur, an propterea ius naturæ, & eius cultura ſit intermittenda. Viuimus cum Chriſtianis, qui ethnico more viuunt, & qui legum freno ſunt compeſcendi, quales qui ſunt, non audiunt ſæpe in Republ. leges manſueti Chriſti. (2) ſi hoc argumentum valeret, leges quoque ciuiles eſſent eliminandæ, quia neque ex LL. ciuilibus quis intime bonus redditur, quamdiu autem (3) legibus ciuilibus operam dare debemus, tamdiu cultura iuris naturæ non eſt negligenda. Neque (4) ius naturæ ad alium eſt excolendum finem, quam vt, quomodo ſuum cuique ſit tribuendum inter homines, *remediis ciuilibus* in foris externis, inde diſcamus. Decipitur, qui putat, ſe ex iure naturæ velle ſalutem æternam conſequi, ſed non decipitur, qui dum videt, ſe legibus incumbere debere propter ſtatum corruptum, in hunc finem ius naturæ explicat, tradit & illuſtrat, quo magis legum poſitiuarum doctrinam planam facere poſſit. Si omnes eſſemus Chriſtiani, nec regnis aut rebuspubl., nec legibus, nec aliis rebus

§. XI. Porro vtilitas (11.) ſeſe exſerit, quod in eo, vbi deficit ius poſitiuum publicum, ibi ad hoc ſit recurrendum.

§. XII. Deniq; inſignis vſus huius doctrinæ in eo conſpicuus eſt, ne cum vulgo reſpectus diuerſos (s) in negotiis occurrentes confundamus, vtilitatis quæſtiones a iuris, has vero rurſus ab illis, quæ ad hominum internam ſalutem pertinent, diſtinguamus.

§. XIII.

rebus opus haberemus, quia iuſto non eſt lex poſita: ſed poſtquam viuimus cum Ethnicis, qui legibus conſtringendi, in Republ. iure naturæ carere non poſſumus.

(s) Cuiuslibet negotii varii dantur reſpectus. Sic enim quæritur, an *vtiles* ſint in vita ciuili, an *iuſtæ* ſint actiones, an *ſalva conſcientia* fieri poſſint, an ad hominis intrinſecam emendationem faciant. Qui utilitatem iuris naturæ negant, reuera omnia confundunt, vel ſaltem naturam cuiuscunque reſpectus non penitius conſiderant: Scilicet quando quæritur, an hoc iuſtum ſit, non ſtatim disquiritur, an illud ſit vtile, aut homini proficuum ad internam emendationem, ſed tantum, an princeps, vel magiſtratus in Rep. *de iure* hoc agere poſſit, ita vt aliis re ipſa nulla fiat iniuria. Qui hæc confundunt, ſæpe in craſſiſſimum incidunt Papatum. Quæſtiones iuris naturæ ordinarie in *litium diſcuſſione* ventilantur, quando iam alicui deciſio alicuius controuerſiæ committitur, eamque vellet ſecundum regulas, quæ interiorem hominum correctionem vnice reſpiciunt, diiudicare, illamque ſententiam ita exequi, remediis ciuilibus illa ſubiiceret, quæ erant ſuadenda, imo aliter reſponderet, ac quidem interrogatus erat, eo-

 dem

§. XIII. Ex his omnibus demum concludo, melius eſſe, ſi ius naturæ excolendum non eſſet, & homines intra ſe admitterent ſpiritum pacis Chriſti, quia ſic leges eis non eſſent poſitæ, ſed poſtquam viuunt in ſtatu legis, leges quoque, inprimis naturales, ſunt excolendæ. (u)

CAP.V.

dem modo, ac ſi grammaticus de voce quæreret, cuius eſſet generis, & alter ex logica reſponderet, eſſe *ſubiectum*, vel *prædicatum*, vel eſſe genus *infimum* vel *ſubalternum* &c. Non parum tales abſunt ab exemplo Pontificum Romanorum, qui ex dicto Chriſti *Matth. XVIII.* remedium aliquod ciuile, ſcilicet *denunciationis Euangelicæ* exſtruxerunt, ſub eodem prætextu, quod Chriſtianorum negotia ſint iudicanda ſecundum leges Chriſti. Dicis: atqui tamen vna eſt veritas. Ergo ſecundum illam vnam veritatem res eſt decidenda. Reſpondeo, id non negari, quando *vno eodemque reſpectu* res conſideratur, ſed quando diuerſo reſpectu, diuerſa quoque inde oritur veritatis ratio. Cape exemplum. Princeps tributum imponit. Quæſtio prima, an hoc ſit vtile Reipublicæ? Quod aliquando ita eſſe poteſt, aliquando non. Alia quæſtio, an iure hoc faciat princeps, & an ſubditi ſint obligati ad id ſoluendum quoad forum exterius? & affirmatur; & denique alia eſt quæſtio, an princeps in foro conſcientiæ tutus ſit, ſi nimium grauet ſubditos? quod aliquando negandum. Vides, eandem quæſtionem pro diuerſo reſpectu & affirmari & negari poſſe.

(u) Paulus, dicit, impiis leges eſſe poſitas, non iuſtis, quod itidem de LL. naturalibus iudico. *Factæ ſunt leges*, inquit Iſidorus in *c. 1. D. 4.* *vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia & in ipſis improbis formidato ſupplicio* *refre-*

CAP. V.

De Autoribus, ſubſidiis, & cautionibus circa hanc doctrinam.

§. I.

QUemadmodum ante H. Grotii & Hobbeſii tempora totum ius naturæ Scholaſticorum nugis corruptum fuit, (x) ita non mirandum, ſi idem fatum hæc quoque diſciplina habuit.

§. II.

refrenetur nocendi facultas. Cum itaque homines peſſime viuant, ſtatus præſens, proh dolor! eſt legalis. Melius eſſet, ſi careremus medicis, quia ſic ægroti deficerent, ſed pro ſtatu præſenti ad bonum extraordinarium referendi, vt malum ingens eſſet, ſi iis carere deberemus. Sic etiam ius naturæ omnino excolendum, adeo, vt pro præſenti rerum ſtatu neglectus huius ſtudii multa mala poſt ſe trahat, ſicuti cultura eiusdem multum inſeruit ſtatui corrupto præſenti, vt omnia ſingulorum officia eo rectius exinde dirigi poſſint.

(x) In craſſiſſimo Papatu, quo obnubilabatur Germania, cum Chriſtianiſmum reciperet, fere omnis eruditio monaſteriis erat incluſa. Nam *ſeculares* qui vocabantur, magis armorum vſum, quam ſtudiorum ſibi conuenire ducebant. Legum doctrina non quidem incognita eſſe poterat, ſed ita tamen tractabatur, vt magis incumberent legi poſitiuæ, quam doctrinæ iuris naturalis. Introductis Academiis, ſtudium iuris Romani etiam in Germania florere cepit, ſed limites fori ſui non egrediebantur Legiſtæ. Imo licet ante introductas Academias ius Romanum paulatim inclareſcere inciperet, ceu docet Dn. Hertius *de con-*

 ſult.

ſult. L L. & iudic. in ſpec. Rom. Germ. rebuspubl. §. 14. haud tamen conſtat, ad hoc ius vniuerſale fuiſſe prouocatum, ſed magis vbique leges Romanæ audiebantur. Philoſophis res erat cum Ariſtotele, & iurisconſultos cura explicandarum legum Rom. diſtrictos tenebat, hinc Theologi partem Theologiæ moralis eſſe putabant doctrinam iuris naturæ, turpiter officia hominis, qua talis, & qua Chriſtiani confundentes. Atque ſe ad hanc doctrinam excolendam eo certius ius habere exiſtimabant, quod in patribus, Baſilio M. Gregorio, Nazianzeno, Chryſoſtomo aliisque plura capita iuris naturæ exculta eſſe viderent, quorum vt veſtigia legerent, ſedulam nauarunt operam, maxime cum ICti ne hiſcere quidem auderent contra eorum ſententias, quippe quibus alioquin facile nota hæreſeos inuri potuiſſet. Neque enim turpe ſibi ducebant ex iuris naturæ quæſtionibus articulos fidei formare, eosque aliis obtrudere. Cum itaque Patres Theologiam moralem cum iure naturæ ſemel confudiſſent, neque officia Chriſtianorum & hominum diſtinxiſſent, quod nec Ambroſius *in libris tribus de officiis* præcauere potuit, mirandum non eſt, quod in tanta barbarie temporum, quibus ſcholaſtici Theologi dominatum obtinuere, confuſio hæc quotidie creuerit, deciſionesque ex canonibus, conciliis, ſententiis Patrum, S. Scriptura aliisque petitæ fuerint, cuius rei documenta ſi quis legere geſtiat, ipſos ſcholaſticos adeat opus eſt. Sed & moralem doctrinam ſtricte dictam non omiſerunt, imo, quod mireris, multa iuris Romani capita, vnice forum Romanum antiquum redolentia, ſub ſpecie *iuris naturæ* venditarunt, & ſic miſere omnia confuderunt. Quamuis vero Lutherus tempore reformationis ſcholaſticorum ineptias ſatis caſtigaret, tamen vel Philippi Melanchthonis nimius & cœcus amor in ſcholaſticam doctrinam impediit, quo minus hæc doctrina recte expurgari potuerit, vt inde nomen *com-*

munis

§. II. Neque ICti, (y) qui vltra Iuſtinianum ſapere voluere, in controuerſiis illuſtribus alia inceſſerunt via, ſed hi quoque, fatente Grotio, Scholaſticam ſubtilitatem cum Legum & canonum cognitione coniunxere.

§. III.

muniis Germaniæ præceptoris absque ſuo merito obtinuerit.

(y) Referam huc iudicium Grotii haud vulgare de ICtis. Diuiſit eosdem in tres claſſes: in *prima* ſunt ipſi ICti *R.* & alii legum conditores, & his multum ſe deferre dicit: in *ſecunda* eos commentatores ponit, qui poſt Irnerium vixere, qui omnes controuerſias illuſtres ſecundum barbariem temporum ex legibus Romanis definire voluere, vnde ab iis hæc diſciplina plane neglecta. *Tertia* claſſis eos occupat, qui humaniores literas cum ſtudio iuris *R*om. coniunxere. Sed de his in *proleg.* §. 55. itidem aſſerit, quod in ius hoc commune aut nunquam, aut non niſi leuiter exſpatientur, & quod præterea ſcholaſticam ſubtilitatem, in qua tunc omnis videbatur concluſa eruditio, cum legum & canonum cognitione coniunxerint, quem in finem potiſſimum duos in exemplum adducit Hiſpanos ICtos, *Couarruuiam & Vasquium.* Hic Fernandus Vasquius ſcripſit *controuerſias illuſtres*, qua in materia inprimis debuiſſet *ius publicum vniuerſale* fundamenti loco ponere, ſed nugas ſcholaſticorum magis prætuliſſe videtur. Inde non mirandum, quod Bœclerus *in præfat. ad Seld. Ius N. & G.* iudicium ſequens de Vasquio adduxerit: *Diffuſam argumento, diſtinctam profectuum gradibus, nec raro inuolutam autorum ſententiis ſapientiam, quam non ſufficiat fidentius aggredi, Fernandus forte Vasquius documento eſſe queat. Qui cum tanto inſtructu apparatuque hunc locum ſibi excolendum ſumſiſſet*

ſiſſet, vt inſtar Bibliothecæ nonnullis videretur præſtare, factum tamen facile opineris, vt negligentius pleraque cumulando, ordini & diſcretioni inter diſputandum parum ſeruiendo, placita aliorum non ſatis examinando, ſua ſæpius aſſeverando, quam probando, componendo denique, quæ conſtare ſibi inuicem non poterant, haud pauca de arduis intricauerit potius, quam expediuerit. Scripſit etiam Franciſcus Hottomannus controuerſias illuſtres, vbi defectum hiſtoriæ in Vasquio deſideratum ſuppleuit. Ingraueſcente Tyrannide Papæ iura imperantium ad ſe trahere cupientis, ſubortæ ſunt variæ lites inter Cæſares & Papas, illis iura ſua defendentibus, his impugnantibus. Singuli ſuas aſſeclas habuere, ex quibus ſcripta varia, tempore præſertim Ludouici Bauari, in lucem edita ſunt. Sanior tamen philoſophia ſimiliter in pleriſque deſideratur, vel enim canonibus & legibus Romanis pugnant, quo nihil eſt abſurdius, vbi de poteſtate imperantium quæritur, vel ex Scriptura S. ſed obtorta & valde peruerſa interpretatione, vel denique ſcholaſtica philoſophia, ſua probant: ſed quantæ hic ſubtilitates interſperſæ, vel ex Rud. Prællei *de Poteſt. Pontif. & Imper.* ſcripto *tom.* 1. Goldaſti *p.* 40. inſerto videre licet. Legatur præterea Antonii de Roſellis tr. *de monarchia ſeu poteſtate Imp. & Papæ tempore Sigismundi editus*, & a Gold. *tom.* 1. *p.* 252. relatus, vbi contra papam diſputans, quod imperator a papa non acceperit poteſtatem, hoc potiſſimum urget, quod eam habeat a populo Romano, qui hanc iurisdictionem tranſtulit in principem *per* §. 6. *I. d. I. N. G. & Ciuili.* Egregium certe argumentum! Poſtquam deinde tempore reformationis ICti iuris publici Imperii noſtri ſtudium excolere cogerentur, & tamen deprehenderent, non omnia ex legibus fundamentalibus & obſeruantia Imperii decidi poſſe, imo & ſtatus rei germanicæ non ita omnibus conſtaret, multominus ius publicum vniuerſale hac-

tenus

§. III. Aduenere tandem tempora, quibus ſolidiori ſtudio hæc diſciplina coli cœpit, Grotio & Hobbeſio (z) vno eodemque tempore, quamuis diuerſo ſtudio, huic doctrinæ incumbentibus.

§. IV. Hugonis Grotii inſtitutum (a) potisſimum hunc habuit ſcopum, vt oſtenderet, ex quo fonte controuerſiæ inter gentes, quæ comode ad tempus vel belli, vel pacis referuntur, decidi poſ-

tenus ICtis curæ fuerat, non aliter fieri poterat, quin *loco huius neceſſariæ diſciplinæ* ius Romanum vbique allegarent, & in ſubſidium ad illud recurrerent, quod nunc quidem, reſtituta hac diſciplina, merito reprobamus.

(z) Fuit Grotii principale Inſtitutum, vt Ius Nat. quatenus in controuerſiis illuſtribus vſum præberet, a Scholaſticorum nugis liberaret, & eo, quo par eſt, modo traderet. Thomas Hobbes in *præfat. libri de corpor.* de ſe ipſo gloriatus eſt, quod reſtaurator huius diſciplinæ fuerit, his verbis: *Phyſica res nouitia eſt, ſed philoſophia ciuilis multo adhuc magis, vt quæ antiquior non eſt libro, quem de ciue ſcripſi.*

(a) Scripſit hunc tractatum *de iure belli & pacis* Grotius potiſſimum ſuaſu Nicolai Claudii Fabricii Peireſcii, vt refert Petrus Gaſſendus *in vita Peireſcii lib.* 4. Inſtructus enim erat laudatus Peireſcius omni diſciplinarum genere, & quoniam tot defectus in iure naturæ animaduertebat, Grotii autem, qui tunc e patria exul in Galliam ſeſe receperat, ſubactum tanta eruditione ingenium perſpexerat, vt neminem ad excolendam hanc doctrinam ratus ſit aptiorem, quam ipſum Grotium, ei mox autor ſvaſorque fuit, vt priſtino nitori eandem reſtitueret, quod & feliciter perfecit. Sed non potuit non hic labor irritare crabrones, præſertim apud eos, qui adhuc Scholaſticæ doctri-

poſſint, quamuis hinc inde multa inſeruerit, quæ ad ius publicum vniuerſale ſpectant (b)

§. V.

ctrinæ innutriti erant, hinc tot cenſuras, quamuis ſæpe ineptas, ſuſtinere debuit. Inprimis vero offendit aulam Romani præſulis, adeo vt prælaudatus eius tractatus, ex ſacra indicis congregatione Romæ anno 1627. in numerum vetitorum librorum relatus ſit. Neque enim conſultum videbatur aulæ Romanæ, ſi diſciplinæ hæ priſtinam reciperent integritatem, quia ita de *poteſtate Cleri* actum fuiſſe videbatur, qui ſe extulerat ſuper omnem poteſtatem, & novam & plane monſtroſam rempublicam in ſingulis rebus publicis in ruditate ſeculi exſtruxerat, vt non poſſet non e re aulæ Romanæ eſſe, libros optimos ſupprimere, & ſedulo laicis inculcare, rationem humanam captiuam ducendam eſſe ſub obedientia eccleſiæ Romanæ. Non defuere tamen ex ipſis pontificiis, qui hanc iniquam cenſuram Romanenſium ægre ferrent, vti declaratum *in præfat. in Bœcleri animaduerſ. ad Grot.*

(b) Inter primos numerandus eſt Grotius, qui *ius publicum vniuerſale* excolendum ſuſcepit, quia vbiuis fere doctrinas huc ſpectantes inſeruit, præſertim *lib.* 1. *c.* 3. vbi naturam *ſummi imperii* explicat, & contra monarchomachos diſputat, & *c.* 4. vbi *de iure ſubditorum*, & eorum reſiſtendi licentia, & *l.* 2. *c.* 5. vbi *de iure in ſubditos*, *c.* 6. vbi *de alienationibus imperiorum* eorumque rebus, *c.* 7. vbi *de ſucceſſionibus in regna*, *c.* 10. vbi *de modis, quibus imperium finitur*, *c.* 14. vbi *de imperantium promiſſis, contractibus & iuramentis*, *c.* 20. vbi *de pœnis* agit, vt taceam loca alia, quæ hinc inde in aliis capitibus interſparſit. Liber hic immortalis Gallice quoque extat interprete Courtino, & nuper admodum

§. V. Thomas Hobbes magis intentus fuit, vt ius publicum vniuerſale enucleatius traderet, & iura Imperantium excoleret; ſed quamuis omnia methodo mathematica connectere allaborauerit, tamen non raro lapſus deprehenditur (c) plures proinde cenſuras expertus

dum in Germanicam verſionem translatus eſt, cui illuſtris Thomaſius eruditam præfationem præmiſit.

(c) Facies Angliæ turbulenta, quæ tempore Hobbeſii fuit, videtur ei anſam dediſſe, vt imperantium poteſtatem nimis & vltra modum extolleret, & ſubditorum ſtatum deprimeret. Poſtquam enim diſſidia inter Regem Angliæ, & Parlamentum vtrumque Anglicum & Scoticum eſſent natæ anno 1640. quæ ex variis cauſis, partim occaſione Puritaniſmi, partim ex contumacia Caroli I, partim aliunde proficiſcebantur, adeo, vt tandem flamma in bellum ciuile contra Regem erumperet, Hobbeſius ſeceſſit Lutetiam Pariſiorum, ibique tractatum de *Ciue* edidit, & cum a partibus Regis ſtaret, non potuit non in eo libello poteſtatem imperantium nimis extollere, vt eo fortius ſuam doctrinam Anglicanis tumultibus opponeret. Reuera turbæ Anglicanæ repræſentabant ſtatum belli omnium contra omnes, & miſeriam dilaceratæ reipublicæ plures deplorabant. Atque hæc miſera facies rerum quotidie menti eius obuia, adeo animum eius occupauit, vt crederet, & ſibi plene perſuaderet, ſtatum naturalem fuiſſe ita turbulentum, & perpetuum bellum omnium contra omnes. Edidit deinceps Anno 1651. librum, cui titulus *Leuiathan*, quo nomine *ciuitatem*, ceu *hominem artificialem*, cuius anima princeps ſit, intelligit, & in illo de *poteſtate ciui-*

tus. (d) Interim eundem plura in hac doctrina ſolidius & eruditius excuſſiſſe, eruditi ex merito fatentur.

§. VI. In plurimis quoque Hobbeſium ſecutus eſt poſtea Adrianus Houtuyn, ICtus Belga *in tr. de Politica contracta generali*, (e) quamuis hoc ipſum diſſimulare voluiſſe videatur. In principiis quodammodo diuerſus, in eo tamen fere cum

ciuitatis Eccleſiaſticæ & Ciuili, pro iure Regis & Epiſcoporum contra membra Parlamenti agit, quoniam Scoti inprimis Puritanismum introducere volebant, rege contra nitente, & Epiſcopos vbique defendente, Puritanosque Eccleſiis eiiciente. Ceterum Matheſeos ſtudio operam aſſiduam dederat, adeo vt etiam Principem de Wallis in Galliam ſecedentem in hoc ſtudio inſtitueret, atque hinc non mirandum, quod in *tr. de Ciue* omnia methodo mathematica connectere tentauerit, quamuis ſtatim in prima connexione ingentem hiatum commiſiſſe videatur. Potiores eius errores collegit Houtuyn *in Polit. Gener. in fin.*

(d) Nactus eſt plures aduerſarios, quos refert Dn. Ludouici *in Hiſtor. iuris N.* §. 37. & Autor, qui Anno 1681. *vitam eius* edidit. Aſſeclas paucos habuit, præter Lambertum Velthyſen *in tr. de princip. iuſti & decori*, & Io. Chriſtoph. Becmannum. Alii tamen, vt Pufend., & recentiores iuris naturæ Doctores multum ex eo hauſerunt, ſuisque doctrinis intulerunt, reprobandis reiectis.

(e) Prodiit hic liber Hagæ Comitum Anno 1681. vbi Autor ſub hoc nomine *ius publicum vniuerſale* adumbrauit. Acute & ſubtiliter omnia connectit, vt niſi nimis Monarchiſmo abſoluto indulſiſſet, ſubdi-

tos-

cum eo conſpirat, quod imperantium poteſtatem vbique & per omnia, etiam in ſacris, faciat illimitatam, adeoque in multas reprobandas ſententias incidat.

§. VII. Hoc idem thema plenius excusſit Vlricus

toſque in claſſem brutorum conieciſſet, vix aliquid deſiderari potuiſſet. Multa ex Hobbeſii doctrina hauſit, ſed ne hoc feciſſe videretur, collegit in calce *errores Hobbeſianos*, quaſi minime cum eo feciſſet. Interim capitaliores haud effugit, ſed ſtrenue ſecutus eſt, imo in nonnullis ipſum Hobbeſium adhuc ſuperaſſe videtur. Magis ſobrie tamen in primis principiis, vbi fundamentalem propoſitionem iuris naturæ explicat, inceſſit: agnouit enim, legem naturæ fuiſſe ante ciuitates, eamque in *pace colenda* conſiſtere, hanc autem propter hominum deprauatam naturam non potuiſſe in effectum commode deduci, niſi ciuitatibus introductis, cum pax tuta extra imperia haberi haud posſit. Sed vbi iam ad poteſtatis ciuilis indolem dilabitur, nullos eidem limites ex iure naturæ ponit, vel tales ponit, qui principem plane non adſtringunt, dum ius interpretandi leges diuinas ex nat. iure principi adſcribit, adeoque in effectu eosdem tollit. Præterea Principem papam abſolutisſimum pronunciat, qui posſit omnia decidere, articulos fidei per modum legis imperare, confunditque pasſim officia imperantis *qua talis*, & qua *doctoris*, dum, quæ docenda & ſuadenda ſunt, ad imperantis *qua talis* officium pertinere contendit. Hinc iuſtas meruit cenſuras Pufendorffii *in tr. de habitu relig. ad vitam ciuilem*, vbi in calce autorem ex profeſſo refutauit.

ricus Huberus tr. *de iure ciuitatis*, (f) qui in plurimis quoque ſe Hobbeſio oppoſuit, neque tamen ſe intra limites huius doctrinæ ſemper continuit, ſed plura quæ ad ius priuatum ſpectant, imo quæ a reſpectu iuris prorſus aliena ſunt, intexuit, de cetero dignus, qui circa hoc ſtudium commendetur.

§. VIII. Neque omittendus eſt. B. Dn. de Puſendorff, qui *in tr. de Iure N. & G.* (g) hanc doctrinam libro ſeptimo & octauo ſolide explicuit, quamuis omnia capita huc ſpectantia haud plene pertexuerit, quod de aliis quoque monendum, qui vniuerſam iuris naturæ diſciplinam vno ſyſtemate complexi ſunt.

§. IX.

(f) Prima editio admodum ſuccincta, ſed quæ anno 1694. publici iuris facta, varia incrementa accepit, vbi *ſect. V. lib. I.* inprimis multa aliena immiſcuit, v. c. *de principio cognoſcendi diuinitatem ſcripturæ ſacræ, de teſtimonio obſignante fidem receptam*, item *quod ratio non ſit principium cognoſcendi diuinitatem ſcripturæ ſacræ*, aliaque plura, Sed & quæ ad ius priuatum ſpectant, non omiſit, adeo, vt hunc tractatum pro ſyſtemate iuris tam *publici* quam *priuati* vniuerſalis haberi poſſe, quidam iudicent. Commentarium vberiorem in eum ſcripſit Dn. Nic. Chriſtoph. de Lynker, ſed qui integer hactenus editus haud eſt. Nuper illuſtris Thomaſius prælaudatum tractatum de nouo edi curauit, & ſuccinctis annotationibus præclare illuſtrauit.

(g) Fata Puſendorffii notiſſima ſunt, & pleraque adducta a Dn. Ludovic. *in Hiſtor. Iur. Nat.* Hobbeſium in plurimis ſecutus, adeo, vt *c. 1. lib.* 7. ciuitatum ge-

§. IX. Inſignem præterea induſtriam & curam circa hoc ius excolendum ſuſcepit Dn. Chriſtianus Thomaſius (h) & plura a Pufendorffio præ-

geneſin ex eo plenius explicauerit. Totam hanc ita inſtruit diſciplinam, vt *lib.* 7. naturam, indolem, affectiones aliaque ad ſummum imperium ſpectantia enucleet, & *lib. ſeq.* ipſa iura examinet. Quantum hic Autor præſtiterit, omnes in comperto habent, quia plerique Pufendorffium hodie ſequi non dubitant. Nuper admodum Dn. Hertius prædictum tractatum de nouo edidit & elegantisſimis notis auxit. Sed etiam hoc fere eodem tempore Dn. Ioannes Barbeyrac illum gallico idiomate edidit, ſub titulo: *le Droit de la nature & des gens, ou ſyſteme general de principes les plus importans de la morale, de la jurisprudence, & de la Politique, avec de notes du traducteur, ou il ſupplee, explique defend & critique les pensées de l' auteur, & une præface, qui ſert d' introduction a' tout' l' ouurage.* Prædictus Ioannes Barbeyrac elegantisſimam præfationem operi præmiſit, vbi inprimis de demonſtratione in ſcientiis moralibus admittenda agit, & obiectionibus quibusdam reſpondet. Addit deinde varias rationes, quibus factum, quod hæc diſciplina parum antea exculta fuerit, & quod Patres inprimis plane hanc doctrinam corruperint, vel omnia confuderint, & quod tandem ipſi Theologi in ſequentibus temporibus eam dereliquerint. Ipſa verſio gallica elegantisſima eſt, & ſenſum Pufendorffianum clarisſime & nitidisſime exhibet. Sed etiam præterea verſio germanica huius operis ſub prelo eſſe dicitur.

(h) Inſtitutum illuſtris Thomaſii ita a plerisque, qui ſolida vulgaribus præferunt, approbatum eſt, vt, quid in hac doctrina præſtiterit, mea quidem de-

 ductio-

prætermiſſa vel ſuppleuit vel emendauit, & ſic quoque, quæ ad ius publicum vniuerſale ſpectant, magno iudicio priſtino nitori reſtituit.

§. X. Spem etiam fecit (i) Dn. Io. Nic. Hertius, ſe editurum *ſyntagma iuris publici vniuerſa-*

ductione haud indigeat. Explicuit primo hanc doctrinam in tractatu *de iurisprudentia diuina*, vbi inprimis aduerſariis Pufendorffii in *lib.* 1. ſatisfecit. Poſtea anno 1705. vltimam manum huic operi addidit, *& fundamenta iuris naturæ & gentium ex ſenſu communi deducta* edidit, in quibus inprimis principia *iuſti, honeſti, & decori* miro iudicii acumine ſecernere allaborauit, & iuxta illa ipſa inſtitutiones ſuas iurisprudentiæ diuinæ emendauit. Qui enim hactenus ius naturæ tradidere, hos diuerſos reſpectus non diſtinxerant, & ſic plura inemendata relicta erant, quæ huius ſummi viri opera in melius reſtituta ſunt, atque adeo emendationes eius inſignem in hac doctrina de iure publico vniuerſali præſtant vtilitatem. Si ipſe Pufendorffius huc reſpexiſſet, plura capita omittere potuiſſet, quæ ad ius naturæ ſtricte dictum haud ſpectant, vt quæ de *officio erga Deum, erga ſe ipſum, de officiis humanitatis &c.* operoſa induſtria explicuit. Et hinc factum fuiſſe reor, quod plerique principium fundamentale eius tolerare & concoquere haud potuerint, quod viderint, prædicta capita haud adeo commode ſecundum doctrinam *ſocialitatis* explicari potuiſſe, quas difficultates ſuperare facili labore quiuiſſet, ſi, quæ ad iuſti doctrinam ſpectant, ab eo, quo honeſtum & decorum ducit, ſollicite diſtinxiſſet.

(i) Spem huius operis fecit *in præfat. ad Elem. prudent. civ.* vbi ſimul oſtendit, quantum interſit, hanc diſcipli-

uerſalis. Pædian quandam ad hanc diſciplinam iam præmiſit, contentam in *diſp. de Iuriſpr. vniuerſ. ſect.* 2.

§. XI. Politicorum ſyſtemata plurima quoque, quæ ad hanc doctrinam ſpectant, quamuis alieno in loco, exhibent, ſed vel inania ſunt, vel illa, quæ iuris publici particularis & vniuerſalis ſunt, confundunt. (k)

§. XII. Vtiliſſime etiam huc conferri poteſt Caſpari Ziegleri *tr. de iurib. Maieſt.* quamuis ſæpe quoque ius Romanum vel alias leges publicas particulares adhibuerit. (l)

§. XIII.

ſeipſinam a *politica* diſtinguere. Pædia prædicta breui, & ſummo digito tantum generalia huius diſciplinæ demonſtrat, ſed tamen vtilisſimas obſeruationes exhibet, & ſimul ſubſidia ſuppeditat, quibus quis tuto in hoc amplisſimo campo optatos facere poſſit progreſſus.

(k) De Politicorum confuſa methodo iam ſupra actum. In hunc cenſum quoque Bodinus *de republ.* collocandus, qui itidem varias iuris quæſtiones inſeruit, in quo & alii certatim eum ſecuti leguntur, vid. Dn. Hert. *in præf. ad Elem. prudent. ciu.* Arniſæi, Beſoldi, Althuſii, aliorumque tractatus, magis concluſiones, quam principia huius doctrinæ ſiſtunt, vnde incertis ſæpe vagantur rationibus, neque a particularibus huius vel illius reipubl. ſcitis abſtinent. In eundem cenſum quoque refero *opus politicum* Rudolphi Godofredi Knichenii, qui itidem omnia, *quæ iuris ſunt, & quæ ad prudentiam politicam ſpectant*, mira confuſione miſcuit, vt certa fundamenta huius doctrinæ ibidem haud reperias.

(l) Simmanſiſſer prælaudatus autor in principiis & con-

§. XIII. Ceterum plures non integrum ſyſtema iuris publ. vniuerſalis ſcripſerunt, ſed themata particularia (m) perſecuti ſunt, veluti de iure circa ſacra &c. quæ itidem vtiliſſime adhibentur.

§. XIV. Ad ſubſidia merito referri debent facta publica ſeu hiſtoriæ, (n) quæ illuſtrant e- gre-

cluſionibus iuris naturalis; ſane ampliſſime omnium iura Maieſtatica pertexuiſſet. Sed vbique fere animum ad ius publ. particulare intentum habuit. Exempli loco adduco *c.* 2. *l.* 1. vbi naturam criminis læſæ Maieſtatis exhibet, ſed totam fere hauſit ex doctrina iuris Romani. Similiter *cap. ſeq.* Regalia magis explicat ſecundum conceptum iuris feudalis, quam in ſe, & ſic quoque in reliquis capitibus verſatus eſt, vt adeo pro ſyſtemate *iuris publici vniuerſalis* haberi nequeat, ſed ſemper ſcita particularia a naturalibus ſedulo ſint ſeparanda, quin quod tantum circa iura imperantium occupatus fuerit, quibus tota hæc doctrina non abſoluitur.

(m) Huc ſpectant varia Conringii ſcripta. v. c. *de concedend. & reuocand. priuil. De Maieſtatis ciuil. autoritate, & officio circa ſacra.* Puſendorffii *tract. de habitu relig. ad vitam ciuil.* Dn. Buddei *diſſ. de concordia relig. cum ſtatu ciuil.* Hugo Grotius *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra.* Gerardi Noodt diſſertatio *de religione ab imperio iure gentium libera.* Dn. Buddeus *de teſtam. Regum*, item *de ſolennibus princip.* Dn. Io. Peter Ludewig *de auſpicio regio* & alii ſimiles tractatus, quos omnes recenſere infinitum foret.

(n) In hiſtoriis ab omni æuo ampliſſimus numerus factorum occurrit, quæ hanc diſciplinam illuſtrare poſ-

gregie regulas generales huius diſciplinæ, & iudicium acuunt, quando illa ipſa ſecundum has regulas examinantur. (o)

§. XV.

---

poſſunt. Non enim rectius doctrinæ inſinuantur, quam per exempla. Quid autem iucundius eſt, quam exempla *vera* adducere, & ſecundum principia hæc de illis iudicare? Apprime Liuius *lib.* I. *præf. Hoc eſt illud præcipue in cognitione rerum ſalubre & frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, inde tibi tuæque reip., quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

(o) Hic cauendum (1) ne ex *factis publicis* regulas ſtruamus, quod cum non ſollicite præcaueret Grotius, ſæpe lapſus deprehenditur. Nam quod in §. 40. *proleg.* afferat, *quod, vbi multi diuerſis temporibus & locis idem pro certo affirmant, id ad cauſam vniuerſalem referri debeat*, id vniuerſale haud eſt. Nam α) ſæpe opinio inueterata peſſima eſt, quod de idololatria aliisque næuis verum. β) plurima ſæpe gentes ex Hebræorum doctrina in ſuos vſus transtulerunt, & alii ab aliis didicerunt, Ægyptii quidem ab Hebræis, ab illis Græci & ab his Romani, inde ſæpe tanta opinionum & ſententiarum conformitas, quæ tamen non arguit cauſam vniuerſalem. (2) Vt iudicia autorum facta enarrantium non promiſcue arripiamus, quod ipſum innuit *Grot. lib.* I. *c.* 3. §. 5. *n.* 6. aſſerens, non omnia eſſe probanda, quæ a quamuis præclaræ famæ Doctoribus dicuntur. Sæpe enim tempori, ſæpe affectibus ſeruiunt & aptant τῷ μέτρῳ ςάθμην. *Quare*, pergit, *danda eſt opera, vt in his rebus defæcato vtamur iudicio, nec quæ excuſari magis quam*

§. XV. Imo cum ius publicum vniuerſale circa actiones publicas verſetur, inprimis hiſtoriæ eum in finem euoluendæ ſunt, vt de factis illis, iurene an iniuria peracta ſint, iudicari poſſit. Quemadmodum itaque plures ſatis commode & ex vſu hiſtorias quoad vſus politicos tractant, ita non inutile eſſe poterit, hiſtoriam ciuilem quoad vſus huius iuris peruoluere & excutere. (p)

§. XVI.

laudari poſſunt, temere in exemplum rapiamus, in quo pernicioſe errari ſolet. Conf. Lipſius *lib.* 1. *c.* 9. §. 12.

(p) Inculcat hoc Huber. *in append. ad hiſtoriam ciuilem obſ.*1. vbi obſeruationes ex iure publ. vniuerſali adiecit. Multi vſus politicos traxerunt ex Cornelio Tacito, vt Forſtnerus & Mellier Gallus &c. ſed quid impediret, quo minus vſus iuridici ex hiſtoriis enucleari poſſint? Vſus eſſe poteſt varius (1) vt ſic iudicium acuatur, & principia iacta generalia applicare diſcamus. (2) ex factis ad ſimilia progrediamur, quoniam vix hodie aliquid accidere ſolet, quod iam ante non obtinuit. Hinc Diodor. Siculus *in præfat. hiſtoriæ ſuæ* demonſtrat, *rerum humanarum eſſe quendam circulum, in quo alii homines eosdem euentus per vices, vt in ſcena, ludunt.* (3) Vt ita ex perpetua hiſtoria ſtatum Rerumpubl. imperantium ingenia, mores, varia ſtudia addiſcamus. Supra enim iam dictum eſt, notitiam ſtatus Reipubl. multum hic conferre, atque hinc demum acquiritur erudita hiſtoriarum notitia. In confeſſo itaque eſt, hiſtoricum absque principiis politicis & moralibus reuera parum proficere, cum non ſufficiat facta enarraſſe, ſed etiam de illis iudicium ferri debeat.

(q) Ob-

§. XVI. Præiuit in hoc inſtituto Vlricus Huberus, qui eum in finem ſe *Hiſtoriam ciuilem* tradidiſſe fatetur, vt illam ad ius publicum vniuerſale attemperaret, & exempla curioſiſſima ſuppeditaret, quemadmodum etiam obſeruationes (q) nonnullas in fine adiecit.

§. XVII. Simile fere inſtitutum fuit Dn. Thomaſii, qui nuper admodum ſpecimina (r) eiusmodi edidit, in quibus oſtendit modum & viam, quomodo ſecundum principia iuris naturæ & gentium de factis publicis iudicari debeat.

§. XVIII.

(q) Obſeruationes admodum breues ſunt, & tantum ſpecimen aliquod præ ſe ferunt. Ceterum plura iuris publici vniuerſalis capita ex hiſtoria illuſtrantur. Sic oſtendit, dogma Hobbeſianum, *ſtatum naturalem eſſe bellum continuum*, fidei hiſtoricæ non omni modo congruere, ſaltem vt non poſſit aliquod tempus pacis excludi, licet admodum breue & minus tutum ſit. Nam gens genti diffidit, bellum infert, tamdiu pacifica, donec ſibi vtile videatur. Sed & origo imperiorum, de qua mox, ex hiſtoria addiſcenda, & varii rerumpubl. euentus vel caſus eruditas obſeruationes ſuppeditant.

(r) Titulus operis eſt: *Specimen iuriſprudentiæ iudicialis ex iure naturæ & gentium exhibitum in exemplis, de variis gentium negotiis & controuerſiis.* In hoc tractatu decadem primam exhibuit controuerſiarum illuſtrium, & plures alias decades *in præfatione* promiſit. Præſertim legi merentur obſeruationes, quas *c. 7. de prætenſionibus* ſuggerit, ex quibus apparebit, quantum vſum hæc doctrina quoque in illis habere poſſit.

§. XVIII. Non inepte quoque Dn. Hertius *in Iuriſpr. vniu. S.* 2, §. 13. ius diuinum ad ſubſidia refert, quod optima & Reipubl. maxime conſona inculcat principia, (s) quæ illuſtrationem egregiam in hac doctrina præbere poſſunt.

§. XIX. Cauendum vero ſedulo circa hanc diſciplinam (1) ne officia imperantium, *qua talium*, & qua ſunt *Chriſtiani*, confundamus. Quamuis enim hi duo reſpectus egregie concurrere poſſint, diuerſus tamen ſemper & diſtinctus modus manet procedendi & judicandi. (t)

§. XX.

(s) Noui quidem, rempubl. iudaicam fuiſſe Theocraticam, aſt quis aſſereret, omnia iura publica ibidem fuiſſe poſitiua? quin plura occurrunt, quæ hanc diſciplinam egregie illuſtrant, & ſic merito eo magis in exemplum adducenda. Quæ vero ad ſtatum Theocraticum intime ſpectant, ab illis hic abſtinendum, ne particularia iura cum vniuerſalibus confundamus. Inprimis hic peccari poſſe, quando de iure principis circa ſacra diſputatur, oſtendit Pufend. *de habitu relig. ad vitam ciuil.* Quin ſacrorum ratio ita intime ſtatui Theocratico innexa erat, vt plura eſſent regibus iniuncta, quæ alias illis ordinarie competere non poſſunt. Sic etiam oſtendunt S. literæ, quatenus respublicæ, quæ pleræque pesſimum initium habuere, poſtquam tamen conſtitutæ ſunt, ſint dirigendæ ad culturam pacis. Item inde patet, quo fundamento maieſtas immediate a Deo dici posſit, & quæ ſunt alia.

(t) Sic vbi in quæſtione de fine Reipubl. quæſtio inſtituitur, an Princeps etiam teneatur, curam habere ſalu-

§. XX. (II.) Vt duo illa extrema, in quæ Monarchomagi & Machiauelliſtæ (u) inciderunt, euitemus; Sicuti enim hi faciunt reges tyrannos & exleges, ita illi populum regicidam & rebellem, ſtatumque publicum euertunt.

§. XXI.

ſalutis æternæ ſubditorum, ſæpe hæc confundi ſolent, adeo, vt illa ne quidem a ſe inuicem ſatis diſtinxerit Adrianus Houtuyn *in Polit. gener.* qui & hoc quoque ad officium principis ſpectare dicit. Cum vero Respubl. inprimis ſint propter externam pacem introductæ, hinc potisſimum hanc ipſam procurare debet, quia finis influit in officium, ſeu illud determinat. Quia autem ſimul princeps eſt Chriſtianus, ideo qua talis vtique curam ſimul gerere debet ſalutis æternæ ſubditorum, præſertim cum ſuo exemplo & autoritate ſæpe plus posſit, quam miniſtri Eccleſiæ. Sed in ipſa re ſemper manet differentia, quod illa, quæ facit, vt imperans, per vim externam posſit imperare, quæ vero vt Chriſtianus princeps, magis remediis charitatiuis abſque coactione externa inculcare debeat, ne Papocæſaria, vel Cæſaropapia inde oriatur, quod communiter fieri ſolet, vbi hæc confunduntur.

(u) Vtraque doctrina, quæ tamen huic diſciplinæ inſeri ſolet, valde inſidiatur rebus publicis, eisque damnoſa eſt. Machiauellismus non demum cum Machiauello cœpit, ſed iam ante eum in praxi cognita fuit, tyrannisque debetur, adeo vt non inepte plures Machiauellum excuſauerint, quod non præcepta proprie dicta dederit, ſed quod ea ſcripſerit, quæ iam alii egiſſent, vid. *Conring. in præfat. ad Machiav. princ.* Ceterum quantum hæc profana Machiauelli aſſerta nocuerint, ſummatim oſtenditur *in obſervat. Hall. I. tom. 6.* Et quid aliud fecit Hobbeſius & Adria-

Adrianus Houtuyn, quam vt Machiauellismum reuocarent, & colore iuris incruſtarent, vt eo ſplendidius incedere poſſet, ſicuti Machiauellica Hobbeſii dogmata refert Giſbertus Cockius *in præfat. vindic. pro lege & imper.* Et quia Monarchomagismus in Anglia florebat, videtur adeo aduerſus eundem irritatus fuiſſe, vt in alterum extremum, Machiauellismum ſcilicet, incideret. Ita enim comparatum eſt cum natura humani generis, vt quo grauius aliquid fugimus, & reprobamus, eo fortius etiam in alteram partem inclinare ſoleamus. Monarchomagi poſt Pariſienſes nuptias ſua dogmata ſpargere cœperunt. Cum enim miſeri Galli arte Machiauellica in tot anxietates & miſerias deducti eſſent, deſperatio & mœror ob perpeſſa & inſtantia mala pronam ſtrauit viam ad Monarchomagismum, inde varia ſcripta edita, veluti Hottomanni Franco Gallia, item anonymi ſcriptum *de iure Magiſtratuum*, item Antimachiauellus. Notæ inprimis ſunt Stephani Iunii Bruti *vindiciæ contra Tyrannos*, Lamberti Danæi *Politica Chriſtiana.* In hunc cenſum quoque referri debet impius liber G. Guilielmi Roſſæi *de iuſta reipubl. Chriſtianæ in reges impios & hæreticos autoritate* Antuerpiæ anno 1592. editus. Verus autor eſſe perhibetur Gilb. Genebrardus vid. Londorp. *tom. II, act. publ. p.* 276. *col.* 2. & cum maxime reipubl. noceret hic liber, anno 1594. cum multis aliis decreto Senatus regii Pariſiis publice a carnifice exuſtus eſt. Vtraque ſecta in principia huius diſciplinæ grauiter impingit. Machiauellismus hoc ius in effectu plane tollit, vel in ludibrium vertit, ſed Monarchomagismus vinculum ſubditorum & obligationem eorum eneruat. Ille Reges facit Tyrannos, hoſtesque Reipublicæ: hic populum rebellem. Ille ſubditis ſeruitutem intolerabilem parat, hic licentiæ populari feneſtram aperit. Aſt contra vtrumque hæc noſtra diſciplina pugnat, Machiauelliſtis oppo-

§. XXI. (III.) Ne, quando hæc præcepta inculcantur, ſtatim inde concludamus, ſufficere hæc poſſe ad ſolidam animæ emendationem, cum nihil præter externam tranquillitatem in Republica hiſce præceptis obtineatur, de cetero vero homo interne corruptus maneat, & ita talem emendationem aliis mediis obtinere debeat.

§. XXII. (IV.) Tandem vt quæ Cæſaris ſunt, Cæſari; Deo vero, quæ Dei ſunt tribuamus. (x)

PAR-

opponens, iura principum debere eſſe attemperata ad leges pacis, Monarchomagis vero oſtendens, ſubditorum obligationem eſſe in parendo & patiendo, non imperando.

(x) Peccant plurimi in hoc quoque, quod (1) ex adulatione plura imperantibus tribuant, quæ iis minime competunt, & ſubditos adeo adſtringant, vt quæ Dei ſunt, omittantur (2) Quantum Præſul Romanus in eo peccauerit, euidens eſt. Sed cauendum, ne Principes noſtros craſsiſſimos Papas faciamus, contra quos nuper admodum ex profeſſo ſcripſit Gerardus Noodt *de religione iure gentium ab imperio libera.* Vnde quoque ſubditorum obligatio eſt reſtringenda ad limites præceptorum Dei, quia magis eſt parendum Deo, quam hominibus, quamuis & hic abuſus ingens ſoleat committi, dum ſub hoc prætextu ſæpe obſequium principi a miniſtris Eccleſiæ obſtinacibus denegatur in rebus iure diuino non determinatis, dum ſibi adſcribit Clerus, quod ei concedendum non erat, id quod exemplo commodo illuſtrauit Dn. Thomaſ. *diſſ. de iure Princip. euangel. circa Solenn. ſepult.*

PARTIS SPECIALIS
LIBER I.
DE
NATVRA ET INDOLE RERVMPVBLICARVM, ET IMPERII CIVILIS.
CAP. I.
De Origine imperiorum ciuilium.

§. I.

Reſpublicas ad *bonum* quidem referri debere, ſed *extraordinarium*, (a) h. e. quod liberat homines a quodam malo, quod in hoc corrupto ſtatu alias eis imminet, nemo negabit, qui ſaltem finem earum & geneſin conſiderat.

§. II.

(a) *Extraordinarium* bonum præſupponit ſtatum corruptum, & ſic malum inde prouenicns tollere ſatagit, quo ſenſu febricitanti medicamenta ſunt bona, quæ ſano minus ſalutaria ſunt. Huc retuli reſpublicas, quia finis earum eſt, vt malum ab aliis hominibus imminens eo fortius retundatur, ſecuritas ſeruetur, & legum naturalium veneratio eo re-

ctius

§. II. Ex quo fluit, in ſtatu integritatis Respublicas non fuiſſe conſtitutas, (b) quippe perfectioni huius ſtatus in totum repugnantes.

§. III.

ſtius obſeruetur. Oſtenderunt iam poſt Hobbeſium plurimi, ſtatum naturalem eſſe turbidum, inquietum, minus ſecurum, & raro pacificum; & ſic non aptius medium, ſecuritatem conciliandi, fuiſſe, quam introductionem rerum publicarum. Præſupponit itaque Reſpublica homines imperfectos, ad turbas pronos, & ſic ex neceſſitate *hypothetica*, ſcil. propter ſtatum corruptum, imperia ſunt introducta, vt eſſent frenum impiorum, & tutela proborum. Optime itaque hac de re iudicat Ioannes Barclaius in *Argen. lib.* 1. *c.* 15. inquiens: *Si contineri ſua ſponte intra fines iuſtitiæ poſſet genus humanum, tunc in pari omnium pietate, non ſuperuacua modo ſed iniuſta eſſent imperia, quæ ciues iam ſponte æquiſſimos ad inutilem ſeruitutem adigerent.*

(b) Contrarium plures ſtatuunt, vt Valentin. Alberti in *compend. iur. N. p.* 2. *c.* 14. *p.* 209. & Bœcl. *ad Grot. lib.* 1. *c.* 3. vbi *p.* 200. ita diſſerit: *Si primæuam naturæ ſanctitatem retinuiſſet homo, non minus tamen imperio & imperandi parendique ordine vſus eſſet, quam ſocietate, quum ſine tali ordine homine indigna eſſet. Ordo imperandi & parendi diuinum & pulcherrimum inſtitutum, omni naturæ rationali ita deſtinatum eſt, vt ſocietas & multiplicatio ſine eo cogitari nequeat. Hoc ordine nec cœleſtes ſpiritus carent &c.* Verum ſi recte cauſas finales & impulſiuas Rerumpublicarum, & indolem earum percurrimus, aliud dicendum eſt. Fac, *metum* eſſe cauſam Rerumpublicarum, nullus certe metus in ſtatu integritatis ſuperfuit. Fac, *indigentiam* anſam dediſſe, vt ciuitates conderentur, nam & hæc quoque ceſſa-

§. III. Neque etiam argumentum vniuerſale quoad ſingulos homines ex iure naturæ deduci poteſt, quod homines omnes obligaret ſub abſoluta neceſſitate ad ſocietatem ciuilem ineundam, (c) quamuis ius naturæ eidem valde faueat, maxime ſi aliter pax haberi non poſſit.

§. IV.

---

ceſſauit in ſtatu integritatis. Fac, finem primarium eſſe, *vt hominum malitia coerceatur*, nulla certe malitia in hoc ſtatu fuiſſet metuenda, & ſic nec legibus coercenda. Fac denique, hominem etiam natura fuiſſe *ſocialem*, nam de eo non quæritur, ſed an propterea ſocietas *ciuilis*, quæ imperio & ſubiectione fundatur, inde appetatur? potiſſimum in quæſtione eſt, quam merito negamus. Iam vero omnis Reſpublica conſiſtit in imperio ſeu vi coactiua, quæ longe abfuit ab eo ſtatu, vbi nulla fuiſſet malitia, & ſic ſponte omnia quilibet, quæ ſui ſunt officii, feciſſet. Neque admitto diſtinctionem inter imperium *coactiuum* & *directiuum*, nam imperium directiuum eſt σιδηρόξυλον, imo directio in dirigente ſemper ſupponit imperfectionem, quæ abfuiſſet in ſtatu integritatis. Neque obſtat, imperium Dei dari in angelos, nam hoc fruſtra obiicitur, quia de imperio humano quæſtio eſt inter homines, ſed Angelorum & Dei differentia eſt per ſe inſignis.

(c) Huc tamen inclinat Bœclerus *c. l. p.* 198. Equidem negari nequit, ſocietates ciuiles multum conducere ad pacem & concordiam inter homines ſeruandam: verum de hoc non eſt quæſtio, ſed illud quæritur, an Reſpublicæ ſint *vnicum* medium ad pacem conſequendam, ita vt abſque ea non poſſit vinculum humani generis, ſaltem inter quosdam, ſub-

§. IV. Sed &, quod nonnulli aſſerunt, quaſi homo a natura ad ſocietatem ciuilem feratur, adeo vt natura ſit cauſa principalis ineundæ ciuitatis, (d) admitti nequit; cum ſi recte natura hominis examinetur, illa plura ſuppeditet argumenta, quibus contrarium oſtendi poteſt.

§. V.

ſubſiſtere? Nam iam demonſtrauit Conring. *in tr. de ciuili prudent. c.* 6. *p.* 81. quod aliquando etiam extra ciuilem ſocietatem feliciter viuere liceat. Virtus enim & pietas non eſt adſtricta ad aliquam ſocietatem, ſed vbicunque exerceri poteſt. Adde, quod ſæpe impediri poſſit veræ pietatis cultus intra ciuitatem, dum quis Tyrannorum inſidias metuere debet. Quodſi itaque præcepta eſſet ſocietas ciuilis, ſine dubio Patriarchæ male feciſſent, quod non ſtatim in ciuitates coiuiſſent, quod tamen factum non legimus. Seorſim ſuas res habuere, aliquando ſub rebuspublicis vixere, aliquando non; quin reges vicinos cum Abrahamo & Iſaaco pactum & fœdus iniiſſe mutuæ defenſionis & ſecuritatis cauſa legimus.

(d) Agnouit hunc errorem Hobbeſius *de ciue c.* 1. §. 2. ortumque illum eſſe docet ex nimis leui naturæ humanæ contemplatione. Idque ſatis euidens eſt, nam quod homo aliquando ad ſocietatem hanc vel illam rapiatur, id non ex eo eſt, quod aliter fieri non poſſit, ſed *ex accidenti*, ſcilicet vt concupiſcentias ſuas eo rectius in aliorum conſortio explere poſſit. Vel enim voluptatis explendæ, vel lucri vel denique dominandi gratia reuera ſocietas expetitur; adeo corruptus eſt homo, vt ſemper propter ſe alios quærat, non propter alios primario. Quando ergo homo a natura rapi ad ſocietatem

 dici-

dicitur, hoc eo ſenſu admitti poteſt, quod corrupta natura appetat ſocietatem tanquam medium, per quod vel cupiditatibus ſatisfacere, vel aliis dominari, vel lucrum ab aliis quærere poſſet, adeoque concluſio inde prona eſt, quod homo a natura ad ſocietatem feratur, non *propter bonum pacis*, quod diſſentientes volunt, ſed *propter malum finem.* Aſt talis inſtinctus ad ſocietatem eſt magis ineptus ad veram ſocietatem, quæ in *vnione animorum* conſiſtit. Iam autem iudice Cicerone *lib.* 1. *ad Q. Fratr. epiſt.* 1. *difficile eſt ea, quæ commodis, vtilitate & prope natura diuerſa ſunt, voluntate coniungere.* Deinde ſi iam ſupponatur, hominem a natura ferri ad ſocietatem, non tamen ſtatim inde concludi poteſt, (obſeruante Conringio *de prud. ciu. c. 6.*) quod etiam ad ſocietates *ciuiles* rapiatur, cum ſocietates ſimplices huic appetitui ſufficiant, & quando homo *ζῶον πολιτικὸν* vocatur, hoc eo ſenſu fieri videtur, quod homini inſit quædam *aptitudo*, vt per culturam & diſciplinam præparari poſſit ad ſocietates ciuiles, vel, vt Conringius ait, vt quidem ciuilis ſocietas hominibus conueniat, non *per ſe* tamen, ſed *ex accidente, poſteaquam ſcilicet ab antiqua & naturali ſanctimonia mores ita diſceſſere, vt tuto aut bene extra ciuitatem non poſſis degere.* Examinemus infantes, quanta cultura & diſciplina indigent, vt in ſpem patriæ educentur: tolle eandem, & ineptisſimum ſocietatis ciuilis ſubiectum habebis. Non inepte Livius *lib.* 2. *c.* 43. *in f. Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuem regant, quam qua hoſtem ſuperent.* Nam, vt iudicat Iouian. Pontan. *Hiſt. lib.* 1. *pœnitet populos præſentis ſemper imperii, gaudent nouis rebus, futura in expectationem habent, leuitas illis dux eſt atque autor ad poſtrema quæuis flagitia.* Vere admodum Seneca *lib.* 1. *de clement. c.* 17. *nullum animal eſt moroſius, nullum maiori arte tractandum, quam homo.*

(e) Ho-

§. V. Quin ipſa ciuitatum plerarumque facies oſtendit, ſubditos ſæpe vinculum illud rumpere, turbare pacem ciuilem, (e) & quæuis contra ſalutem publicam audere, vt vel grauiſſimæ haud ſufficiant pœnæ, ad homines continendos in ſocietatis ciuilis vinculo.

§. VI.

(e) Homo a natura eſt animal ad turbas aptum natum, quomodo ergo a natura poſſet dici aptum natum ad pacem ciuilem colendam, cum ne quidem colat pacem communem inter homines laxiori vinculo conſtrictos? Manent enim in hoc vinculo æquales, ſed in *ciuili* adeſt vinculum arctius inæquale, multis modis ferociæ humanæ aduerſum, vt proinde non mirandum ſit, quod tot turbatores in rebuspublicis reperiantur. Inſatiabilis cupido, aliis vel dominandi, vel alios decipiendi, & omnia ad ſe rapiendi non deponitur in ſocietate ciuili, ſed tantum arctioribus pœnis conſtringitur. Supra iam dictum, quod homines ſint ſpecie inter ſe diuerſi: alius appetit hoc, alius illud. Manet in ſtatu ciuili magna hominum quoad voluntates contrarietas, propter quam ægre ſociantur. Et denique licet de quibusdam populis hiſtoriæ referant, quod ad ſeruiendum proni & quaſi nati ſint, tamen id haud vniuerſale eſt, cum potius plerique a natura imperium aliorum in ſe ægre ferant, libertatem magis appetant, & ſic imperium ciuile, vt iugum aliquod libertati naturali aduerſum, intueantur. Magis certe homo natura fertur ad libertatem, quam ad ſubeundum imperium ciuile. Eleganter hoc illuſtrauit Xenophon *in Cyropæd. lib. 1. ſtatim ab initio*, vbi ita infit: *Accidit aliquando nobis ad animum, quot populares adminiſtrationes ab iis, qui aliter potius, quam in populari republicæ ſtatu degere vellent, euerſæ,*

 quot

§. VI. Neque rem conficiunt, qui ſocietatum ſimplicium neceſſarium conſequens ſocietatem ciuilem fuiſſe arbitrantur; (f) nam id quidem

quot item vel ſingulorum vel paucorum principatus a plebeiis ſublati ſint: quotque regnum inuadere conati, partim perquam celeriter imperio ſint deiecti, partim vt viri ſapientes & felices in admiratione ſint, quantocunque tandem ſpatio temporis principatum retinuiſſent. Quin & pleroſque videbamur animaduertiſſe, qui domi ſuæ familiam alii maiorem, alii ſane modicam alerent, quum tamen iidem domini etiam perpaucos illos magnopere ſibi obſequentes habere non poſſent. Præterea veniebat in mentem nobis, vt bubulcis in boues, ſic equariis in equos, adeoque omnibus, quos paſtores dicimus, illæc in animalia, quibus præſunt, non abs re videri imperium eſſe. At vero videre videbamur, greges hos omnes lubentius paſtoribus ſuis parere, quam homines magiſtratibus. Pergunt enim greges, quocunque paſtores dirigunt, atque vt in locis paſtum quærunt, in quæ illi loca eos immittunt: ſic ab iis abſtinent, a quibus arcentur. Quin etiam fructibus, qui ex eis proueniunt, vti paſtores pro lubitu ſinunt: nec vnquam accepimus, vllum gregem aduerſus paſtores coiuiſſe, quo vel minus eis pareret, vel eos vti fructu non permitteret. Imo quibusuis aliis infeſtiores ſunt greges, quam iis, qui & imperium in eos habent, & emolumenta ex eis capiunt, quum homines in nullos maiori eveant impetu, quam quos in ſe regnum affectare ſentiunt. Hæc quum apud animum expenderemus, ita de his arbitramur, vt homini nato facilius exiſtimaremus eſſe, quibusuis animantibus aliis, quam hominibus imperare.

(f) Plerique politici originem ciuitatum ita referunt prout Cicero *lib. 1. de offic. c. 17.* illam deſcribit his verbis:

dem ita mente concipiunt, ſed neceſſitatem conſequentiæ non probant, neque enim præciſe neceſſe fuit, vt homines, qui tandem in aliquot familias coaluere, inter ſe *ſocietatem ciuilem* inirent, cum ſingulæ familiæ ſeparatas ſuas rationes habere potuerint.

§. VII.

bis: *cum hoc ſit natura commune omnium animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis, deinde vna domus, communia omnia. Inde autem eſt principium vrbis & quaſi ſeminarium reipubl., ſequuntur fratrum coniunctiones, poſt conſobrinorum ſobrinorumq; qui cum vna domo iam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles origo eſt rerumpubl.* Sed hæc finguntur, non probantur. Nam hoc ſupponit (α) liberos matrimonia noua ineuntes ſemper ſedes ſuas collocaſſe iuxta parentum habitationem, in quo iis contradicit hiſtoria ſacra; (β) neceſſarium conſequens plurium familiarum eſſe ciuile imperium, quod oſtendi nequit, cum ſingulæ familiæ ſuas rationes ſeparatas habere potuerint, & (γ) ſi vel maxime inde quoddam eſſet ortum imperium, tamen opus fuiſſet pacto aliquo præcedente, mediante quo ſe alterius ſubieciſſent dominio & imperio, adeoque ex *pacto*, non vero ex *conſequentia neceſſaria* eſſet deducendum imperium; pactum autem tale an interuenerit, in facto conſiſtit, & non præſumitur, & ordinarie, qua ratione primitus initum fuerit, non oſtenditur. Interim inficias non eo, primos patresfamilias in familia ſua quoddam imperium exercuiſſe, ceu Plato *de LL. lib.* 3. ait:

 Ex

§. VII. Multo minus vero indigentiæ humanæ (g) adſcribi origo regnorum poteſt; quamuis quidam id ſtatuant ex eo, quod regna condita dicantur iure gentium *L. 5. ff. de I. & I.* Ius gentium autem maxime ex indigentia ortum traxerit, *§. 2. I. de I. N. G. & C.* cum natura hominis paucis contenta, & extra ciuitates quoque, quantum ſufficiat, quæri poſſit.

§. VIII. Recentiorum ſententia, quam Hobbeſius primum expoſuiſſe, & Pufendorffius plenius repetiiſſe videtur, maiorem præ ſe fert probabilitatis ſpeciem, dum originem ciuitatum collocant in mutuo metu, quo homines inducti in ſocietates ciuiles abierunt, vt præſidia ſibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent in ſtatu naturali. (h)

§. IX.

Ex eo, quod principium ex patre matreque ſumſerunt, quos quidem quaſi aues ſecuti gregem vnum conficiunt, patris voluntate pro lege vtentes, & regno omnium iuſtiſſimo gubernati : tamen imperium aliquod ciuile inde exſtruere & ſtructuram reipublicæ formare, id quidem eſt, quod oſtendi nequit.

(g) Id quidem vulgo dicitur, in ciuitatibus omnium rerum abundantiam obtineri poſſe, id quod nec a vero alienum eſt, ſi ciuitatum plerarumque intuemur rationes. Sed id rurſus in quæſtione eſt, an propterea inde *prima origo* petenda? & an tanta extra ſocietates ciuiles hominem premat indigentia, vt non habeat vnde viuat, vt neceſſario propter hanc cauſam in ſocietates ciuiles abire debuerit? quod merito negatur.

(h) Hobbeſius *de ciue c. 1. & 5.* hanc ſententiam plenius

§. IX. Excoluit poſtea eandem ſententiam Adrianus Houtuyn *tr. de Polit. vniuerſ.* in eo ab Hobbeſio diſcrepans, quod conſtitutionem ciui-

nius exponit. (1.) Præſupponit, ſtatum naturalem eſſe bellum omnium contra omnes, (2.) leges naturales ad hæc mala auerruncanda non ſuffeciſſe, (3.) interim ſecuritatem hominum conſiſtere in concordia & vnione multorum, vt ita vis imminens repelli & propulſari poſſit, (4.) hanc tamen concordiam multorum per ſe non ſufficere, niſi accedat aliqua *vnio*, vi cuius vna quaſi omnium fiat voluntas, quod demum (5.) contingat per imperium, ſi vnius vel concilii voluntati ſe ſubiiciat, atque inde (6.) oriri ſocietates ciuiles. Eandem Philoſophiam ſequitur Pufend. *lib.* 7. *c.* 1. §. 7. *ſeqq.* doctrinam Hobbeſii plenius illuſtrans: vbi præterea oſtendit, quare ſola reuerentia legis naturalis haud ſufficere poſſit ad continendos homines intra limites iuris naturæ. (1.) Quia hominum malitia tanta eſt, vt contra conſcientiam agere præſumant, ſi modo impune agere poſſint. (2.) Quia ſi controuerſiæ incidant inter homines, non daretur aliqua via eas componendi, & ſi vel maxime in arbitrum conſentirent, tamen deficeret, qui eos ad obſeruantiam laudi cogeret, (3.) quod quilibet proprio ducatur iudicio circa actiones proprias, quod cum apud diuerſos diſcrepet, non adſit via elabendi, (4.) quod plerique non ratione, ſed libidine viuant &c. Et hoc ſenſu etiam ICti originem *iuri gentium* videntur adſcripſiſſe, quatenus omnes gentes eadem neceſſitate adducti in huiusmodi cœtus conſenſiſſe videntur, cum illud vulgo dicatur *ius gentium*, quod gentes inter ſe, *neceſſitate cogente*, conſtituerunt.

ciuitatum a præcepto naturali *de pace colenda* (i) arceſſat, poſtquam aliter pax coli & ſeruari inter homines non potuiſſet; cum Hobbeſius tantum ideo homines ad ciuitates conſtituendas procliues fuiſſe aſſerat, quod viderint, ſtatum naturalem fuiſſe contra vtilitatem ſingulorum.

§. X.

(i) Primo recte ſupponit, homines fuiſſe conditos ab autore pacis ad pacem colendam, ſed ſimul conſtitutos in ſtatu æqualitatis, adeoque ſingulos iudicaſſe, quid bonum, quid malum fuerit? inde ipſum ius ad omnia accepiſſe, ſed naturam humanam tanquam prauam & imbecillem non potuiſſe recto iudicio & iure vti, & in promiſcuo rerum vſu naturæ leges æqualitatemque ſeruare, hinc prorupiſſe ad ambitionem, gloriam, dominationem, inde ortas eſſe diſcordias, iurgia, pugnas, cædes. Sic itaque rupta pace confuſionem rerum veniſſe, & belli ſtatum, dum continuus ab iniuriis metus ſucceſſiſſet. Hinc tandem concludit, rationem dictaſſe, vt, quia lex prima *de pace colenda* contemni cœpit, pax reſtitueretur, & cum hæc extra imperia non potuiſſet eſſe tuta, hominem cognouiſſe, imperia eſſe inſtituenda, vt præter nudam rationem lex iam & poteſtas ciuilis libertatem moderaretur. Atque hoc ſenſu imperia a Deo eſſe, tanquam eius dictaminis autore, vult, & ſic omnia demum eo recidunt, homines *ex præcepto legis naturalis* de pace colenda adactos fuiſſe, vt coaleſcerent in ciuitates. Huc quoque fere conſpirat Huberus *de iure ciuit. ſect.* 2. *c.* 1. vbi hoc vlterius illuſtrat ex *l.* 5. *de I. & I.* vbi iure gentium dicuntur bella introducta, diſcretæ gentes, regna condita &c. quæ verba hac paraphraſi illuſtrat, ſcil.

§. X. Neque ab hac ſententia alieni fuiſſe videntur antiqui philoſophi, (k) ſed iam ante Hobbeſium geneſin ciuitatum ab hoc fonte deduxerunt.

§. XI.

ſcil. primum in orbe rerum humanarum fuiſſe ſtatum belli, quo gentes nullo imperio coercitæ neceſſario inter ſe collidi debuerint. Huius evitandæ gratia homines ſemet ipſos in gentes ſecreuiſſe, imo cum ne ſic ſatis confuſioni conſultum eſſet, imperia ſtabilita fuiſſe, & quidem omnium primo regna.

(k) Audiamus Ciceronem *pro P. Sext. p. m.* 668. vbi ita: *Quis veſtrum, iudices, ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, vt quodam tempore homines nondum neque naturali neque ciuili iure deſcripto fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per cædem, ac vulnera aut eripere aut retinere potuiſſent? Qui igitur primi virtute & conſilio præſtanti extiterunt, ii perſpecto genere humanæ docilitatis atque ingenii, diſſipatos vnum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad iuſtitiam ac manſuetudinem traduxerunt. Tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominum, quæ poſtea ciuitates nominatæ ſunt, tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento diuino & humano iure, mœnibus ſepſerunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate & immanem illam nihil tam intereſt, quam ius atque vis &c.* Idem *lib. 2. de offic. c. 12.* clarius mentem ſuam exprimit dicendo: *Cum tanta vis iuſtitiæ ſit, vt ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam eius vim inter leges & iudicia & inſtituta reip. fore putamus? Mihi quidem non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed etiam apud*

§. XI. Verum hæc ita quidem probabiliter dicuntur, ſed non probantur. (l) Origines rerum ad hiſtoriam ſimul ſpectant, adeoque exinde primario origo ciuitatum fuiſſet petenda.

§. XII. Quin quod Hobbeſius tantum oſtendat, vtile ſingulis hominibus fuiſſe, vt ob mutuum metum in ciuitates coiuerint: (m) aſt quod vtile eſt, non ſemper præbet primam originem. Neq;

maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant, virtute præſtantem: qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat &c. conf. Seneca *Epiſt.* 90.

(l) Omnia, quæ adducta ſunt, argumenta eo tendunt, quaſi etiam absque omni hiſtoria ſatis tuto poſſit origo rerumpubl. inueniri. Sed illæ coniecturæ non ſufficiunt, quamuis ſint probabiles. Semper dubium remanet, an ea occaſione primitus homines vſi fuerint, ad ſocietates ciuiles ineundas, annon alia poſſit demonſtrari origo. Aliud enim eſt aſſerere, *potuiſſe homines hac occaſione in ſocietates ciuiles abire*, & aliud: *hoc modo & hac occaſione reuera abiiſſe.* Quæ in factis conſiſtunt, aliunde ſunt demonſtranda, nec ex nudis ratiocinationibus dependent, quas tamen plerique, qui origines ciuitatum indagarunt, fere vnice ſecuti ſunt.

(m) Miror, tam prolixe Puſendorffium argumentis Hobbeſianis operam dediſſe. Vult hic, homines propter intereſſe priuatum in ſocietatem ciuilem abiiſſe, quia ſine hoc ſe viderunt omnino eſſe miſerrimos

Neque quod Houtuyn vult, ex dictamine rationis homines vitam ciuilem amplexos eſſe, (n) ſatis conſtat, cum non probabile ſit, vt hi, qui in ſtatu naturali tam impie vixere, & pacem omnem, quod vult, repudiauerunt, tam facile & quaſi derepente iterum conſentire potuerint, ad pacis culturam & obſeruantiam iuris naturalis.

§. XIII.

mos. Sed quid, ſi quis opponat Hobbeſio, inde tantum probari, homines bene facere, vt e ſtatu naturali in ciuilem migrent, non vero neceſſario propterea migraſſe, potuiſſe alio modo neceſſitatibus conſuli, cum, vt Dn. Hertius *in elem. prud. ciu. p.* 1. *ſect.* 1. oſtendit, adhuc dentur gentes inter ſe quidem ſociatæ, ſed absque imperio ciuili. Cum itaque homines tam barbare antiquitus vixiſſe dicantur, quis crediderit, eos mox tam ſana admiſiſſe conſilia, vt propter ſecuritatem ſe vnius vellent ſubmittere imperio. Quin ſi homines tam corrupti fuerint, vti ſtatuunt, vix probabile eſt, ſtatim eos per pactum aliquod ſe conſociaſſe, vt imperium vnius agnoſcerent, quamuis id non negem, potuiſſe plures ſe ſociare, ſed absque imperio.

(n) Argumenta Adriani Houtuyni ſunt magis *comparatiua*, h. e. oſtendunt, ſalubriores generi humano fuiſſe ciuitates propter pacem, quam ſtatus naturalis durationem & continuationem. Et ſi per modum hypotheſeos concederemus, ius naturæ poſtulare, vt propter ruptam pacem in ſtatu naturali, homines abeant in ciuitates, ad pacem reſtituendam, non tamen inde fluit, homines ſtatim hoc dictamen admiſiſſe, & inde ex naturali ratione ſponte & quaſi ex condicto in ciuitatem coaluiſſe, adeoque inde

psi-

§. XIII. Præterea ſi mutuus metus aduerſus vim iniuſtam cauſa & origo ciuitatum eſſet, non impii, ſed pii primum in ciuitates coaluiſſent, qui plus ab impiis metuere debebant. (n) Iam vero teſte Scriptura ſacra, Cainitæ improbi primi ciuitatum conditores fuerunt.

§. XIV.

primam ciuitatum originem eſſe repetendam. Quin cum tot diuerſæ hominum voluntates ſint, cum omnes æquales in ſtatu naturali, & ſinguli proprio vſi fuerint iudicio, quid ſibi conduceret, cum ſinguli abrepti dicantur ſuis affectibus, libidine, auaritia, ambitione, id quod omnes huic hypotheſi addicti fatentur, quis ſibi concipere poteſt tantam conſenſionem & harmoniam vel inter centum modo, vt ſponte & ex propoſito ciuitatem condiderint. Aut itaque falſum eſt, ſtatum naturalem fuiſſe perpetuum bellum omnium contra omnes, quis enim in ſtatu turbido & bellicoſo tot inter ſe conglutinabit homines? aut origo aliunde petenda.

(n) Facilius adhuc conſpirant improbi, quatenus ad improbitatem ſuam exercendam aliorum opem neceſſariam eſſe vident, quod exemplis tot gentium latrocinantium perſpicuum eſt. Inprimis conſpirant contra pios, quibus damnum inferre ſatagunt, ex odio, quo ipſos quotidie perſequuntur. Odium quoque mutuum regnat inter improbos, ſed experientia & recens & antiquorum temporum oſtendit, ſæpe & plerumque odia inter proteruos homines ad tempus deponi, vt coniunctis viribus poſſint pios, vel quos pro talibus habent, opprimere. Facilius impium impius tolerat, quam pium, cum ſimilis ſimili gaudeat, ſed pii mores ab impiorum moribus ſunt diuerſiſſimi, imo eis plane intolerabiles *Sap. II*, 15. inde odium piorum. Iam itaque pii ſemper quæuis mala metue-

§. XIV. Examinanda nunc ſupereſt eorum ſententia, qui originem imperiorum violentiæ adſcribunt, (o) adeoque vim & libidinem imperandi cauſam ciuitatum dediſſe volunt.

§. XV. Et ſane ſi literas euoluimus ſacras, hæc ſententia ſatis conueniens videtur. Primo enim hoc certum eſt, Cainum (p) fratricidio adhuc recentem condidiſſe primam ciuitatem, quem nulla

metuere debent ab impiis, vti hoc inſectandi ſtudium deſcribit Salomo *Prov. I, 11. ſeqq.* conf. *Sap. II, 19. ſeqq.* adeoque ſi metus ob vim iniuſtam cauſa conſtituendarum ciuitatum eſſet, origo earum apud Patriarchas eſſet quærenda, ſed id contra veritatem hiſtoriæ eſt. Patriarchas ſimplicem coluiſſe vitam conſtat, degebant in caſis, & tuguriolis, rei pecuariæ & agriculturæ operam dantes, optimum vero præſidium contra reprobos quærebant in fiducia in Deum, quæ eos longe ſecuriores reddebat, quam ſi vnice fiduciam poſuiſſent in pacta & confœderationes humanas. *Prouerb. III. 23. ſeqq.* Dn. Thomaſ. *de homin. propriis*, §. 17.

(o) Huius ſententiæ patronus primarius eſt Bodinus *tr. de Republ.* vbi paſſim hoc inculcat, vid. *Lib.* 1. *c.* 6. *p. m.* 72. *& lib.* 2. *c.* 2. *p. m.* 296. *& c.* 3. *p.* 306. *& lib.* 4. *c.* 1. *p.* 579. Supponit vnius dominatu plures fuiſſe ſub iugum redactos, idque probat ex hiſtoria ſacra. Sed a pluribus propterea refutatur, inprimis a Beſold. *Op. polit. l.* 1. *p.* 50. §. 10. Arniſæo 1. *de republ. c.* 9. Piccarto *ad pol. Ariſt. lib.* 3. *c.* 15. Eandem tamen defendit ſententiam Chriſtoph. Forſtnerus *ad Tacit. lib.* 3. *annal. p. m.* 285. *&* Ill. Dn. Thomaſ. *cit. l.*

(p) Si Caini mores conferamus cum fratris Abelis, ſane genuinum exemplar Tyranni & hominis manſue-

nulla alia cauſa ad hoc compuliſſe videtur, quam odium erga pios & dominandi libido.

§. XVI. Fit præterea Gigantum (q) mentio in ſacris literis Gen. VI, 4. quos *Tyrannos, oppreſſores, graſſatores, latrones* fuiſſe, eruditi obſeruant. Quin itaque hi oppreſſores hos, quos ſuis latrociniis oppreſſerant, ſub ſuum iugum & imperium redegerint, valde probabile eſt.

§. XVII.

ſueti deprehendimus. Cain dicitur fuiſſe *agricola*, ex quo vitæ genere forſan eius auaritia oſtendi poſſet. Deinde *ambitio ira* & *faſtus* eius ingens ſtatim ex fratricidio eluceſcit. Neque enim ferre poterat fratrem, quem iuſtiorem ſe videbat, id vero non aliunde, quam ex ſumma ambitione prouenire poterat. Inde perpetuum odium in probos. Ex odio oriuntur duo vitia (1) *nocendi ſtudium*, quod ſeſe exſeruit in fratricidio, (2) *diffidentia*, quod clare teſtatus eſt, dum aſſeruit, ſe in futurum vagum eſſe debere in mundo, & cuiuslibet internecioni obnoxium. Ex hac duplici cauſa, cui libido imperandi acceſſit, condidiſſe ciuitatem legitur, quæ vt ut ab initio rudis eſſet, varia tamen in tam longæua hominum vita cepit incrementa, maxime cum Tyrannus hicce ſuos ad latrocinia excurſionesque faciendas inſtituiſſet. Nam Ioſeph. *lib.* 1. *antiq. c* 4. diſerte ait: *Ad luxuriam quoque & latrocinium ſuos familiares inuitans, quorum doctor in ſceleſtis ſtudiis erat.*

(q) Mentio in ſacris *cit. l.* iniicitur de certo genere hominum, qui הנפלים vocantur, quam vocem varie explicare ſolent critici. Interim in eo conueniunt plerique, quod nefarium hoc genus latrocinia paſſim egerit, vid. Oſiand. *in Bibl. fol.* 10.

Pruckn.

§.XVII. Poſt diluuium Moſes, multiplicato genere humano, Nimrodis (r) facit mentionem, de quo dicitur, quod (I) *potens* eſſe cœperit, (II) quod

Pruckn. 1. *vindic. Bibl. f.* 6. Chriſtian. Scotan. *Bibl. hiſtor. ſacr. de prima mundi ætat. f.* 91. *ſeq.* Quod admodum probabile eſt, licet Moſes horum mores non plene expreſſerit, quia conſtat, eum non omnia quoad omnes circumſtantias ab initio referre, ſed cuiusque rei potisſima ſaltem & ſumma attingere capita & origines. Interim generaliter ſatis horum Nephilæorum mores deſcripſit *cit. l.* oſtendens (α) eos fuiſſe *fortes*, *potentes* (β) *viros magni nominis*. Vtrumque prædicatum mores eorum egregie exprimit, qui aliis imperare & ſibi autoritatem inter omnes conciliare volunt: vnde non inepte Clericus *comment. in Pentateuch.* hac paraphraſi rem explicat: *Ab iis temporibus latrocinia in terris a Cainitis exercebantur, qualibus latrones, quos Nephilæos Hebræi vocant, infeſtam fecerunt Arabiam. Horum vitæ exemplar ſecuti ſunt, qui Enoſidis ex Cainitidibus nati, ſibique inſigni fortitudine famam ingentem pepererunt.* In antecedentibus autem illa declarat, quæ ad §. *præced.* iam dicta ſunt. Et ſane horrendisſima eo tempore fuiſſe vitia, vel ſubſecuta a Deo pœna oſtendit, qua totum genus humanum deleuit. quia enim talia perpetrabant latrocinia & facinora, quibus totum humani generis vinculum rumpebatur, nefandum illud genus humanum e medio tollere voluit, quod ſpiritum pacis intra ſe admittere amplius nollet, ſeruato tantum Noacho iuſtisſimo cum progenie, in quo ſolo tunc ſuperſtes fuiſſe videtur pietatis veræ cultura.

(r) Nomen huius potentisſimi deriuat Clericus in *Pentateuch.* a voce arabica *maridon*, quod *ſuperbum*, *inſolentem*

quod *ſtrenuus venator* fuerit. Vtrumque prædicatum deſignat bellicoſisſimum & violentiſſimum eius animum, quem variis latrociniis edidit.

§. XVIII. Cum hiſce fere conſpirant, quæ eruditi obſeruant de vſitatis latrociniis gentium antiquarum in gentes. (s) Qui enim ſe primum coniunxere ad latrocinia exercenda, & in vnam ita

lentem & *contumacem* denotat, additque: *eiusmodi indolis oportet fuiſſe, qui primus imperium parentum ſpreuerit, quod antiquiſſimum eſt imperii genus, & in alios vſurpare inſtituerit.* Hinc & *potens* fuiſſe dicitur, tum ad vires corporis deſignandas, quippe quæ, cum ad venationem, tum ad occupandum Imperium, neceſſariæ fuiſſe videntur; tum etiam ad inſolentiam & intolerabilem ambitionem exprimendam. Probabile itaque eſt, illum ſibi aſſociaſſe plurimos, qui artem venandi cum ipſo exercerent, & eo ferociores in deprædandis aliis fierent. Huc etiam collimat Mænacinus *lib. 2. polit. c. 3.* inquiens: *Nimrodus tanquam venator robuſtus in ſacris introducitur, non quod feras & beſtias, ſed homines venatus fuerit, i. e. adhibita vi bellica eos poteſtati ſuæ ſubiecerit. Ne autem alii populi ita ſubiugarentur, in ciuitatibus ſe coniunxerunt, vt mutuis viribus Tyrannicæ inuaſioni reſiſterent.*

(s) Plura notatu digna collecta ſunt in *Obſeru. Hall. 6. tom. 7.* de latrociniis gentis in gentem. Et huc pertinet locus Bodini *lib. 3. de Rep. c. 7. p. 512.* inquientis: *Fuit primum genus hominum rapinis & latrociniis deditisſimum, & cui nihil prius eſſet, quam graſſari & occidere, aut imbecilliores premere & occidere, vt verisſime Plutarchus cum hiſtoria ſacra congruenter* ſcri-

ita colluuiem conglutinati ſunt, facile ab ipſo primario duce opprimi potuere, cuius imperium eo libentius paſſi ſunt, quod duce ad hoc ſcelus exercendum indigerent.

§. XIX.

ſcribit. Declarat hoc vlterius exemplis Græcorum, aliorumque. Initia vrbis Romæ erant latronum colluuies. Non populus ſibi quæſiuit regem, ſed prædo populum; Hinc ex vero cenſuit Carneades apud Lactantium *lib. V. de iuſtit. c.* 16. *omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, ſi iuſti velint eſſe, h. e. ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum & in egeſtate & miſeriis iacendum.* Eadem fuit ſententia Cariolani apud Dion. Halicarnaſſ. *lib.* 8. *pr.* aientis : *Si vnusquisque populus partem ſuam, ſibi per vim contra ius & fas ereptam, velit repetere ac recipere, nihil erit tam paruum, tam debile, tam egenum, quam reſp. Romana.* Ex illo latrociniorum ſtudio plures enatæ ſunt gentes, cum plures latronum ſocietates conditæ fuerint, ex his tandem ordinatæ respublicæ. Potentiores enim inter deprædatores conſultius duxere ad ſuperbiam ſuam explendam, ſi ordine quodam idoneo regeretur populus. Inde quoque tot migrationes populorum, qui, teſte hiſtoria, nullo alio ſtudio has vt plurimum inſtituiſſe leguntur, quam latrociniorum cauſa. Galli Senones exemplo ſint, qui *nati ad hominum interitum, vrbium ſtragem videbantur.* Flor. *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 4. Neque enim apud pleroſque populos infame habitum fuit latrocinari, ceu de Germanis teſtatur Cæſar *lib. VI. de bello Gall. c.* 23. ibi: *latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant, atque vbi quis ex principibus in concilio ſe dixit ducem fo-*

§. XIX. In compendio Tacitus *lib.* 3. *annal.* hoc comprobat his verbis : *Poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio* (t) *& vis incedebat, prouenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere.*

§. XX. Et ſi denique per omnia iueris ſecula, regnorum præcipuorum ortus & incrementa perluſtrans, vim & latrocinia potentiæ initia fuiſſe apparebit. (u)

§. XXI.

re, vt qui ſequi velint, profiteantur, conſurgunt ii, qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur. qui ex iis ſecuti non ſunt, in deſertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis poſtea fides abrogatur. De Chaldæis Xenoph. *lib.* 3. *Cyropæd. p. m.* 74. *lit. e.* idem refert, vt alios taceam.

(t) Ambitio nihil magis appetit, quam imperandi occaſionem. Themiſtocles ex inſana ſuperbia ſe ad imperandum natum prædicabat, vid. Plutarch. *in Themiſtocl.* Iaſon ſuam vicem deplorabat, quod non regnaret. Cæſaris dictum fuit : *Si violandum eſt ius, imperii gratia violandum : aliis rebus pietatem colas.* Vnde tot prœlia & bella, quam ex libidine imperandi nata leguntur? Neque aliunde bellorum ciuilium in republica Romana cauſam quærere poſſumus.

(u) Ita iudicat Forſtnerus ad Tacit. *cit. l. p.* 285. vbi hoc per multa demonſtrat exempla, ex quo ſequentia illuſtrationis ergo huc transferre lubet : *Primus in orbe dominantium Nembrotus fortis coram Domino venator vi ignotam ante illa tempora mortalibus dominationem introduxit, vt minime inficete ipſum Politi-*

liticorum patrem; vocet Laurentius Pignorius V. Cl. in commentario de ſeruorum miniſteriis. Secuti Ninus & Semiramis armis imperium propagauerunt. Ab Aſſyriis ad Perſas Cyrus auo ereptum imperium haud ſane iuſto titulo tranſtulit. Et Alexander magnus petiti bello orbis terrarum quam cauſam habuit, niſi immenſam dominandi libidinem? Quid de cæteris interim hinc inde, quorum aliquod in hiſtoria nomen eſt, regnis aut rebuspublicis dicam? De Athenienſibus Thucydides ſcribit (lib. 1.) libere profeſſos, non ſe alias actorum ſuorum defenſiones quærere, quam quod ſciant ſemper moris fuiſſe, inferiorem a ſuperiore premi: & neminem vnquam tanti æquitatem feciſſe, vt eius cauſa occaſionem extendendi imperii e manibus dimiſerit. Iterum affirmarunt, Deos ſe ſecundum leges colere: in ceteris viuere omnium mortalium ingenio; vt quibus præualent, imperio premant: eam legem neque ſe primos tuliſſe, neque lata primos uſos eſſe: ſed iam ante omnium populorum vſu comprobatam accepiſſe. (Thucyd. 5.) Lyſandrum dicere ſolitum referunt, veritatem quidem mendacio meliorem eſſe, ſed vtriusque tamen pretium vſu definiri; ideoque pueros quidem talis, viros autem iureiurando ludere. Et Ageſilaus dixiſſe fertur, iuſtum eſſe, quodcunque Spartæ prodeſſet. Hinc illud Euripidis in Androm.

Ἔνοικοι Σπάρτην δόλια βουλευτήρια.
Habitatores Spartæ doloſus ſenatus.

Menno Theſſalus ad ea, quæ vellet, efficienda, viam maxime compendiariam arbitrabatur peierare, mentiri, fallere. Simplicitatem & candorem pro ſtupore habebat. Periuros, iniuſtos, ſui ſimiles, vt iisdem artibus munitos, verebatur: iuſtos bonosque contemnebat. (Xenoph. 2. de exped. Cyr.) Theſſalorum perfidia prouerbio notata eſt, vt ex Suida obſeruat libro ſecundo de iuramento cap. 14. Thomas Dempſterus.

Iam ſi de Romanis ferenda ſententia eſt, nihil apertius eſt, quam ſi iuſtitiam illi curaſſent, etiam vbi illa vtilitate carebat, lupercal manſuram illam, quæ tantopere celebrata eſt, æternam vrbem. C. *Cæſar apud Dionem Caſſium (lib. 38. hiſt.) teſtatur, Romanos in eam magnitudinem, qua illa tempeſtate erat, ædificaſſe vrbem ſuam, fortunas ſuas tanquam alienam periculis obiectando, alienas tanquam ſuas vſurpando. Et M. Tullius (3. de Republ.) gloriatur, populum Romanum ſociis defendendis ad ſummum potentiæ cacumen eniſum; quibus interdum commodi ſui cauſa quam fœderis auxilia ferebant, eaque lente & tarde, vt aut ſe ſuaque dederent (quod Campani bello Samnitico coacti fecerunt) aut ſi potentes eſſent, cladibus attererentur. Socios prompte recipiebant eos, quorum ſitus ad res nouas & motus opportunus erat; & quosdam non tam ob ſupplicum preces, quam quod occaſio offerebatur laceſſendi & inuadendi alios, in quos cauſæ belli quærebantur, quorumque nullæ alias in ſe iniuriæ extarent. Poſtquam armis ſociorum ſuam auxere potentiam, tandem ipſos ſocios, qui tum demum ſero nimis ſeruitutem, in quam lapſi erant, animaduerterunt, non vt fœdere iunctos, ſed vt dedititios tractare cœperunt.* Idem quoque de Romanis Galgacus tulit iudicium, dum eos vocat *raptores orbis, quos non oriens, non occidens ſatiauerit.* Tacit. *in vit. Agric. c.* 30. Ioannes Freinsheimius *in not. ad Florum lib.* 1. *in f.* idem confirmat, aiens: *Vim & iniuriam plerorumque fere dixerim magnorum imperiorum originem eſſe. videbunt rem ex vero æſtimantes, vt ridicule facere videantur, qui ab aliis maiorum ſuorum acquiſita, ab aliis iterum perdita, longo poſt interuallo quaſi iure repetunt.* Nonnulla quidem ex poſt facto iuſtiſſimo acquiſita titulo, quod negari nequit; ſed ad primam originem illuſtrandam hæc multum conferre poſſunt. Conf.

Hertius

§. XXI. Illud quoque ex Hiſtoria Sacra notandum, ipſos Abrahami poſteros in via Dei ambulantes imperium nullum affectaſſe, & peregrinos in aliis terris fuiſſe. Sed Eſau (x) impius, Caino & Nimrodo quoad mores ſimilis, mox condidit ſibi regnum, *Gen. XXXVI.* & Choræos profligauit. *Deut. II*, 12.

§. XXII.

Hertius *p.* 1. *Sect.* 3. §. 4. *in elem. prud. ciuil.* vbi multis exemplis hactenus dicta illuſtrat.

(x) Fuit Eſauus conditor Idumæorum. Nam antequam frater Iacobus ex Meſopotamia rediret, montem Sehir, ſeu montanum illum tractum occupauit, cui poſtea *Idumæi* nomen inditum eſt, expulſis veteribus colonis. Eſt hic alter ſtrenuus Venator, ſimilis Nimrodo moribus, vnde dicitur *Venator* & *agreſtis Gen. XXV*, 27. Pulcre obſeruat Clericus *in Comm. ad cit. l.* hoc tum ad *viuendi conſuetudinem*, tum ad *mores* eius referendum eſſe. *Nam*, pergit, *Venationis ſtudioſus Eſauus multum per agros errabat, & eo genere vitæ agreſtiores mores, vt ſit, contraxit.* Et quemadmodum Florus *lib. II. c.* 17. de Viriato dicit, quod *ex venatore latro, ex latrone ſubito dux atque imperator factus fuerit*, ſic & Eſauus iisdem artibus Idumæam, expulſis veteribus incolis, condidit. At contra de Iacobo ſtatim additur, quod fuerit *mitis* & *manſuetus*, quæ prædicata ſunt oppoſita agreſti vitæ Eſaui. Pertinent huc verba Philonis *lib. de pœn. & præm* inquientis: *Duos contigit filios naſci, alterum ferum & indomitum, ira & cupiditate plenum, alterum mitem & humanum, virtutis cultorem.* Illuſtrari hoc vlterius poteſt ex *Gen. XXVII*, 40. vbi Iacobus Pater de Eſaui *imperio* vaticinatur, ſed addit: *de gladio tuo viues*, h. e. non te opima

§. XXII. Ex quibus omnibus denique concludo (I.) Imperia ab initio non fuiſſe conſtituta ex bono conſilio, ſed vt vel eo tutius facinoroſi latrocinia exercere, vel libidini ſuæ imperandi ſatisfacere poſſent (y)

§. XXIII. (II.) Originem imperiorum deberi impiis & eiusmodi hominibus, qui magis ab initio nocuerunt generi humano per ſuas respubli-

tellus aut commercia ditabunt, ſed vi & armis ex finitimis gentibus ſpolia & prædam coaceruabis. Et hanc ſemper fuiſſe indolem Idumæorum oſtendit elegantisſime Belgii ſidus. Ioannes Clericus *ad cit. l.*

(y) Si quis vrgeat, hoc tantum quorundam regnorum demonſtrare originem, non omnium, tunc parata eſt reſponſio, (1.) quæſtionem eſſe *de prima origine ciuitatum*, licet non negauerim, alias respublicas poſtea potuiſſe aliter conſtitui, quamuis excepta Theocratia Iudaica; forſan de eo dubitari posſit. (2.) & vtut non ſemper aperta vis posſit doceri, tamen ſemper circa origines quæſtio eſſet examinanda, an non is, qui ſibi imperium in alios asſeruit, hoc fecerit ex malo conſilio, an vt aliis prodeſſet, an vero vt ſuæ ſatisfaceret libidini? Et illi ipſi, qui ſe patriam a tyrannide liberaturos dixere, turbas non publici boni cauſa mouerunt, ſed ex mera imperandi libidine, cuius rei optimum præbuit exemplum Cromwellus.

(z) Oſten-

publicas, quam profuere. (z) Certe piis adſcribi origo imperiorum nequit. (a)

§. XXIV. (III.) Ab initio quidem respublicas fuiſſe rudes & inordinatas, neque adeo amplas, ſuo tamen conſtitiſſe imperio, ſed ſucceſſu temporis per nouas prædas accepiſſe incrementa. (b)

§. XXV.

(z) Oſtendunt illud tres illi in Scripturis S. famoſi venatores & agreſtes homines Cain, Nimrod, & Eſau, vnde tot noua regna ſua cepere auſpicia. Oſtendi iam prima regna magis fuiſſe conſtituta, vt eo tutius poſſent homines in vnam colluuiem conglutinati latrocinia exercere, & aliis obeſſe, qui mos diutius gentilibus antiquis adhæſit, vnde tot poſtea bella ſunt orta, quæ nil niſi magna gentium inter ſe fuere latrocinia, licet ſemper aliquo iuris prætextu præfulgeant.

(a) Non quidem reſpuere respublicas, cum Patriarchæ fuerunt advenæ, & πάροικοι in aliorum regionibus, ſed nunquam in alios imperium ambierunt, vti Eſauus fecit.

(b) Huius rei pasſim quoque occurrunt veſtigia in S. literis. Apparet hoc ex *Gen. X.* vbi plures reges dicuntur fuiſſe vectigales Regi Elymaidis, potentisſimi in Aſia, a quo etiam rurſus deuicti. Equidem volunt, regnum Babylonicum a Nimrodo eſſe conditum & floruiſſe diutius, eique fuiſſe plerosque alios populos obnoxios: ſed his contradixit clar. Clericus *ad Pent. in Gen. c. X,* 10. Neque enim aliter fieri potuit, quin poſtquam respublicæ plurimæ ſemel eſſent introductæ, hæ ipſæ poſtmodum in prædam potentioribus cederent, ex quo tandem potentisſima & diffuſisſima imperia ſunt orta. Male parta eodem fato periere, quo acquiſita erant.

§. XXV. (iv.) Semel introductis rebuspublicis paulisper declinaſſe quasdam, ſed paucas, ab antiqua illa & vſitata latrociniorum licentia, prout nimirum reges verum Deum colere cœperunt. Et huc forſan pertinuiſſe videtur Rex Salem (c) Abrahami tempore regnans, ſingulari nomine, a *iuſtitia* deſumto, notabilis, quia hac omnibus aliis præiuiſſe legitur regibus. Simile quid videtur deprehendi in Rege Abimelecho, de quo *Gen. XX.*

§. XXVI.

(c) Aliqui hunc ipſum *Semum* fuiſſe ſuſpicantur, ſed absque fundamento. Vnde eius regni initia ſint petenda, non conſtat. Neque adeo dici poteſt, alia eius fuiſſe initia, quam adiacentium regnorum. Adeoque ſi vel maxime ab initio & huius regnum non adeo bono conſilio conditum fuit, poſtquam tamen deriuatum in poſteros, & in ipſum Melchiſedechum eſſet, & hic verum Deum timeret, regnum ſuum optimis illum regnaſſe rationibus, facile iudicari poteſt. Qualis enim rex, tales populi & ſubditi. Fuiſſe hunc Chananæum ſuſpicatur Clericus *ad Gen. XIV*, 18. cum inter medios Chananæos ſitum regnum eius fuerit. Neque adeo improbabile eſt, medios inter Chananæos adhuc ſuperfuiſſe iuſtos quosdam. Et quia inter reliquos populos iuſtitia tam rara erat, ipſi nomen κατ' ἐξοχὴν inditum, quod *rex iuſtitiæ* dictus fuerit. Imo & ciuitas SALEM *pacem* denotat, quod rurſus indicium præbet, huic præ aliis populis hoc prædicatum tunc competiiſſe: cum enim nulli bellum inferret, ipſa etiam a nullis armis petebatur, vt iudicat Clericus *cit. l.* Idem de Numa Pompilio refert Florus *lib.* 1. *c.* 2. in fine his verbis: *Vt quod*

vi

§. XXVI. (v.) Fuiſſe præter regna & alias ſocietates, quæ reipubl. ſpeciem non habent, ſed tamen defenſionem quandam mutuam in ſe continere videntur. Atque huc pertinet Abrahami (d) fœdus cum Mamre & fratribus eius initum, de quo *Gen. XIV*, 13.

CAP. II.

---

vi & iniuria occupauerat imperium (Romulus), *religione atque iuſtitia gubernaret*. Facile enim adducor, vt credam, ſemel introducta regna & imperia maiori iuſtitiæ cultura fuiſſe adminiſtrata, quam quidem occupata erant, cum etiam illa, quæ a malo inchoata ſunt principio, ſucceſſus meliores habere posſint.

(d) Abrahamum regem non fuiſſe, conſtat ex eo, quod ſemper aduena vel peregrinus dicatur. Neque tamen ob magnam copiam ſeruorum ſe ſubieciſſe alicui regi, ſed magis *ſui iuris* manſiſſe videtur. Vbi enim Cananæam terram incoleret, cum Mamre & fratribus eius fœdus iniit, quod, quibus conſtiterit legibus, non conſtat. Probabile eſt, illud quoque ad defenſionem fuiſſe initum, quod ex eo perſpicuum eſt, quod Mamre cum fratribus dicatur prœlio interfuiſſe, quo fratrem Lothum a captiuitate liberauit. Videmus etiam, Abrahamum a regibus Salem & Sodomæ pro tali habitum fuiſſe, qui nemini ſubiectus, ſed ſui iuris eſſet. Potuiſſet itaque ad exemplum ceterorum ſe pro rege gerere, certum locum occupare, & imperium aliquod ibi inſtituere, ſed magis Deo confiſus, vt paterfamilias ſeruis in domo ſua natis præfuit. Simile fœdus poſtea iniit rex Abimelech cum Iſaaco, quem antea a ſe expulerat, *de non lædendo & offendendo*; viderat enim Abimelech, Iſaacum nimis fieri potentem, de quo plenius agitur

CAP. II.
De
Nexu imperii ciuilis.

§. I.

IN omni ſocietate (e) nexus quidam ſeu vinculum occurrit, per quod corpus illud morale continetur, conſeruatur, & ad finem propoſitum deducitur.

§. II.

Gen. XXVI. circa finem. Primum itaque ob potentiam excedere iuſſus erat Iſaacus, in quo Abimelech egerat contra fœdus cum Abrahamo iam initum *Gen. XX.* Sed quia forſan metuebat, ne Iſaacus hanc iniuriam vindicaret, de nouo fœdus cum eo iniit, & amicitiam priſtinam redintegrauit.

(e) Societas eſt *complexus plurium perſonarum vnitarum inter ſe ad certum finem.* Spiritus ſeu anima huius corporis conſiſtit in *vnione*, per quam omnium *vna* redditur *voluntas*, adeo vt coniunctim conſiderati *vnam* propterea in moralibus repræſentent *perſonam.* Quemadmodum itaque in naturalibus, ſi ex pluribus diſtantibus inter ſe rebus *vnum* quid fieri debeat, nexus quidam ſeu vinculum requiritur, quo res illæ diſtantes conglutinari & in *vnum* redigi poſſint, exemplo ædificii exſtructi: ita in ſtructura corporis ciuilis *nexus* aliquis requiritur, per quem voluntates omnium vniantur, vt debitum aſſequantur finem. Huc reſpexit Seneca *epiſt.* 102. aiens: *Quidam ex diſtantibus conſtant, quorum adhuc membra ſeparata ſunt, tanquam exercitus, populus, ſenatus. Illi enim, per quos iſta corpora efficiuntur, iure aut officio cohærent, natura didu-*

cti

§. II. Nexus hic conſiſtit in *vnione plurium voluntatum ad finem communem*, & quoniam vnio ſine *obligatione* concipi nequit, cum ipſe nexus ſit obligatio, hinc mutua in hunc finem intercedere debet obligatio. (f)

§. III. Vnio illa fit conſenſu & quidem vel *expreſſo* vel *tacito*. Hic colligitur ex vnanimi cir-

cti & ſinguli ſunt. Sic itaque ſatis clare differt *multitudo* ab hac ſocietate. Illa deſtituitur tali ordinata vnione, & plerumque ſingulis in illa ſunt ſuæ actiones, adeoque cohærere diutius nequit. Hinc Cic. *pro P. Sextio p.* 681. *qui inſtituta maiorum neglexerunt, & imperitæ aut concitatæ multitudini iucundi eſſe voluerunt, omnes fere reip. pœnas dependerunt.* & in *orat. pro domo ſua ab init. in multitudine vitioſiſſimum* dicit, *varietatem & inconſtantiam & crebram tanquam tempeſtatum ſic ſententiarum commutationem*. Sed quod *vniti* agunt, ibi ſingulis non eadem actio, non idem circa actiones iudicium, ſed cum ſtent pro vna perſona, vnum quid egiſſe omnes intelliguntur.

(f) Tales vniones ad certum finem indigent ſpeciali partium conſenſu, vt coaleſcant in talem vnionem, ſiue iam conſenſus ſit *abſolute liber*, ſiue ex *hypothetica neceſſitate* productus. *Neque enim vllum certius amicitiæ vinculum, quam conſenſus & ſocietas conſiliorum & voluntatum*, ait Cicero *orat. pro Cn. Plancio.* Dum vero in talem vnionem conſentiunt, vtrinque oritur obligatio, & in hac nexus ſeu vinculum ſocietatis conſiſtit, cum obligatio ipſa definiatur eleganter per *vinculum iuris*, vi cuius aliquis ex neceſſitate ad præſtandum quid alteri adſtringitur.

(g) Et-

circa eundem finem cooperatione, (g) licet nunquam expreſſe inter ſe conuenerint, id quod tunc maxime fieri cenſendum eſt, quando ex neceſſitate quadam hypothetica plures conglutinantur.

§. IV. Vnio autem illa ſocietatem vel *aequalem* vel *inaequalem* producit. Illa (h) fundatur in ſimplici plurium inter ſe vnitorum obligatione, qualis deprehenditur in coalitione & ſyſtemate plurium ciuitatum, quarum ſingulae ſeparatas

(g) Etiam *re ipſa* poteſt ſocietas contrahi *l.* 4. *de ſoc.* Dn. Hert. *de ſociet. fact. conſtit.* & poſſunt plures incidere *ex accidenti* in ſocietatem, praeter antecedentem deliberationem. In magnis ſocietatibus ordinarie hoc in caſu praecedit aliqua neceſſitas, qua poſita plures, eadem neceſſitate preſſi, non poſſunt non in *vnionem* illam conſentire, & inde ad communem finem cooperari. Sic fieri potuit primis temporibus, vbi latrociniorum libertas late patebat, vt plures ſegreges familiae contra vim communem ſe coniunxerint *ipſo facto*, vt, eo ſecurius poſſent communi hoſti reſiſtere, ita vt, depulſo coniunctis viribus hoſte, ſemper in illa vnione perſeuerauerint, accedente nexu *vicinitatis*. Simile exemplum concipi poteſt in peregrinis, diuerſis ex locis venientibus, & ad littus ignotum appulſis, qui ſi ab incolis illius terrae vel inſulae vel etiam in ipſo itinere a latronibus male habeantur, *abſque praeuia deliberatione* conſpirare poſſunt ad commune malum propellendum, cum naturale ſit, vt in communi periculo, etiam maxime inter ſe ignoti, ſocii fiant.

(h) *Aequalis* ita dicitur, quoniam non regitur a ſuperiori, ab omni libera eſt imperio, & ſubiectione, & fun-

tas ſuas habent rationes, ita tamen vnitæ, vt, quæ ad communem defenſionem ſpectant, coniunctim ſint expediendæ.

§. V. Societates inæquales fundantur in imperio & ſubiectione, quæ licet plures ſint, tamen inter eas eminet *ciuilis*, cum plures ita vniuntur, vt vel vnius voluntati vel vni concilio ſe ob-

fundatur in ſimplici obligatione vel fœdere, & communiter iuramento conſtringi ſolet. Hic nexus ex præcedente pacto expreſſo deſumi poteſt, præſertim ſi plures ciuitates liberæ & ante ſeparatæ ita coaleſcunt, & expreſſo fœdere inter ſe connectuntur. Verum & *ipſo facto* ſeu tacite quoque hic nexus concipi poteſt, dum vinculum, quo plures prouinciæ ſub vnius imperio hactenus continebantur, ex variis interuenientibus mutationibus ita laxatur & communi imperio ſubducitur, vt ſingulæ quidem ciuitates ad αὐτονομίαν perueniant, ſed tamen vinculum ſyſtematicum quoddam ſuperſit. Scilicet vinculum illud prius, quo omnes olim ſub vnius imperio erant compoſitæ, mutationibus interuenientibus & poteſtate imperantis paulatim remiſſa, mutatur ex poſt facto etiam re ipſa, ſed absque omni expreſſa & noua confœderatione, in aliquod ſyſtematicum, quamuis non ita *ordinatum* & *regulare*, vti ſi expreſſo fœdere plures ſeparatæ ciuitates coaleſcant, quia ſemper manet ſtudium renitendi, vt & alia incommoda. Idem vinculum æquale cernitur in *cœtibus eccleſiaſticis*, vbi inter ipſa membra nullus concurrit imperii & ſubiectionis reſpectus, vt de aliis collegiis in ciuitatibus nihil dicam.

(i) Im-

obtemperaturos promittant, (i) vt eo efficacius omnium vna voluntas operetur.

§. VI.

(i) Imperium vnius vel concilii alicuius vim inſignem addit ſocietati, quia ſine hoc negotia ſocietatis effectum ſortiri commode non poſſunt. Sunt homines ad diſſentiendum procliues, & præterea ad rupturas vinculi & nexus communis faciles, hinc talis vis coactiua accedere debet, quæ plures in coniunctione detinet, ne facile inde auelli poſſint. Optime Seneca *lib. 1. de clem. c. 4. Ille* [imperans] *eſt vinculum, per quod respubl. cohæret, ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur.* Huc collimat Cic. *lib. III de LL.* aiens: *Nihil tam aptum eſt ad ius conditionemq; naturæ quam imperium, ſine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* E contrario quoties hic nexus ciuilis, qui vnionem fundat & ſuſtinet, turbatur, peſſima reip. facies naſcitur. De Mithridate, bellum Romanis inferente, Florus *lib. III. c. 5. n. 5.* hæc refert: *Spem & fiduciam dabant noſtra vitia: Quippe cum ciuilibus bellis diſiungeremur, inuitabat occaſio nudumque imperii latus oſtentabant procul Marius, Sylla, Sertorius.* Differt hæc ſocietas multis modis ab *æquali.* In illa receditur a *ſtatu naturali,* quæ inter paciſcentes ſeu ſocios æquales ſalua manet. In illa vinculum ſeu nexus arctius ſtringit propter imperium & eidem cohærens ius cogendi; in hoc vero laxius vinculum adeſt, in ſola & ſimplici obligatione conſiſtens: ibi oritur ordo imperandi & parendi, hic manet æqualitas inter ſocios. Ibi omnia iura ſumma penes *vnum* vel *concilium* aliquod ſunt, quoniam imperantis voluntas, eſt volun-

tas

§. VI. Quemadmodum vero in ſocietate ciuili inæquali eſt conſociatio aliqua plurium inter ſe, & deinde ſubmiſſio omnium vnius perſonæ vel integri alicuius concilii voluntati; ita hæc ſocietas ante ſupponit conſociationem aliquam æqualem. (k) Non enim poteſt ſubmisſio vnius vel concilii imperio concipi, niſi adfuerit multitudo vel ſocietas aliqua hominum æqualis.

§. VII. Oritur hæc ſocietas æqualis ciuitatem præcedens variis ex cauſis: (1) ex *mutua cohabitatione*, dum ex vna ſtirpe plures naſcuntur & vnam coniunctim incolunt terram. Hi colligun-

tas totius reipubl. & hinc, iudice Cicerone *lib.* 1. *de offic. intelligere debet, ſe gerere perſonam ciuitatis:* Aſt in ſtatu æquali quædam tantum communicantur.

(k) Qualemcunque enim concipias imperii modum, ſiue *violentum* ſiue *voluntarium*, tamen nec violentus potuit effectum habere, niſi adfuerit cœtus quidam hominum communi nexu conglutinatus, qui per vim ſub imperium redigeretur. Neque enim concipi poteſt, ſingulos homines ab vno inſtar ferarum beſtiarum fuiſſe occupatos, & in vincula coniectos, donec ſufficiens numerus adfuerit, quibus imperare victor potuiſſet. Et huc reſpicere videntur, qui duplex pactum conſtituunt, vti Pufendorffius *lib.* 7. *c.* 2. & 3. Dn. Hertius *de modo conſtit. ciuit. ſect.* 1. §. 2. Hæc itaque ſocietas non eſt ciuitas, ſed *imperfecta* quædam *conſociatio*, dum manet æqualis, & ſinguli adhuc nullius imperio ſubſunt.

(l) Sup-

guntur inter ſe tacito aliquo pacto, (1) dum inter ſe vicini, cognati & cohabitantes ſunt. Atque exinde, ni me omnia fallunt, ciuitates Cainiticæ primæ & Nimrodicæ ortæ.

§. VIII.

(1) Suppoſui iam antea, poſſe vnionem etiam *ipſo facto* vel *tacite* fieri, quæ certe naturaliſſima videtur fuiſſe in cohabitantibus, poſtquam multiplicatum genus humanum fuit. Quamuis enim plures ſemet disiunxerint, aliasque terras incoluerint, tamen id de omnibus aſſeri nequit, præſertim ſi Cainiticam ciuitatem reſpicimus. Omnes ſubditi a Caino videntur deſcendiſſe, adeoque non putandum eſt, ſtatim Cainum, vbi a patre ſeceſſit, cum familia ciuitatem exſtruxiſſe, ſed poſtea demum, vbi multiplicata erat eius ſoboles. Debuere enim eſſe, quibus imperaret. Hi itaque primum ipſa cohabitatione inter ſe conglutinati ſunt, cui poſtea Caini imperium eo modo, quo *cap. antec.* dictum, acceſſit. Nam *Gen. IV*, 16. ſimpliciter dicitur, quod habitauerit in terra Nood: ſequenti commate demum additur, quod poſtea ædificauerit ciuitatem, ſcilicet prole eius admodum aucta, & in plures iam familias ſparſa. Neque obſtat, quod iam ante videatur Cain inter ſuos magnam obtinuiſſe auctoritatem, antequam ciuitatem conderet, quod negari nequit, quia omnium cohabitantium communis pater erat; ſed hactenus quidem *imperium ciuile* exercuiſſe non videtur, ſed tunc demum, vbi ſuos ad deprædationes & truculentiam exercendam inſtituit. Si Nimrodi imperium conſideras, eo tempore filii Noæ quidem diſperſi erant, admodum tamen probabile eſt, nonnullos in eadem coniunctos manſiſſe vicinia & cohabitatione, donec in multitudinem excreuerint, vbi itidem ſinguli ſui iuris

§. VIII. (11.) Corrupto genere humano & in varia ſcelera vergente, coalita quoque fuiſſe videtur multitudo quædam impiorum ad ſcelera & deprædationes perpetrandas, (m) vti *cap. antec.*

iuris erant, naturali tamen cohabitatione in vnam collecti multitudinem.

(m) Poſtquam homines a vero Deo ſemel deſciuerant, vix aliter fieri potuit, quin hanc ληςρικὴν βίαν exercerent, præſertim ſi poſteros ex Cainitica proſapia reſpicimus, qui a patre, latrone, ad hoc vitæ genus optime inſtructi & aſſuefacti fuiſſe videntur. Atque huc ſpectant quoque NOMADES, vti vocantur, qui ſunt multitudo indomita, raptu viuens, nulliqne certæ ſedi addicta; quales videntur fuiſſe Hunni, de quibus Ammianus *lib.* 30. *omnes ſine ſedibus fixis abſque lare vel lege aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles cum carpentis, in quibus habitant.* & paucis interiectis: *hoc expeditum indomitumque hominum genus extrema prædandi cupiditate flagrans immani per rapinas finitimorum graſſatum & cædes ad vsque Achaiam peruenit.* & alibi: *aguntur nulla ſeruitute regali, ſed tumultuario primatum ductu contenti perrumpurt, quicquid inciderit.* Ipſe Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit. c.* 5. inter vitæ genera diuerſa collocat *piraticam* ſeu *prædatoriam vitam*, hancque *naturalem* vocat. Immo addit, quod aliquando paſtoritia & prædatoria coniungantur. Ex quo tamen peſſime infert, artem bellicam natura factam vtilem eſſe ad acquirendum, immo ſtudium venatorium partem eius eſſe, quo deceat vti aduerſus feras & hominum genus, quando homines a natura factos ad parendum imperium ſubire recuſant, quaſi tale bellum natura iuſtum

 ſit.

antec. vidimus. Neque deſunt exempla, ex latronum colluuie tandem erectus fuiſſe ciuitates. (n)

§. IX.

ſit. Similia docet Hobbeſius, *tract. de ciue c.* 5. §. 2. vbi etiam hanc ληϛρικὴν ex iure naturali defendit. Sed profluxit hæc ſententia ex primo illo falſo, quaſi humanum genus ſteterit absque vllo *vinculo* ſeu *obligatione*. Rectius Florus *lib. III. c. 6. n.* 1. de Cilicibus, *perditis furioſisque latronibus*, aſſerit, quod ſublatis commerciis, *rupto fœdere humani generis*, maria bello quaſi tempeſtate præcluſerint. Hoc ſenſu quoque Cicero *lib. V. in Verrem c.* 29. piratas & latrones vocat *hoſtem communem gentium nationumque omnium*, *quod vinculum generis humani* tollant, in quo tota ratio iuris naturæ, quies gentium, pax omnium & ſingulorum conſiſtit. Nihilominus tamen antiquitus hæc vita adeo putabatur iuſta, vt Plutarchus *in vita Camill. f.* 136. referat, Brennum *ius* hoc *antiquiſſimum* vocare, eoque non modo beſtias vti, ſed (quod horrendum dictu) ipſum Deum.

(n) Ex huiusmodi colluuione hominum facile regna vel respubl. potuiſſe tandem naſci, Auguſtinus *lib. XIV. de ciuit. Dei. c.* 4. ſatis apte obſeruat: *Hoc malum*, inquit, *ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, vt & loca teneat, ſedes conſtituat, ciuitates occupet, populos ſubiuget, euidentius nomen regni aſſumit.* De Viriato refert Florus *lib. II. c.* 17. *n.* 15. quod *ex Venatore latro, ex latrone ſubito dux, & ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus* factus fuiſſet h. e. fundator imperii Hiſpanici, ſicuti Romani fuerat Romulus. quo ipſo, Viriatum comparando cum Romulo, ſatis oſtendere videtur, ipſum Romulum quoque

§. IX. (III.) Imo qui deteſtabantur hoc vitæ genus, quamuis forſan pauci fuerint, ab his deprædatoribus tamen vix aliter potuere eſſe ſecuri, niſi etiam coaleſcerent in quandam multitudinem, & mutuam defenſionem ſibi promitterent. (o)

§. X. Hæc multitudo coalita ab initio ſine dubio admodum rudis (p) fuit, & vix eſt, vt expreſſum pactum vbique fingi poſſit, ob tantam animorum diſſenſionem, ſed ipſo facto ſe coniunxiſſe homines videntur, rationibus ſtatus naturalis ſic ferentibus, ex quo pactum aliquod tacitum erui poteſt, ſed adhuc valde inerme, poſtquam nemini videbatur ademta recedendi facultas, neque certa & peculiaris confœderatio capita familiarum præciſe obſtringebat.

§. XI.

que ex latrone ducem & fundatorem imperii factum fuiſſe, vti infra §. 15. *lit. X.* oſtendo.

(o) Hinc collegiorum ſeu ſocietatum æqualium originem repetit Bodin. *de republ. lib.* 3. *c.* 7. *p.* 513. quæ ex hac conſociatione, mutuæ defenſionis cauſa inita, orta. Et ſane neceſſum fuit, vt tales ſocietates ab illis, qui non eadem licentia deprædandi vterentur, inirentur, quo coniunctis viribus tuti eſſe poſſent. Atque huc ſpectare videtur fœdus Abrahami cum Mamre & fratribus eius, quod mutuæ defenſionis cauſa initum fuiſſe videtur, vti ex euentu apparuit. Hæc itaque multitudo ſuo iure vixit, ſinguli ſuas rationes ſeparatas retinuere, coniunctim demum agentes, quando omnium periculum imminebat, ad exemplum plurium ciuitatum ſyſtematicarum.

(p) Ideo rudem hanc multitudinem voco, quoniam cer-

 tis

tis legibus ab initio non fuit ordinata, per quas nexus conualidatur, dirigitur, & efficaciam certam accipit. Conſenſiſſe ipſo facto videntur, dum (1.) cohabitantes ſe non ſeiunxere ab aliis vicinis, quod potuiſſent facere & plurimi etiam reapſe fecere. (2.) dum ad eundem finem ſeſe applicuerunt, latrones quidem ad communem latrocinandi licentiam, reliqui ad communem defenſionem. Neque in tam rudi multitudine, vbi ſinguli adhuc ſeparatim agere potuere, aliquod commune imperium, quod reipublicæ proprium eſt, concipi potuit, ſaltem ab initio; ſed qui noluit amplius communi placito intereſſe & conſentire, recedere potuit, id quod naturale eſt in omni collegio, vt quilibet vel conſentire vel recedere debeat, neque adeo vis coactiua in reliquis fuit, aliquem cogendi, vt conſpiraret. Vnde quoque ante Nimrodi imperium non legimus, ſingulis fuiſſe impedimenta ab aliis vi imperii poſita, ne nouas ſedes quærere poſſent. Quin & Nomades inter ſe liberrima libertate egiſſe videntur. Nec deſunt populi, qui absque imperio ciuili inter ſe viuunt, vti ex Ioſepho Acoſta refert Autor *tr. du gouvernement civile, c. VII, §. 8.* vbi ait: *Il y a des grandes & fort apparentes conjectures, que ce gens la* (parlant des gens du Perou) *n' ont eû durant long temps ni Roys, ni communautez, mais qu' ils ont veſcu, & ſont allez en troupes ainſi que ſont aujour d' huy ceux qui habitent la Floride & comme pratiquent encore les Cheriquanas & les gens de Braſil & pluſieurs autres nations, qui n' ont pas certaines Rois, mais qui ſuiuant, que l' occaſion de la paix, ou de la guerre ſe préſente, choiſiſſent leurs capitaines, ſelon leur volonté.* Ceterum ab initio ex paucorum familia talis multitudo conſtitit, quæ paulatim vel per nouas generationes vel ſpontaneas adiunctiones incrementa cepit, quod in latronum colluuie facilius

§. XI. Quo minus autem piorum conſortium (q) receſſit a viis diuinis, eo ſanctius quoque hunc nexum ſimplicem inter ſe coluere, (r) eoque minus inter eosdem aliud præterea vinculum videtur neceſſarium fuiſſe.

§. XII.

lius fieri potuit, quo magis homines primæuo in ſtatu ad vitam $\lambda\eta\varsigma\varrho\iota\kappa\grave{\eta}\nu$ tracti fuere.

(q) Conſortium etiam aliquod piorum fuiſſe, apparet ex ſacris litteris, maxime vbi paſtoritiam vitam egerunt. Abrahamus in ſua familia vltra 300. dicitur habuiſſe ſeruos, in familia ſua natos, ex quibus plerique paſtores fuiſſe videntur, quos ad Dei verum cultum inſtituerat. De Iſaaco *Gen. XXVI*, 14. legitur, quod creuerit, & multum familiæ ſeu famulitii habuerit, adeo vt etiam Philiſtæorum inuidiam propterea incurreret, vt, quacunque in re poterant, commodis eius offecerint, obturando puteos & puluere opplendo, & contra leges fœderis Iſaacum ſecedere finibus iubendo. Verum quia tandem in ampliſſimam excreuerat familiam, metu adducti pacem fœdere ſanctiſſimo cum eo iniere, cuius potiſſimum caput erat, *ne vllum malum eis inferret*, quod ſane indicium eſt, familiam Iſaaci fuiſſe ampliſſimam, quamuis absque reipublicæ figura. Imo vtut forſan Philiſtæi Iſaacum opprimere in herba, vt ita loquar, potuiſſent, tamen ab hac violentia abducti videntur fuiſſe, quod agnoſcerent, peculiariter ei Dominum adeſſe, vti ipſi fatentur, adeoque ſe ſuperiores fore contra Deum ſperare non poterant.

(r) Familiam Abrahami optimo & firmiſſimo nexu cohæſiſſe, non adeo mirandum, quoniam timore Domini regebatur, vt adeo non neceſſum eſſet, per modum regis vel imperantis eidem præeſſe, quod

§. XII. Sed quemadmodum impii vinculum naturale, quod eſt inter omnes homines, varie diuulſere, ita facile iudicari poteſt, nexum illum, quo multitudo quædam congregata erat, valde fuiſſe infirmum, imo haud adeo aptum, vt per illum diutius potuerit in ſuo ſtatu conſeruari. (s)

§. XIII.

quod nullibi legitur. Pietas autem familiæ ex eo eluceſcit, quod Abrahamus ſeruum ſuum ſeniorem ſeu procuratorem miſerit, vt filio ſuo vxorem quæreret, in quo actu euidentisſima pietatis ſigna ſerui procuratoris apparent. *Gen. XXIV.* Equidem expeditum eſt, in hac familia Abrahami & Iſaaci fuiſſe ſocietatem *inæqualem*, ſed inde ſocietas *ciuilis* non ſtatim colligi poteſt. Familia amplisſima fuit, in qua eo minus remediis coactiuis opus fuiſſe videtur, quod timore Dei regeretur. Imo antea *Gen. XIII.* Abrahamum cum Lotho in conſortio fuiſſe legimus, aſt nullus ibi imperii reſpectus, nulla inter eosdem prærogatiua, ſinguli proprias coluere familias. Et cum non poſſent amplius cohabitare, propter ingentem magnitudinem familiæ, rixis inter vtriusque paſtores ortis, tandem ſeſe ſeiungere coacti ſunt, vbi certe obſeruatione intimiori dignum, quod tanta animorum conſenſione ſeſe ſeiunxerint, *pacis cauſa.* Quodſi tale inter impios conſortium fuiſſet, alter alterum opprimere tentaſſet, ſed vinculum inter Abrahamum & Lothum ſanctius erat, quam vt inde poſſet aliquid mali euenire.

(s) Poſtquam impii congregati & coniunctim aliis vim inferre non cenſuere nefas, quid mirum, ſi inter ſe ipſos quoque latrocinia, deprædationes aliaque facino-

§. XIII. Vtut itaque nihil conſultius fuiſſet, quam vt vinculum aliud arctius accederet, quo præter ſimplicem obligationem indomiti per coactionem quandam continerentur in officio, tamen ex ſtatu eiusdem temporis facile coniicere licet, homines ita congregatos non pacto aliquo expreſſo inter ſe conueniſſe, (t) de imperio ſummo alicui vel concilio concedendo, quia ſtatus ille libertatis turbidus, in quo ſinguli erant, tale pactum ordinatum non admittit.

§. XIV.

cinora exercuerint. Neque exempla deſunt, gentes in ſemetipſas latrocinia exercuiſſe. Vid. *tom.* 7. *obſeru. Hallenſ.* 6. §. 6. Eleganter *Prou. I,* 11. *ſeqq.* deſcribitur impiorum ſtatus, quod quidem contra pios ſe coniungant, ſed *verſ.* 18. 19. additur, quod deinde ſibi ipſis inſidias ſtruant. Sed nec cohabitantes aut vicini, qui ex vna gente collecti erant, firmiori nexu conglutinati erant, partim quia nullius communi imperio regebantur, partim quia ſinguli, quæ ſua ſunt, quærebant, non quæ ad commune conſortium ſpectabant. Non itaque veroſimile eſt, talem ſocietatem, in quam plerique inciderant, diutius ſubſtitiſſe.

(t) Talem proceſſum plerumque Politici ſibi formant: (1.) quod homines inter ſe conueniant, ſe velle e libertatis ſtatu exire, quo ipſo ſe coniungere videntur, & hoc eſt primum pactum. (2.) Dicunt alteram deliberationem inſtitui de modo exeundi, ſcil. per imperia, cum alius tutior modus reperiri non poſſit. (3.) Tertiam formant de forma, cum non omnibus eadem placeat (4.) hanc electam ſequi aiunt *ſubmisſionem*, & (5.) acceptationem eius, cui ſummum imperium deferunt, qualem proceſſum in cebro

rebro ſuo ſibi imaginatus eſt Adrianus Houtuyn *in polit. contr.* §. 17. quæ omnia in hunc finem adducuntur, quaſi homines in ſtatu maxime pacifico hæc inter ſe agere potuiſſent. Eundem quoque proceſſum format Puſendorffius *l. VII. c.* 2. Ex quibus concludunt, per translationem imperii in vnius vel collegii perſonam ſingulos promittere, ſe velle, quod imperans vult, adeoque ſe obedientiam eidem præſtituros. Eandem ideam conſtruendarum ciuitatum ob oculos habuiſſe videtur Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* dum refert deliberationes Romuli cum populo inſtitutas ſuper forma reipubl. eligenda. Ait enim Romulum concionem conuocaſſe & formas receptas rerumpublicarum propoſuiſſe & tandem dixiſſe: *Equidem quamcunque reipubl. formam conſtitueritis, ad eam recipiendam paratus ſum, nec me indignum puto, qui aliis imperem, nec alteri recuſo parere.* Tum populus, *ſeorſim communicato inter ſe conſilio*, primo Monarchicum ſeu regium ſtatum approbaſſe, deinceps hunc honorem Romulo detuliſſe, eaq; delatione is acquieuiſſe dicitur. Vtrum tam placide & deliberato conſilio hæc ita acta fuerint, ſubdubito, ſi ferociam Romuli, & populi intueor. Quicquid ſit, valde vereor, an communis philoſophia circa ſtructuram ciuitatum eo ordine, quo proponitur, vnquam obſeruata fuerit. Nam (1.) ſtatus turbidus, in quo homines primi erant, tales deliberationes pacificas haud admiſiſſe videtur, qualem ſtatum primitiuum *c.* 1. perluſtrauimus. (2.) cum tot potentes & oppreſſores antiquitus exſtitiſſe dicantur, non eſt veroſimile, homines potuiſſe adduci, vt ſponte ſe vnius imperio ſubderent, cum ſingulis reſiſtendi innata erat cupiditas, ſinguli libidine imperandi raperentur. (3.) Ne veſtigium quidem vllum de eiusmodi placidis pactis exſtet, ſed omnia olim per vim acta eſſe appareat. (4) Pii potius habiles fuiſſent, vt inter ſe ita pacifice

egiſ-

egiſſent & imperium aliquod erexiſſent, quod tamen non legitur, & ſi vel maxime (5.) populus quidam in imperium huius vel illius conſenſerit, tamen id factum vel inde eſt, quod vel ei amplius reſiſtere non potuerit, vel quod iam eſſet ſubactus per grauiorem alterius potentiam. Hæ tamen rationes, vtut ſtatui humani generis conformes videantur, non potuerunt autorem tractatus *du Gouvernement ciuil* a ſua dimouere ſententia, qua in *omni origine ſocietatis ciuilis* ſupponit *conſenſum* coeuntium *expreſſum* & *liberum*. Nam inter alia *cap. VII.* §. 8. etiam contendit, ne quidem ex *patria poteſtate* potuiſſe imperium ciuile naſci, absque conſenſu *libero* & *expreſſo*. *Toutes leurs ſociétez politiques*, ait, *ont commencé par vne vnion volontaire & par vne accord mutuel de perſonnes, qui ont agi librement dans le choix, qu' ils ont fait de leurs gouverneurs & de la forme du gouvernement.* Verum cum autor *ſtatui populari* admodum indulſerit, non mirum eſt, quod inclinationi ſuæ conformes dederit concluſiones, quæ tamen cum nimis leui naturæ humanæ conſideratione coniunctæ eſſe videntur, quam iam fuſius excusſi. Equidem ait §. 10. quod hiſtoriæ doceant, *que les gouvernemens du monde, qui ont commencé en paix, ont esté fondez de la maniére que non avons dit.* Verum, vti iam *cap. antec.* oſtendi, pleraq; imperia *extra ſtatum pacis* orta ſunt, & quæ in pace orta videntur, plerumq; tamen inuitis & reluctantibus ſubditis orta ſunt, ſaltem vt non *ſponte* & *ex libera voluntate* in imperium conſenſerint, ſi plerorumque imperiorum & mutationum ciuilium initia intuemur. Conſenſerunt quidem, ſed vel *tacite*, vel *coacte*, & non eo modo, quem doctisſimus autor, quem *Loockium* eſſe volunt, ad maiorem populo libertatem conciliandam, animo ſuo repræſentauit. Meretur interim elegantisſimus liber, qui ſedulo legatur: vtut enim, vt eo fortius ab Hobbeſio diſſentiret, itidem in alterum extremum propendere

§. XIV. Itaque, vti ex *cap. antec.* conſtat, probabile eſt, vinculum arctius, per imperium ſcilicet, hiſce ſocietatibus acceſſiſſe partim per violentam quandam intruſionem vnius perſonæ, cui, poſtquam quosdam in ſuam ſententiam traxit, reliqui reſiſtere non potuere; partim quod ſenſim & pedetentim alicuius imperium confirmatum ſit, cuius in tali congregatione ſuma ſemper auctoritas fuerat. (u) §.XV.

videatur, ſicuti ipſe Hobbeſius in alterum extremum prolapſus eſt, vt fortius monarchomagis contradiceret, ita tamen *ſtudium populare* temperauit, vt facilius posſit tolerari. Loquor autem de prima *geneſi ciuitatum:* poſtquam enim ſemel ciuitas ab antiquo eſt conſtituta, facilius contingere poteſt, vt tales deſuper deliberationes inſtituantur, vti apparet in *republica Iudaica,* quæ reges ſibi a Deo depoſcebat; quin etiam poſt regifugium tales deliberationes ſuſceptas fuiſſe in populo Romano, docet Dion. Halicarn. *lib. IV.*

(u) Hi duo modi imperiorum introductorum magis conueniunt ſtatui primæuo turbido. Iam dictum eſt, multitudinem certorum hominum ab initio fuiſſe plerumque rapinis adſuetam, neque adeo credibile eſt, hoſce homines pacis gratia coiuiſſe, multo minus imperium ita placide inter ſe condidiſſe, vti plerique credunt. Equidem quosdam ſe iunxiſſe defenſionis cauſa, dictum eſt, adeoque ſine optimo ducti videntur: non tamen inde ſtatim ſequitur, eosdem liberrimo conſenſu alicui ſummum imperium detuliſſe, quin potius cum libertas naturalis tam innata omnibus fuerit, potius credibile fuiſſet, Democratiam quandam inter eos fuiſſe erectam, quippe quæ non adeo recedit a ſtatu naturali. Attamen id conſtanter hiſtorici negant, & reges ab initio tenuiſſe imperia aſſerunt, in cuius poteſtatem popu-

§. XV. Prior modus perſpicuus eſt ex hiſtoria de origine imperiorum. Cum enim colluuies latronum vix fingi poſſit absque duce quodam, nihil facilius contingere potuit, quam vt hic per violentiam tum cohortem, cuius dux erat, (x) tum alios, in quos latrocinia exercuerat, ſub ſuam tandem redigeret poteſtatem perpetuam, vti ex Nimrodo aliisque apparet.

§. XVI.

populus libertati aſſuetus ſe non facile dediſſe praeſumitur. Vnde pactum aliquod expreſſum antecedens imperium vix fingi poteſt.

(x) Licet multitudo quaedam indomita ad tempus conſentire potuerit in imperium ducis, latrociniorum exercendorum cauſa, inde tamen imperio perpetuo & ciuili eiusdem ſe ſponte ſubieciſſe dici nequit, ſed potius illud ipſum ex poſt facto ſenſim & pedetentim acceſſit. Hoc modo Tacfarinas apud Tacitum *lib. II. annal.* imperium quoddam condidit. *Is natione Numida, in caſtris Romanis auxiliariis ſtipendia meritus, mox deſertor vagos primum, & latrociniis ſuetos, ad praedam & raptus congregare; Dein more militiae per vexilla & turmas componere; poſtremo non inconditae turbae, ſed Muſulanorum dux haberi.* Imo ſi dicendum quod res eſt, exiſtimarem initia Romanae reip. ex eodem fonte eſſe repetenda. Omnem ſuperat probabilitatem, Romulum ciuitatem condidiſſe, ſed incolas defuiſſe, & vrbe condita demum *ex omnibus quaſi elementis corpus vnum congregaſſe*, vt refert Florus *lib. I. c.* 1. *n.* 9. Quin potius conſtat ex traditis Dion. Halicarnaſſ *lib. I.* aliorumque, conſtitiſſe populum a Romulo collectum ex turba quadam ſcelerata, adeo vt credere fas ſit, primitus Romulum ducem,

§. XVI. Poſterior modus illorum congregationibus ſocietatibusque conueniens eſt, qui defenſionis cauſa ab initio coiuere abſque vlla tamen imperii ratione. Sed quia in eiusmodi ſocietatibus facile contingere ſolet, vt plebs auctoritatem alicuius viri primarii ſequatur (y) naſci inde paulatim imperium ſolet, præſertim cum auctoritas potisſimum eos commendet, qui ambitione ducuntur, quæ ſpeciem alicuius ſingularis virtutis præ ſe fert.

§. XVII.

ducem latronum fuiſſe, vti ſupra quoque §. 8. *lit. n.* dictum eſt.

(y) Id vel maxime in Democratiis apparet, quæ graue periculum ſubeunt, ne mutentur in Monarchiam, ſi vnius viri autoritas maxime apud plebem valeat. Quidni id etiam contingere poſſet in eiusmodi ſocietatibus, vbi nulla adhuc viget imperii ratio? Nam vnus autoritate ſua ſæpe plus pollet, quam plurium rationes in contrarium. Omnes præiudicio autoritatis ducimur. *Prima dominandi ſpes in arduo: vbi ingresſus fueris, adſunt ſtudia & miniſtri.* Tacit. *lib.* IV. *annal. c.* 7. Fac itaque, in tali ſocietate, quales ab initio fuiſſe probabile eſt, exſtitiſſe viros ſummæ autoritatis, quales Nephilæi fuiſſe in ſacris leguntur, obſequii alicuius gloria illis deeſſe non potuit. Nam ex autoritate cultus, & ſpontanea obſequii exhibitio, ex hac approbatio omnium negotiorum ab eo ſuſceptorum ſequitur, præſertim ſi omnia placide agat. Si qui ſunt, qui reclamant, a cetera plebe, autoritate decepta, abſterrentur, hinc adeſt primus gradus ad thronum, ex quo tandem populus huius imperium in omnibus agnoſcere

§. XVII. Sic itaque nexus hic nouus conſtituitur, non tamen ſemper *ex condicto*, ſed conſenſus populi ſi quis adeſt, magis ex *patientia*, & *taciturnitate longi temporis* educitur. (z)

§. XVIII.

re incipit, & cum ab initio hominum ætas longæua erat, certe intra 100. annos alicuius autoritas ita creſcere poterat, vt poſtea populus imperio eius adſuetus ſponte tandem eidem obedierit, præſertim ſi eius imperium ab initio fuerit lene, licet poſtea magis magisque in duritiem excreuerit. Auguſtus ſane primum autoritatem liberalitate & comitate erga plebem aliisque artibus ſibi conciliauit, & ita tandem rempubl. occupauit. Qua ſemel occupata, de imperio deponendo in ſpeciem egit, reuera tamen tantum in hunc finem, vt imperium ſibi conſenſu volentium & ſponte cupientium confirmaret, ne videantur coacti ſub vnius imperium conceſſiſſe, Dio Caſſius *lib.* 53.

(z) Id præclare obſeruauit Huber *de iure ciuit. lib. II. S.* 2. *c.* 5. *n.* 19. vbi fatetur, *translationem illam imperii non ſemper adeo liquide clareque multitudinis conſenſu fieri, ſed patientiam ſæpius & taciturnitatem longi temporis pro conſenſu haberi.* Inde eſt, quod hiſce in caſibus imperantes illimitata nec vllis pactis reſtricta vtantur poteſtate, qui hoc modo ad imperium euecti ſunt. Quando itaque dictum eſt, imperiorum originem arceſſendam eſſe ex quorundam violentia vel libidine imperandi, id eo tantum pertinet, quod populus non *libere* & *ſponte* & quidem *ab initio* in translationem conſenſerit, non vero quaſi plane nullo modo *ex poſtfacto* conſenſum ſuum in imperium dederit, vbi non amplius diſſentire expediebat. Hoc enim extra dubium po-

§. XVIII. Ex hoc conſenſu populi oritur ſubmiſſio propriæ cuiusque voluntatis voluntati imperantis, (a) quousque ſubmittere eandem potuere, ſaluo ſemper humanitatis & conſcientiæ propriæ vinculo.

§. XIX.

poſitum eſt, populum, quamdiu adhuc reſiſtit & ſola violentia continetur, non poſſe imperium vires habere morales, ſed manet ſtatus belli. Neque enim *lex naturæ vti inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem & imperium valentioribus dedit*, vt ait Plinius, *in Paneg. c.* 38. *in f.* ſed imperium demum ex ſuperueniente conſenſu naſcitur. Vnde hodie in bellis hoc iuris eſſe ſolet, vt deuictæ ciuitates ſtatim homagium præſtare teneantur, quo ipſo conſenſum ſuum in ſubiectionem declarant, ſicuti quoque victor eo ipſo, quo homagium recipit, ſe declarat, quod deuictos non amplius in hoſtium, ſed ſubditorum numero in poſterum habere velit.

(a) Inde obedientia arceſſenda, in qua reuera ſubmiſſio hæc cernitur. Ante hunc ciuilem ſtatum ſinguli æquales erant, ſingulis datum erat arbitrium propriarum actionum, ad hunc effectum, ne alter iure alterius actiones diiudicare, & vt ſuas actiones ad ipſius arbitrium inſtitueret, prætendere poſſet. Aſt vbi ex hoc ſtatu recedunt, ſinguli eo ipſo renunciant huic iuri, ſe ſubmittentes voluntati alterius, in quo inprimis illud continetur, ne vlla amplius reſiſtentia vti, ſed in commune ad ſalutem totius corporis ciuilis cooperari velint. *Eſt enim respublica quodammodo corpori humano ſimilis. Vtrumque enim eſt compoſitum & conſtat ex multis partibus, quarum ſingulæ nec eandem vim habent, nec vſus pares exhibent. Si igitur humani corporis partes ſingulæ*

§. XIX. Contra in imperante oritur (a) *ius* dirigendi actiones eorum, qui ſe eidem ſubmiſerunt,

gulæ proprium ſenſum & propriam vocem ſeparatim accipiant, deinde orta inter eas ſeditione reliquæ omnes partes conſpirent contra vnum ventrem, & pedes dicant, ſibi totum corporis onus incumbere, manus vero, ſe artes exercere & victum comparare & cum hoſtibus pugnare &c. Si igitur hæc ipſis placeant, & nulla corporis pars amplius faciat ſuum officium, fierine poteſt vllo modo, vt corpus diutius duret, ac non intra paucos dies fame, peſſimo mortis genere conſumatur? Nullus certe eſt, qui poſſit aliter dicere. Eodem ſane modo & de ciuitate ſentiatis. Nam & hæc quoque conſtat ex multis & diſſimilibus gentibus, quarum vnaquæque proprium reip. vſum præbet, vt membra corpori, &c. Dion. Halicarnaſſ. *lib. VII.* vbi pluribus hæc egregie illuſtrantur. Sic itaque ad auertendam eiusmodi animorum diſſenſionem *arctius vinculum* requiritur, vt *vna* quaſi ſit *omnium voluntas*, quæ antea erat *varia, diſcors*, & ſic ad *vitam ciuilem* fere inepta. De Auguſto hoc aſſerit Florus *lib. IV. c.* 3. *n.* 5. & 6. quod *perculſum vndique & perturbatum ordinauerit imperii corpus, quod ita haud dubie nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi vnius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur.* Quemadmodum etiam Tacitus *lib. I. Hiſt. c.* 1. idem confirmat, aiens: *omnem poteſtatem ad vnum conferri pacis interfuit.* Optime Seneca *lib. I. de clement. c.* 3. *in f. Hæc immenſa multitudo*, ait, *vnius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur,*

(b) Ius

runt, & ſimul (β) *obligatio*, (b) cum recipiens populum in ſuam poteſtatem omnia illa promiſiſſe videatur, ad quæ ex legibus naturæ de pace & ſecuritate præſtanda obligatur.

§. XX. Quamuis itaque in ipſa ſubiectione adſit aliquod *pactum* ſaltem *tacitum* inter imperantem & parentes, non tamen obligatio inde orta eſt eiusdem roboris, ſed imperantis *imperfe-*

(b) Ius illud ad obligationem quandam eſſe adſtrictum inde probatur, quia e ſtatu *reſiſtentiæ mutuæ* in ſtatum *pacis* transeunt, neque aliter imperium & obedientia ſubſiſtere poteſt, niſi *pax* & *ſecuritas* promittatur. Nam ſicuti vinculum *humani generis* tollitur, rupta pace, ita multo magis tolleretur vinculum *ciuile*, niſi hæc tacite ſubditis promiſſa cenſeri deberet. Imo cum iam ex lege naturæ ad hoc quilibet extra omnem ſtatum ciuilem obligetur, reuera nouum quid in hac obligatione principum non videtur contineri. Neque aliter potuere ſubditi in ſubiectionem conſentire, quam hac ſalua. Quod itaque nec mutari nec tolli pôtuit, imo quod natura ſocietatis ciuilis poſtulat, id omnino videntur imperantes promiſiſſe. Breuiter: inſtituta republica aut manet ſtatus belli, aut deſinit. Prius aſſerere velle, abſurdiſſimum foret, quia in ſtatu belli nulla vnio ciuilis concipi poteſt. poſterius vbi aſſerimus, neceſſario *ſtatum pacis* ſupponere debemus, quo poſito leges pacis per ſe iam vigent. Dum itaque, ſi vel maxime ex principiis Hobbeſii iudicium ferendum eſſet, imperans ſubditos in ſtatum pacis recipit hoſtilitatemque deponit, non poteſt non quoque ſecuritatem, fidem & pacem iure naturæ debitam illis *ipſo facto* promittere. Vtut itaque deficiat promisſio expreſſa, ipſa

perfecta, coactionis externæ neſcia, ſed ſubditorum *perfectior*. (c)

§. XXI. Minime itaque concedendum Hobbeſio, imperantem nullis ſe pactis, adeoque nec tacitis, obſtrinxiſſe populo, (d) nam eodem modo

ipſa tamen *receptio* implicite talem promisſionem in ſe complectitur.

(c) Hæc diuerſitas eſt omnino notanda contra Monarchomachos, qui dum populo concedunt arbitrium in actus imperantium, eique ius reſiſtendi largiuntur, reuera obligationem principum perfectam h. e. cum vi coactiua coniunctam, eſſe volunt. Verum populus dum ſe ſubmittit alterius arbitrio, omne ius *reſiſtendi* & *cogendi*, quod ei in ſtatu naturali competebat, a ſe abdicat, eidemque renunciat, quia (1.) non poſſet conſeruari vnio reipublicæ & imperium eiusdem, ſi populo ius indulgeretur reſiſtendi principi, quin quod (2.) ita rurſus ſtatus naturalis ſeu bellum concitaretur, cui ſemel renunciarunt. Denique ſi princeps (3.) externa obligatione teneretur ſubditis, populus eatenus haberet imperium in principem, vel ſaltem eidem par eſſet, quod rurſus cum ſtatu ciuili & nexu hoc arctisſimo pugnaret. Neque eo ipſo tollitur vinculum inter principes & ſubditos, licet inæquale ſit; nam obligatio hic quidem adeſt, ſed ex accidente vim ſuam amittit propter ſubditorum renunciationem. Hinc conſtat, poſſe imperantem iniuſte agere in ſuos ſubditos, licet pœnis temporalibus eo nomine haud ſubiectus ſit, id quod ideo fieri cenſendum eſt, quia a iure reſiſtendi receſſerunt. Hinc etiam iuſti imperantes in cauſis dubiis ius ſibi dici, facile patiuntur.

(d) Hobbeſius *cit. loc.* vult tantum pactum intercedere

do contra eum poſſet negari, non dari pactum aliquod inter ſingulos, nec eo ipſo recedi a ſtatu belli, quem ſtatuit in ſtatu ante introductas respublicas. *vid. tr. de ciue c. 7. §. 7. & 12.*

§. XXII.

---

inter ſingulos cum ſingulis, quo ſe obſtringunt ad obediendum vel vnius vel alicuius concilii imperio: Imperantem autem nunquam vllis ſe pactis ob receptum imperium populo obſtringere, quod recipiat imperium a populo, populus autem ſtatim, atque id factum eſt, deſinat eſſe perſona, pereunte autem perſona, ait, perit omnis ad perſonam obligatio. Profluxit potiſſimum hic error ex falſiſſimo illo principio, quod ſcilicet in ſtatu naturali nulla adſit vinculi ratio inter homines, quod ſupra iam reiectum. Præterea ſupra quoque oſtenſum, vinculum hoc naturale non tolli per alium ſtatum adſcititium, quia hoc eſt immutabile. Dicis: Atqui tamen eo ipſo non oritur aliquod pactum a parte imperantis. Sed iam ad hoc regeſſi, non quidem adeſſe *explicitum*, adeſſe tamen ſine dubio *implicitum* in ipſa *receptione* & diſceſſu a ſtatu belli, quem extra hunc ſtatum Hobbeſius ſupponit. Dum autem receditur a ſtatu belli, hoc ipſum, vti vbique inculcat, aliter fieri non poteſt, quam mediante pacto de pace ſeruanda. *vid. tr. de ciue c. 1. in f. c. 2. & c. 3. §. 1. &c.* Aut ergo princeps manet perpetuus hoſtis, quod abſurdum: aut fidem *de pace ſeruanda* ſubditis dat, & ſic adeſt vinculum in principe. Neque obſtat, quod perſona eſſe deſinat, nam eatenus ſaltem dicitur multitudo amittere *perſonam*, quod iam princeps illam *reſpectu aliarum gentium* repræſentet. Duo autem in primis Hobbeſium decepiſſe videntur: (1.) quod viderit, expreſſo pacto

§. XXII. Neque magis ſobria eſt Philoſophia Adriani Houtuyni §. 17. aſſerentis itidem, illis, qui de imperio hactenus pacti fuerint, cum imperante nullum pactum intercedere, quod pacto ius, (e) quod antea habuerunt, amittatur, adeoque ſi ſub eo veniret, hoc eſſet contra conditionem imperantis. Sed ita fruſtra ab initio aſſeruit, per imperia pacem reſtitui, quia ſic perpetuum hoſtem principem timebunt, eoq; miſeriores ſunt, quo minus principi reſiſtere queunt.

§. XXIII. Neque aſſenſum meretur Vlricus Huberus, qui vnum vel ideo pactum tantum agnoſcit, quod ex pacto ſingulorum cum ſingulis

pacto plerumque in ſuperiorem imperium non transferri. (2.) quod exiſtimauerit, hoc ſuppoſito principio, eo fortius contradici Monarchomachis, contra quos in primis ſuas formauit hypotheſes, ne ſcilicet concedendo principem obligari, eis concedere neceſſe haberet, populum poſſe *vi illius obligationis* ei reſiſtere, quæ tamen concluſio non eſt metuenda, ſi principis obligationem eo modo conſideramus, *quo §. antec.* factum eſt.

(e) Falſa omnino eſt conſequentia: populus hic aliquid amittit, ſcilicet libertatem, ergo imperans eidem non obligatur. Parum conſultum eſſet vniuerſitati, ſi deficeret nexus cum imperante, vi cuius ſibi ſubditi promittere poſſent ſecuritatem & pacem ab ipſo principe, cum tamen Houtuyn inprimis inde imperiorum originem trahat, quod extra imperia non potuerit pax eſſe tuta.

lis, etiam tacito, ſtatim Democratiam oriri putet, (f) nam hoc falſum eſſe, ſupra iam euictum, cum inter plures etiam poſſit ſimpliciter eſſe æqualis ſocietas absque imperio ciuili.

§. XXIV.

(f) Supponit Huberus *lib. II. Sect. 2. de iure ciuit. c. 4. & 5.* non dari ſocietates aliquas æquales ante imperia, ſed mox degenerare in Democratiam, adeoque cum ſemel in cœtu quodam introducta ſit imperandi ratio, hanc, quam ante pars maior populi exercebat, vel in optimates vel in principem transferri, adeoque inde arceſſit imperantium ius & poteſtatem. Sed itidem autor laudatus ſupponit, quaſi gentes quædam ex condicto inter ſe conuenerint, & poſtquam inter ſe conuenerunt, ſtatim vnum fuiſſe populum effectum, adeoque Democratiam inde ortam, potuiſſe itaque populum vel ius imperandi ſibi retinere vel in alium transferre. Verum antequam plures in vnum coaleſcunt populum, ſine dubio hic quoque quædam rudis conſociatio adeſſe debet. Nam ſinguli, antequam vnus populus efficerentur, aut fuerunt a ſingulis plane remoti, aut inter ſe coniuncti. Si prius, quomodo concipi poteſt, eos conueniſſe: ſi poſterius, adeſt quædam ſaltem tacita coniunctio absque illa imperandi ratione. ergo ſi iam ſtrictius coniungantur, non præciſe inde Democratia, ſed alia reipublicæ facies oriri poteſt, id quod hactenus ex iis, quæ de imperio ſunt aſſerta, patebit. Certe illud ex aſſerto Huberiano ſequeretur, omnes ciuitates primæuas fuiſſe Democraticas, quod contra fidem hiſtoricam eſt. Conf. Dn. Hertius *diſſ. de modo conſt. ciuit. Sect. 2. §. f.*

(g) Zieg-

§. XXIV. Solidiorem aliquem nexum ſe inueniſſe illi arbitrantur, qui putant, ſummam poteſtatem immediate a Deo conferri imperantibus, ciues autem tantum deſignare perſonam, cui hæc a Deo infundatur. (g) Et hoc intuitu imperantes Dei vicarios eſſe tradunt.

§. XXV.

(g) Ziegler *de iure Maieſt. lib. I. c.* 1. §. 46. id ſimili aliquo illuſtrat de populo, qui eligit miniſtrum eccleſiæ, non tamen propterea eidem poteſtatem illam ſacram confert, ſed eam a Deo eidem immediate infundi contendit, quod tamen ſatis incongruum eſt. Poteſtas, quam capit electus, penes totam eccleſiam antea fuit, & ita a Deo nihil hic *immediate* infunditur. Prouocat ſubinde §. 49. ad patres concilii Pariſienſes, qui hoc dogma inter *articulos fidei* retulere, & tandem concludit, populum ſe habere mere *paſſiue*, & verſari in nudis terminis ſubiectionis. Neque ab hac ſententia videtur diuerſa Bœcleri Philoſophia *ad Grot lib. I. c.* 3. *p.* 189. & fere ante Puſendorffium & Hobbeſium hæc conſtans omnium opinio fuit, adeo vt Principes imperii conſtitutione ſua imperiali tempore Ludouici Bauari contra pontificem, quam recenſet Alberius de Roſate *in l.* 3. C. *de quadri. præſcript.*, hanc ſententiam approbauerint, vbi inter alia hæc verba occurrunt: *Ideo ad tantum malum euitandum de conſilio & conſenſu electorum & aliorum principum imperii, declaramus, quod imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate a ſolo Deo &c.* Quin quod nonnulli Theologi Lutherani ſingulare intereſſe reipubl. in ea opinione quæſiuerint, quod valde proficua eſſet reipublicæ & ſecuritati principum conſuleret, vt euincere conatus eſt Ma-

 ſius

§. XXV. Sed talia qui aſſerunt, rerum moralium rudem profitentur ignorantiam, aut verba proferunt, quæ ſenſum non habent. Nam cum a facto humano imperia, vt hactenus oſtenſum, originem trahant, euidens eſt, non aliunde incunabula eorum quærenda, aut obligationem immediate aliunde, quam ex pactis, (h) deducendam eſſe.

§. XXVI.

ſius Theologus Haffnienſis *tr. de intereſſe Principum c.* 4. §. 7. cum contraria ſententia auctoritati ſummorum imperantium aliquid detrahere videretur. Et vt ſuam ſententiam eo magis ſtabilirent, varia ex ſacris collectanea in medium attulerunt, potiſſimumque illa, quibus Deus dicitur *reges conſtituere, fundare regna, poteſtatemque ſummam a Deo eſſe.* Locus cardinalis occurrit *Rom. XIII.* vbi dicitur, *non eſſe poteſtatem niſi a Deo, vbi vero hæc eſt, eſt ordinata a Deo.* Notanter præterea reſpublica dicitur *ordinatio diuina* & magiſtratus *miniſter Dei. Ioh. XIX.* 11. Pilato dicitur, data *poteſtas a Deo.* Conf. *Sapient. VI.* 4. 5. *Pſ. LXXXII.* 6. 1. *Sam. IX.* 16. 2. *Sam. XII* 7. 8. *Prov. VIII.* 15. *Daniel. V.* 14.

(h) Qui Deum *immediatam cauſam* ſummæ poteſtatis adſtruunt, tollunt omnia pacta, quibus ſocietas ciuilis continetur, & leges omnes fundamentales plane proſternunt, quo ipſo non poteſt non immenſa & nullis limitibus circumſcripta poteſtas adſcribi imperantibus, iudice Dn. Hertio *de mod. Conſt. ciu. Sect.* 2. §. 3. Imaginantur ſibi majeſtatem ad inſtar olei, quaſi illa cœlitus effundatur in perſonam deſignatam a populo, vt Hornius *de maieſt. ciu.* §. 14. vult, ſed eo ipſo aliquid aſſerunt, quod quomodo fiat, ſe neſcire profitentur. Quin quod

ex

§. XXVI. Quod vero imperia *ordinatio diuina*, & *a Deo* eſſe dicantur, exinde tantum concludimus, Deum eadem approbaſſe, (i) imo pro ſtatu rerum peruerſo voluiſſe, vt propter impios imperia conſtituerentur; minime autem inde infertur, immediate imperium transferri a Deo in perſonam electam & hoc ſenſu 1. *Petr. II. v.* 13. poteſtas ciuilis dicitur ordinatio humana.

§. XXVII.

ex illa ſententia dubium reddi poſſit, an Deus homini impuro, qui per fraudes & facinora peſſima ſibi viam ad imperium ſtrauit, maieſtatem conferre voluerit, quo ipſo anſam populus poſſet capere, rebelliones fouendi, & obedientiam imperanti denegandi, quaſi non eſſet eidem collata immediate a Deo ſumma poteſtas. Non poteſt enim iuſtior ratio dubitandi eſſe, quam hæc ipſa, qua fit, vt talis opinio reipublicæ magis nocere quam prodeſſe videatur.

(i) Negari nequit, Deum approbaſſe humana imperia, quia maxime conducant ad pacem, tranquillitatem ſecuritatemque inter homines ſeruandam; Imo & hoc concedi poteſt, Deum pro ſtatu peruerſo voluiſſe, vt imperia inter homines erigerentur, non, quaſi abſolute eſſent neceſſaria, cum ſupra vidimus, piorum cœtum extra respublicas beate & pie vixiſſe, ſed quod impii aliter in officio contineri non potuerint. Quamuis enim Deus vinculum aliquod inter homines conſtituerat, & tamen hoc ipſum in cœtibus peruerſorum & malorum aliter conſeruari non poterat, quam per frenum externum imperii; voluntas quoque Dei fuiſſe videtur, vt in cœtus ciuiles homines tranſirent. Et ita intelligo quoque Paulum *Rom. XIII*, 3. quod imperantes ſint timendi ab im-

§. XXVII. Neque hic diſſentientes terrorem iniicere nobis poſſunt, allegando, ſententiam

piis, non quod pii propterea non ſint obnoxii imperantibus, ſed quod horum cauſa imperia inter homines non ſint ſtabilita. Imo & hoc concedi poteſt, Deum *concurrere ſua prouidentia* ad electionem vel conſtitutionem huius vel illius perſonæ, cum Deus profiteatur ſe non raro in pœnam hominum corda eorum flectere, vt ineptos eligant reges. vid. *Eſai. III*, 4. quo ſenſu Deus in ira ſua regem populo dare dicitur. *Oſea XIII*, 11. *Eccleſ. IV*, 14. Ita ſæpe Deus Regem conſtituiſſe legitur in pœnam Iſraelitarum, vt de Iehu refertur 1. *Reg. XIX*, 15. de Nabuchodonoſore *Dan. IV*, 27. quo etiam omnia reliqua loca ſacræ ſcripturæ trahenda ſunt. Huc reſpexerunt gentiles, quando *fato* regi reſpublicas dixerunt: *Nihil priuatim*, ait Seneca *epiſt.* 91. *n.* 19. *nihil publice ſtabile eſt, tam hominum quam vrbium fata voluuntur*. Vnde diuerſo modo ſocietas ciuilis poteſt cum Petro dici *ordinatio humana*, ſi ſpecialem eius nexum & originem reſpicias, cum Paulo vero *ordinatio diuina*, quatenus a Deo approbata eſt. Neque aliud euincitur ex *Rom. XIII*. quia (1.) Paulus non tantum de poteſtate *ſuprema* ibidem loquitur, ſed etiam de *ſubalterna*, de hac vero aſſerere velle, quod ſit immediate a Deo, eſſet abſurdum. (2.) Non dicit Paulus, quod omnis poteſtas ſit *immediate* a Deo, ſed ſimpliciter, *quod ſit a Deo*, quod non negatur. Illud enim variis modis antea demonſtratum, quod reſpublicæ posſint recte diuina ordinatio dici, ſed propterea non excludendum eſt factum humanum, quod hic concurrit in conſtituenda ciuitate. Eodem modo matrimonium quoad inſtitutionem eſt a Deo, nihilominus tamen coniuges matrimonium contrahentes illius immediata cauſa ſunt.

(k) Pri.

tiam hanc lege publica eſſe receptam, (k) imo articulum fidei, aut denique ingens intereſſe reipublicæ in ea contineri; nam hæc ſunt vana terriculamenta eorum, qui rationibus deſtituuntur ſufficientibus.

§. XXVIII. Illa tamen obſeruatio ex hactenus dictis non eſt negligenda, quod nexus inter imperantes & parentes multo firmior & indiſſolubilior inde reddatur, ſi conſideramus, quod in hac ſocietate ciuili ſimul concurrat ordinatio diuina, adeoque eo ſanctius tum a ſubditis tum ab imperante colenda ſit.

§. XXIX.

(k) Primo adducitur decretum publicum Imperii noſtri tempore Ludouici Bauari promulgatum; Sed an eiusmodi ſententiæ, quæ ad conceptum intellectus ſpectant, poſſint lege publica inculcari, dubito, præſertim cum hæc ſententia eis temporibus debeatur, quibus omnia tenebris erant inuoluta, quin & hoc modo fortisſime papæ contradici putabatur, qui conſtitutionem imperatorum ſibi ſatis impudenter arrogabat. (II.) Iam demonſtrauit Dn. Budeus *Diſſ. de concord. Relig. Chriſt. ſtatusque ciuil. c.* 4. §. 5. hanc doctrinam non eſſe omnibus Lutheranis communem, ſed multos ab eadem etiam receſſiſſe. Denique (III.) intereſſe, quod fingunt, in illa opinione reuera inane eſt. Siue enim dicas, maieſtatem eſſe mediate ſiue immediate a Deo, nihil derogatur autoritati imperantium, cum ſatis certum ſit, etiam hoc ſenſu *propter conſcientiam* imperantibus eſſe parendum, quia ſimul in rebuspublicis concurrit ordinatio diuina, cui vtique ſe, qui imperanti reſiſtit, opponit.

§. XXIX. Neque his obſtant, quæ ſupra de primis imperiorum primordiis vitioſis dicta ſunt, cum illa tantum oſtendant, vitium adfuiſſe in *modo* conſtituendorum imperiorum, non vero in *reipſa* (l) quæ ſatis ſalutaris eſt.

§. XXX. Ceterū hæc primordia vitioſa vel ideo diſſimulanda non erant, ne figmentis vanis hanc doctrinam incruſtaremus, ſed Machiauelliſtis etiam, (m) hac ſtante rerum facie, ſatisfacere poſſemus.

§. XXXI. Denique ſemel introductis imperiis facilius contingere poteſt, vt vel in eorum mutationibus, vel continuationibus *expreſſum pactum* interueniat, (n) quod præſertim in regnis electitiis conſpicuum eſt.

CAP.

(l) Sic ſacerdotia ſunt ordinatio diuina, ſed ſæpe in *modo* peccatur, dum per artes illicitas quis ſacerdotium occupat. Idem dicendum eſt de matrimonio, quod itidem inſtitutio diuina recte dicitur, ſed quam plurimi illud ambiunt ex impuris affectibus.

(m) Machiauelliſtæ pleraſque hypotheſes videntur vel ex hoc fundamento deducere, quod, quum viderint pleraque imperia vi parta eſſe, vim etiam & quælibet facinora imperantibus licita eſſe crediderint, imo cum vitioſum plerumque fuerit initium, illis haud viſum fuerit nefas eſſe, ſi vitia a principe continuentur, quæ tamen omnia eo ipſo euertimus, dum oſtendimus, quod ſtante etiam vitioſo illo primordio, nihilominus nexus quidam inter ſubditos & imperantes poſſit oſtendi non vitioſus, ſed normæ iuris naturalis adſtrictus.

(n) Hoc in Iudæis conſpicuum eſt, regem poſtulantibus a Sa-

CAP. III.
De
Vario imperii ciuilis ſtatu.

§. I.

Ex hactenus dictis oritur primus conceptus ciuitatis, quod ſit *cœtus ſeu complexus plurium hominum ſub imperio pactis vel expreſſis vel tacitis vnitus, tutioris & tranquillioris vitæ gratia.* (o)

§. II.

a Samuele. Hoc itidem in regnis electitiis vſu venit, vbi per *electionem* conferunt imperium, quæ revera eſt *pactum expreſſum.* In mutationibus itidem hoc non raro eueniſſe, ex hiſtoria Belgica & Heluetica conſtat. Quin & non raro, vbi violentia agitur, expreſſum pactum ſuperuenit, quale quid contigiſſe videtur in *lege Regia Romanorum*, per quam Auguſto omnis ſuprema poteſtas eſt delata, quam reuera iam tenebat. Solent enim libertatis ciuilis oppreſſores hoc ſtratagemate vti, & ita omnia diſponere, vt magis videantur ex libera voluntate imperium accepiſſe, quam ex violenta occupatione, quæ nunquam tutum conciliat imperium.

(o) Definitio ex eis, quæ *cap. antec.* allata ſunt, conſtat. (1.) *Cœtus* eſt, nam ſupra probatum, antea aliquam multitudinem hominum adeſſe debuiſſe æquali quodam nexu iunctam, antequam ciuitas conderetur. (2.) *vnitus*: ex vnione enim demum ſocietas oritur, quæ facit, vt omnium *vna* ſit *voluntas*, & vnius perſonæ moralis vicem ſuſtineat. Hinc vbi plures ſunt vniones cœtuum plurium; non poteſt vna eſſe ciui-

§. II. Prout vnio in tali cœtu comparata eſt, ita quoque varius inde oritur ciuilis ſocietatis ſtatus. (p) Vnio autem illa diiudicanda eſt ſecundum hæc tria: (I.) *finem* (II.) *formam* ſeu modum imperandi (III.) *nexum per pacta* nunc magis reſtrictum, nunc laxatum.

§. III.

ciuitas, licet vel maxime ſub vno capite ſint. Sic tria regna Britanniæ ſunt ſub vno capite, ſed non vna ciuitas olim ex illis tribus regnis conſtitui poterat, cum Scotia ſeparatis rationibus adminiſtraretur. Vnione autem ſub felici imperio Reginæ ANNÆ accedente, in vnam cum Anglia rempublicam coaluit. Idem de antiquo Germaniæ ſtatu dici poteſt, vbi plures ciuitates Germaniæ vnius imperio paruere, ſed diuerſa fuit ſingulis regendi ratio. Simile exemplum eſt in Hiſpaniæ regno & alibi, reſpectu ſingularum rerum publicarum. Rex vnus idemque in vna laxiore, in altera ſtrictiore gaudere poteſt poteſtate. (3.) *certa pacta* præſuppoſui, vti fuſius ſupra demonſtratum (4.) *ſub imperio*: Ex hoc enim ciuitas conſtituitur, alioquin manet ſocietas æqualis (5.) *tutioris vitæ gratia.* Hic finis ſocietatum ciuilium ſaltem *ex mente* & *præcepto Dei* eſſe debet, quatenus eſt ordinatio diuina, & imperantes obligantur ad pacem & ſecuritatem ſubditis præſtandam. Vnde monet Paul. 1. *Tim. II*, 2. *obſecrationes eſſe faciendas pro imperantibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate: hoc enim eſt bonum.*

(p) In *generali* quidem *conceptu* omnes ciuitates inter ſe conueniunt, præſertim in iis, quæ hactenus tradita ſunt, ſed *ſpecialiores* in ſingulis ciuitatibus occurrunt *circumſtantiæ*, efficientes, vt in *ſuo indiuiduo* conſideratæ ab aliis in plurimis differant, quæ omnia ex-

§. III. Quoad prius caput *circa finem* notandum, quod, etſi forte negari nequeat, prima imperia & ſocietates ciuiles deſciuiſſe a vero fine, & pro ſecuritate; *violentiam* introduxiſſe (q) inde tamen norma ciuitatum quoad finem peti non poſſit, (qq) ſed potius ex voluntate Dei lege naturæ declarata. §. IV.

exacte præcognoſcenda, quia ſine illo vario ſtatu iudicium rectum alias ferri nequit. Sicuti autem ab *anima* omnes operationes procedunt, ſed tamen illi cohæreant plures affectus, propter quos ſinguli homines *ſpecie* inter ſe differre videntur, licet omnes habeant eandem animam, & ita homines diuerſas edunt operationes inter ſe: ita in *corpore* quoque *ciuili* comparatum, quod, licet quoque anima vna h. e. vnione cohæreat, tamen præterea tot ſint ſingularum ciuitatum ſeparatæ affectiones, vt diuerſas inter ſe edant operationes, & ſic *varius* ciuilis imperii *ſtatus* inde naſcatur.

(q) Prima certe imperia violenta & tyrannica non potuere non a vero fine aberrare (1.) quia violentia quidem metum incutit, ſed haud firmat nexum, qui deberet intercedere inter ſummos imperantes & ſubditos, & ſic vnio tota lubrico nititur fundamento, *metu* ſcilicet *ſeruili*, qui parit *diffidentiam*, hic vero deſiderium iugum illud excutiendi. *Imperantem enim*, ait Cicero *Philipp. II. caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis*. quem in ſenſum etiam Claudianus *de quarto conſul. Honor. verſ.* 281.

Non ſic excubiæ non circumſtantia tela,
Quam tutatur amor.

Plenius hac de re philoſophatur Plinius ſecundus *in Panegyr. c.* 49. vbi inter alia dicit: *fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fue-*

fuerit. Armis enim arma irritantur. (2.) quia latiſſimam viam pandunt ad vitam ſceleſtiſſimam, & latrociniis indulgent, vnde nulla ſalus in republica, ſed ſemper turbæ metuendæ, & cum (3.) vinculum naturale inter omnes homines conſtitutum tollere annuſi ſunt primi homines, quid mirum, ſi vinculi ciuilis nullam habuerint rationem, cum *malo regni principio ſimiles exitus ſequi ſoleant*, vt de Tarquinii regno notanter ait Liuius *lib. I. c.* 28. Equidem in omnia alia abit Autor *tr. du gouuernement ciuil. c. VII.* §. 17. vbi contendit, *primam ætatem mundi fuiſſe auream, ambitionem, auaritiam, amorem ſceleratum habendi nondum corrupiſſe animos hominum, nec falſos conceptus de poteſtate imperantium iis ingeneraſſe, imperantes fuiſſe optimos, ciues haud vitioſos, & ita illos poteſtate ſua ad oppreſſionem populi haud abuſos, multo minus his anſam datam fuiſſe de imperantium actionibus male iudicandi aut conquerendi, & ita de illorum poteſtate reſtringenda haud cogitaſſe. Seculis demum ſequentibus per auaritiam, luxuriam & ambitionem omnia in peius verſa fuiſſe &c.* Hæc omnia vero ſe in hunc finem afferre contendit, vt ex *prima origine imperiorum* iura rerumpublicarum explicare, & abuſus exceſſusque imperantium detegere poſſit. Vereor autem, ne autor doctiſſimus probatione excidat, ſi de ſingulis membris fidem facere deberet. Ad Caini ciuitatem plane hæc omnia minime quadrant, quæ tamen *prima* fuiſſe legitur, vt ſupra euictum eſt. Pios in *ſocietates ciuiles* ab initio abiiſſe haud conſtat, multo minus norma quædam rerumpublicarum inde peti poteſt. Illud facilius largimur, poſtea *virtute* & *pietate* imperantium omnia in melius correcta fuiſſe, atque inde potius norma rerumpublicarum petenda fuiſſet.

(99) Qui

§. IV. Illud itaque ſecundum iuris naturæ normam finis ciuitatum eſſe debet, quod extra eas inter homines corruptos (r) non potuit ob-

(qq) Qui veram ciuitatum indolem ex huiusmodi vitioſis primordiis & normam rerumpubl. petere tentant, næ ſimiles illis videntur, qui matrimonii finem indolem normamque diiudicare vellent ex intentione peſſimorum hominum, qui vel ob ambitionem, vel auaritiam vel luxuriam coniugium inierunt. Sunt quidem ciuitates *factis hominum* conditæ, ſed non quid factum ſit, ſed quid ex or*dinatione diuina* fieri debuerit, reſpiciendum eſt. Atque hoc ipſum ex ſubſecuta correctione morum in nonnullis ciuitatibus ſatis apparet, prout *cap.* 1. §. *XXI.* dictum eſt, id quod inter ipſos quandoque Ethnicos contigiſſe legimus. Seruius Tullius *regnum dolo partum ſic egit induſtrie, vt iure adeptus videretur.* Florus *lib. I. c.* 6. *n.* 2. Numa Pompilius *quod vi & iniuria occupauerat imperium, religione & iuſtitia gubernauit.* Id. *lib. I. c.* 2. *inf.* Quin nonnunquam ex commercio cum aliis gentibus moratioribus eiusmodi *mutatio in melius* nata eſt. De Gallis, gente olim admodum efferata, Iuſtinus *lib. XLIII. c.* 4. hoc teſtatur, inquiens: *Ab his* (Maſſilienſibus) *Galli & vſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus non armis viuere, tunc & vitem putare, tunc oliuam ſerere conſueuerunt, adeoque magnus & hominibus & rebus impoſitus eſt nitor.*

(r) Feci mentionem *hominum corruptorum*, idque propterea, quoniam ſupra demonſtraui, finem ciuitatum inter *pios* potuiſſe obtineri *extra ciuitates*, & reuera obtentum eſſe, & inde concluſionem formaui,

obtineri & tamen ad vinculum inter homines ſtabiliendum facit (s) h. e. vt quietam & tranquillam poſſint ducere vitam ſecundum Paulum 1. *Timoth. II*, 2.

§. V.

ui, *generaliter* & *abſolute* non eſſe iure naturæ *præcepta* imperia. Neque propterea volo, piorum cœtum non poſſe ſubſiſtere in republica; nam verum eſt vulgatum: *politiam non tollere religionem*, ſed quod non neceſſe habuerint ab initio coaleſcere in ciuitates. Finge plures familias Deum ex toto corde colentes in locum aliquem inhabitatum ſecedere, & ita tandem excreſcere in inſignem multitudinem, non certe obligantur iure naturæ inter ſe ad reſpublicas conſtituendas, quamdiu in vera pietate ſubſiſtunt, cum iam, vt ſupra aſſertum, *diuiniore nexu* inter ſe conglutinentur, neque tamen peccare dicendi ſunt, ſi aliquam ciuitatem inter ſe erigunt.

(s) Concludo ita: vinculum inter homines iure naturæ neceſſarium eſt, quod conſiſtit in *pace* & *ſecuritate* colenda, hoc vero inter improbos extra ciuitates non poteſt obtineri, ergo hoc medium vniuerſale teſtari debet de ipſo *fine*, qualis eſſe debeat omnium ciuitatum. *Vnio* enim inprimis conſiſtit in eo, vt *vniti* inter ſe poſſint *tranquilli* & *ſecuri* eſſe. vnde naſcitur *beata ſubditorum vita*. *Moderatori* enim *reipubl. beata ciuium vita propoſita*, *vt opibus firma*, *copiis locuples*, *gloria ampla*, *virtute honeſta ſit*, Cicerone iudice, *lib. VIII. ad Attic. ep.* 11. E contrario inter *diſſidentes* & *turbatores* non eſt vnio, ſed *ſummæ infelicitatis ſtatus*. Ergo quamcumque tibi fingas vnionem, neceſſario primarium ſcopum intendere debet, vt omnium ſit

vna

§. V. Et hoc eſt, quod vulgo aſſerere ſolent, finem ciuitatum eſſe *beatitudinem ciuilem* (t) ſeu *externam*, indeque lex prima fundamentalis: *Salus populi ſuprema lex eſto.*

§. VI.

vna voluntas, extra quam haberi non poteſt ſecuritas & tranquillitas vitæ. Pertinet huc Menenii Agrippæ fabula, quam populo diſſidenti propoſuit, & ad concordiam & vnionem reduxit. *Diſſediſſe quondam inter ſe humanos*, dixit, *artus, quod omnibus opere fungentibus ſolus venter immunis ageret: Deinde moribundos a ſeiunctione rediiſſe in gratiam, quando ſenſiſſent, quod eius opera redactis in ſanguinem cibis irrigarentur.* Flor. *l.I. c.*23.

(t) Beatitudo ciuilis obtinetur ex ipſa vnione & concordia: cetera, quæ ciuitates ornant, magis accidentalia ſunt, non neceſſaria. Illuſtrabo hoc verbis Romuli apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* vbi contendit, *in bellis externis profundas altasque foſſas non eſſe munimenta ſatis idonea ad certam ſalutis ſecuræ ſpem hominibus incluſis afferendam: ſed hoc tantum polliceri, oppidanos repentina hoſtium incurſione oppreſſos cladem nullam accepturos, neque ſi inteſtini tumultus in republ. exorti fuerint, priuatas ædes & domicilia cuiquam refugium ſatis tutum præbere: ad vitam enim quiete & tranquille agendam hæc ſubſidia & ſolatia ab hominibus eſſe inuenta, quæ neque inſidias, quæ vicinis tenduntur, ita arceant, vt illi miſeri non ſint: neque etiam faciant, vt qui inſidiis appetuntur, quamuis in tuto ſint, tamen confidant. Neque vllam vrbem his ſolis ornamentis felicitatem & amplitudinem diuturnam ſibi quæſiſſe: neque contra vllam vnquam ciuitatem, quod ſumtuoſis ædificiis priuatis publicisq; caruiſſet, probibitum fuiſſe, quo minus ampla & fortunata euaderet. Sed aliud eſſe,*

N quod

§. VI. Media itaque neceſſario ad hunc finem facientia officio boni imperantis continentur, vt partim per *remedia coactiua idonea* omnia fini huic contraria, quatenus coactionem recipiunt, remoueat, partim animos ſubditorum abduci curet ab effrenata libidine, & quatenus fieri poteſt, ad veram pietatem adducat, (u) vtrumque tamen eo modo, qui huic inſtituto conueniens eſt.

VII.

quod vrbes ſeruet, & magnas ex paruis faciat. In externis bellis ipſam armorum potentiam, hanc autem audacia & exercitatione comparari. At in ciuilibus perturbationibus, ciuium concordiam: Demonſtrauit autem, hanc facillime poſſe in republ. florere, ſi vnusquisque & temperanter & iuſte viueret, &c.

(u) Circa hanc theſin pleroſque diſſentire video, ſed facile cum his conueniemus, ſi modo diuerſas quæſtiones ab inuicem ſeparemus. Alia (I.) quæſtio eſt, an imperia primario ſint inſtituta, vt pietas interna inter homines promoueatur, quod antea negaui (II.) an imperia ciuilia poſſint pietatem operari in ſubditis, quatenus per leges imperatur, quod itidem negatur (III.) an *primarius* ſcopus ciuitatum ſit, vt pietas colatur inter homines; quod itidem negatur, (IV.) annon pietas ſubditorum multum conferat ad finem reipublicæ obtinendum; quod qui negauerit, ſane omnis pietatis ſenſum abieciſſe dicendus eſt. Inter *cauſas felicitatis ciuitatum* recte refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. II. temperantiam & iuſtitiam, ob quas homines ſe minus mutuo lædentes magis ſunt concordes, & felicitatem non fœdiſſimis voluptatibus ſed honeſtate metiuntur.*

Lau-

Laudat Liuius *lib. I. c.* 21. Numam Pompilium quod *ea pietate omnium pectora imbuerit, vt fide & iuſiurandum proximo legum ac pœnarum metu ciuitatem regerent.* (v.) Deniq; annon cura principis huc quoque directa eſſe debeat, vt ſubditi pie viuant, non quidem coactionibus, ſed illis externis mediis adhibitis, quæ pædagogiæ inſtar ſunt ad culturam pietatis? quod itidem nec negant illi, qui curam principi demandant circa ſacra, ſcholas & alios mores ſubditorum recte formandos, verbi cauſa, pios magiſtratus præficiendo, ſubditis fideles miniſtros conſtituendo &c. Si deficit pietas, non quidem ſtatus ciuitatis in totum ruit, interim tamen ægre finis obtinetur. *Timor Dei ſolus eſt*, ait Lactantius *de ira lib. I. c.* 12. *qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Econtrario *ſi pietatem remoueris, nihil proderunt exercitus, equi, ſatellites, enſium vis, virorum innumerabiles copiæ, quo minus in te imperiumque tuum inſurgant*, iudice Nicephoro *lib. XIII. c.* 1. Ratio quoque naturalis docet, veram animorum culturam multum facere ad finem reipublicæ obtinendum. Theodoſius *epiſt. ad Cyrillum* apud Edmund. Richerium *hiſt. concil. gener. lib. I. c.* 7. §. 2. hoc agnouit optime, dicens: *Reipubl. noſtræ conſtitutio ea, quæ in Deum eſt, pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio & familiaritas intercedere ſolet. Nam & ex ſe inuicem pendent, & vtraque proſperis alterius ſucceſſibus incrementa ſumit.* Et paucis interiectis: *Cum itaque Deus imperii habenas nobis tradiderit, iisque, qui imperio noſtro parent, pietatis & ſecuritatis quoddam quaſi vinculum nos eſſe voluerit &c.* Equidem imperans propterea non eſt conſtitutus, vt curam animarum *primario* gerat, quin potius, vt primario *pacem*, & *tranquillitatem externam* in ſocietate ciuili ob oculos habeat. Ad hanc tamen tunc optime

me deuenitur, ſi quoque curam habeat, vt pietas vera ſubditis inſtilletur, quo eo melius ſecuritas in republica & tranquillitas obtineri poſsit. Si a Deo diſceſſerimus, princeps multum ad optimos ſubditorum mores conferre poteſt. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.* Si imperans pesſime viuit, non ſibi tantum nocet, ſed in totam peccat rempublicam. Bene Cicero *lib. III. de LL. c.* 14. *vitia non ſolum principes concipiunt, ſed etiam in totam ciuitatem infundunt.* Hoc ſenſu Salomo dicit, *Regis thronum tum demum firmari, ſi diſceſſerit a malo Prou. XXV.* 5. *XXVIII.* 2. *Leuit. XXVI.* 4. *ſeqq. Pſ. LXXXI.* 14. 15. quorſum etiam collimat Chriſtiani IV. Regis Daniæ ſymbolum : *Regna firmat pietas*. Apoſtolus Paulus 1. *ad Tim. II.* 2. vult, precationes fieri pro imperantibus, vt vitam tranquillam & quietam agere posſimus *in omni pietate & honeſtate*, quod *bonum* eſſe ait, ſeu *conducibile reipublicæ.* Salomon quoque aliis pluribus locis hoc inculcat, optimus *in arte imperandi* Magiſter. *Prou. VIII.* 11. *XVI.* 12. *XXI.* 12. *XX.* 28. *XXVIII.* 12. 15. 16. *XXIX.* 8. 14. 24. XXX, 21. *ſeq. Sap. VI.* 1. 5. *ſqq.* Etenim omnia vitia & turbæ in republica oriuntur ex inordinatis ſingulorum affectibus, qui vel *ambitionem* vel *luxuriam* vel *auaritiam* concernunt. Hæc vitia inſigniter conuerſiones rerumpublicarum promouent, vti bene oſtendit Dn. Buddeus, *diſp. de concord. relig. chriſt. vitæque ciuil. c.* 1. §. 9. *ſeqq.* Optime vero corriguntur per ſinceram pietatem, ſecundum præcepta Chriſti inſtitutam. Nam *ambitioni* occurritur per *humilitatem Matth. XI,* 29. *XVIII,* 3. *XX,* 21. 26. *XXI.* 5. *XXIII,* 7. 10. *ſeqq. Gal. V,* 26. *Marc. IX,* 3. 4. *ſeqq. Luc.* I. 51. *ſeqq. Auaritiæ* occurrit præceptum Chriſti de vitanda intempeſtiua ſollicitudine *Matth. VI.* 25. *ſeqq. Luc. XII.* 25. *ſeqq.* 1. *Tim. VI.* 9. 10. 1. *Cor. VI,* 20. *Voluptates*

car-

§. VII. Patitur ergo mirum in modum hæc vnio, quando ciuitas ſuam tranquillitatem & pacem mediis ex peſſima hominum libidine propullulantibus conſeruare & ſtabilire nititur, (*) quæ tamen vnionem magis tollunt, quam conſeruant.

§. VIII.

carnis ſedulo tota ſcriptura ſacra dehortatur. 1. *Cor.* VI, 10. *Gal. V.* 19. *Rom.* I. 26. 27. XIII. 13. *Luc.* XI. 37. *Apoc.* XXI. 8. Et huc ſine dubio reſpexiſſe videntur Ethnici, quando tunc demum beatas fore respublicas prædicarunt, *ſi imperantes diuina quadam ſorte vere philoſophentur*, vt ait Plato *Epiſt.* 7. quod etiam repetit Cic. *Epiſt.* I. *ad Qv. Fratrem.* Juſtin. *in Apol.* II. philoſophorum mentem ita aperit, inquiens: *Dicit enim ex priſcis quidam: niſi & principes & ciues philoſophentur, fieri non poſſe, vt beatæ ſint respublicæ & ciuitates.* Non inepte Valerius Maximus *lib.* II. *c.* 1. *Non dubitauerunt, ſacris imperia ſeruire, ita ſe rerum humanarum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene & conſtanter eſſent famulata.*

(*) Hoc vt plurimum accidit in regnis & imperiis male partis. Bene Tacitus *Hiſt. lib.* I. *c.* 30. *nemo vnquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit; eum plerumque*, vt ait Saluſt. *de Catil. bell. c.* 2. *n.* 5. *iis artibus imperium retineatur, quibus initio partum eſt.* Tarquinius *ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſierat* Flor. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 2. Saturninus apud Liuium *epit. lib.* 69. adiuuante C. Mario *tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, geſſit.* Inde Seneca *de Clement. lib.* I. *c.* 13. *Scelera ſceleribus tuenda ſunt.* Quod aliquando ſcelere parta imperia religione & iuſtitia gubernata ſint, prout di-

§. VIII. Huc pertinet (1.) ſi felicitas reipublicæ quæritur in latiſſimo imperio, & perpetuis bellis hunc in finem ſuſcipiendis, quod malum fluit ex ambitione & in vitioſis rerumpublicarum primordiis conſpicuum eſt. (x) Cum enim ita ſemper reſpublica turbida ſit, & ab ea nulla gens ſecura, nec illa rurſus pacem vel extra ſe vel intra ſe habet, cum ciues ad res nouas quotidie moliendas ita inſtituantur.

§. IX.

ctum §. III. *lit. qq.* ad illa, quæ rarius accidunt, referri debet.

(x) Non mirandum eſt, quod pleræque reſpublicæ hodie pronæ ſint ad hunc finem, cum ipſa initia reipublicæ ex libidine imperandi arceſſenda. Cum autem hæc libido non quieſcat, ſed in infinitum agat, hinc imperans ſuam felicitatem metitur ex latiſſimo imperio & ſemper ducitur cupiditate alios ſubiugandi. Sæpe audias: *Roma interim creſcit ex Albæ ruinis*, vt ait Liuius *lib. I. c.* 30. Sed talia incrementa veram reipublicæ ſalutem deſtruunt. Huius indolis plerumque eſſe ſolent Reges bellicoſiſſimi, quos *martiales* vocant, vti referunt de Guſtauo Adolpho rege Suecię, quod aſſerere ſolitus fuerit, *Regem ſemper bellis intentum eſſe debere, nunquam vero in pace quieſcere, quo ſubditi ſemper occupationibus agitentur, regna amplientur, & imperans timeatur.* Sed ipſe Guſtauus plura occupare ſtuduit, quam quæ tueri potuit, vid. Puſendorff. *lib.* III. *rerum a Carolo Guſt. geſt. p.* 133. *Facilius* quippe *eſt quædam vincere, quam tueri*, vt aiunt legati Darii apud Curtium *lib.* IV. *c.* 2. & *ſtultum videtur aggredi, quos etiamſi vincas, retinere non poſſis*, Thucyd. *lib.*

lib. VI. c. 2. Alexander M. ſuum imperium non aliunde firmare potuiſſe credidit, quam hac contra leges naturæ ſuſcepta rapiendi libidine. Neque pirata adeo ei inepte reſpondit, interroganti, quo iure tam impune prædas ageret in mare? Eodem, inquit, *quo Tu in orbem terræ. Sed quia id exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna claſſe, imperator.* Sed reuera ita finis rerumpublicarum proprius negligitur, & vinculum ciuile magis laxatur, quam firmatur (1.) dum ſubditi nimis premuntur oneribus belli ferendis. *Ab armis quidem magna ſed breuis potentia: a pacis vero ſtudio paruum, ſed diuturnum imperium eſt*, Tacit. *lib.* IV. *Annal. c.* 4. *in f.* Tale itaque imperium ius publicum vniuerſale iubet, præſcribit. (2.) ſimiliter omnia ex *genio principis* ad ambitionem in republica diſponuntur, ex hoc vero infinita mala contra pacem & tranquillitatem promanant. *Principes plus exemplo quam peccato nocent*, ait Cicero *lib.* III. *de LL. c.* 14. Nam vt Rex Gothorum Theodoricus ait, *facilius eſt errare naturam, quam diſſimilem ſui princeps poſſit rempublicam formare*, Caſſiodorus, *l.* III. *Var. epiſt.* 12. Vnde enim tot rebelliones, quam quod vel populus nimis prematur, vel ambitio eius nimis fuerit aucta? (3.) Cum belli fortuna ſit inconſtans, ciues non maiorem ſecuritatem in republica habent, quam haberent in ſtatu naturali, cum ſemper variam belli fortunam timere debeant. Ageſilaus certe tam eximiam ciuium curam habebat, referente Xenoph. *in Orat. de eod. p.* 668. vt *ſeruari omnes pro lucro duxerit, e contrario pro iactura, ſi quis etiam non magni pretii homo periiſſet.* (4.) Si nulli ſunt metuendi extranei hoſtes, ipſa respublica ſæpe ſua mole laborat, vt quod violenter acquiſitum, per violentiam & turbas perpetuas plerumque ſit retinendum. De imperii Romani magnitu-

gnitudine plerique ſcriptores hoc obſeruant. Ita enim Florus *lib.* IV. *c.* 2. *iam pene*, ait, *toto orbe pacato, maius erat imperium Romanum, quam vt illis externis viribus extingui poſſet. Itaque inuidens fortuna principi gentium populo, ipſum illum in exitium ſuum armauit.* Expreſſius rem depingit Tacitus *lib.* II. *Hiſtor.* vbi ita: *Vetus ac iam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido cum imperii* (Romani) *magnitudine adoleuit erupitque. Nam rebus modicis æqualitas facile habebatur. Sed vbi ſubacto orbe & æmulis vrbibus regibusque excifis ſecuros opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarſere: modo turbulenti tribuni, modo conſules præualidi, & in vrbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum. Mox e plebe infima C. Marius & nobilium ſæuisſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquam poſtea niſi de principatu quæſitum.* Similiter legati Scytarum ſatis grauiter Alexandro hoc venenum obiiciunt apud Curtium *lib.* VIII. *c.* 8. aientes: *Si Dii habitum corporis tui auiditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc aſſecutus ſcire velles, vbi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam, ab Aſia tranſis in Europam. Deinde ſi humanum genus omne ſuperaueris, cum ſyluis & niuibus & fluminibus feriſque beſtiis geſturus es bellum.* Recte Florus *lib.* IV. *c.* 12. *n.* 29. *difficilius eſt prouincias retinere, quam facere.* Imo, vt ait Saluſtius *in Iugurth. c.* 31. *maius dedecus, parta amittere, quam omnino non parauiſſe.* Longe *prudentius* imo *iuſtius* egerunt Chauci, vtut pro barbaris habiti, quos Tacitus *de moribus German. c.* 35. in eo merito laudat, quod *magnitudinem ſuam maluerint iuſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia,*

quod

§. IX. (II.) Si felicitas ſumma quæritur in luxuria & mollitie, & ſubditi ad hanc adducuntur, quo eo magis in partes imperantis trahantur. Sed ita quieſcit omnis vera cura reipublicæ, & dum luxuria ingraueſcit, vinculum ciuile valde laxatur, nec conſtans eſt illud obſequium, quod luxuria acquiſitum. (y) §. X.

quod quieti ſecretique nulla prouocauerint bella, nullis raptibus aut latrociniis populati, promta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat, exercitus plurium virorum equorumque. Concludo hanc meditationem cum Valerio Maximo *lib.* IV. *c.* I. *inf. ea demum potentia tuta eſt, quæ viribus ſuis modum imponit.*

(y) Prudenter admodum Florus *lib.* III. *c.* 12. *Opes atque diuitiæ afflixere ſeculi mores, merſamque vitiis ſuis quaſi ſentina rempublicam peſſum dedere.* Monuit iam ſuo tempore Plutarchus *de glor. Athen. p.* 348. aſſerens, *non ſapere ciuitatem, quæ tantum in res ludicras impenderet ſtudium,* ſicut etiam Cambyſes apud Xenophont. *in Cyropæd. lib.* I. *p. m.* 27. *lit. a.* reprobat illud diſcrimen inter ſubditos & principem, *quaſi ſcil. hic deberet ſumtuoſius viuere, domi plus auri habere, diutius dormire, omnino minore cum moleſtia laboreque degere, quam ſubditi. Ego autem,* inquit, *arbitror non deſidis vitæ ratione præſtare ſubditis debere principem, ſed alacri ſtudio rebus eorum proſpiciendo ac laboribus tolerandis.* Reſpice Heliogabuli atque Caracallæ tempora, & mala infinita obuia deprehendes. Breuiter huc omnia redeunt (1.) quod per luxuriam reſpublica ad paupertatem & perniciem redigatur. Qualis rex, talis grex. De Ptolomæo Ægypti rege refert Iuſtin. *lib. XXX. c.* 1. quod luxuriæ ſe tradiderit. *Regis mores,* pergit, *omnis ſecuta regio eſt. Itaque non amici tantum præfectique, verum etiam omnis exercitus depoſitis militiæ ſtudiis, otio ac deſidia corru-*

§. X. (III.) Si inter ſummum reipublicæ bonum referuntur artes lucrandi & auaritiam pro lubitu exercendi. (z)

§. XI.

pti marcebant. Quibus rebus cognitis Antiochus Rex Syriæ, veteri inter ſe regnorum odio ſtimulante repentino bello multas vrbes eius oppreſſit. Sic cum Dionyſius Platoni Magiſtro philoſophiæ operam daret, tota regia puluere fuit repleta præ turba Geometricas pingentium figuras: Sed eodem ad ſua pocula & voluptates redeunte vitæ mollities omnes occupauit. Plutarch. *de adul. & am. diſcrep. c.* 11. (2.) Inhabilem ſe reddit imperans, vt poſſit ſana admittere conſilia, aut reipublicæ conſulere, exemplo Neronis luxurioſiſſimi, *ſibi conceſſam dictitantis, nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium & gaudia felicium,* Tacit. *lib.* XIII. *annal.* hinc (3.) vbique occaſio omnia & quæcunque impune faciendi. Quin mutationes rerumpublicarum non raro inde oriuntur. *Tamdiu,* ait Flor. *lib.* 1. *c.* 7. *in f. ſuperbiam regis populus R. perpeſſus eſt, donec aberat libido.* Hac accedente, famoſum illud refugium ortum eſt. Huc pertinet graue monitum Salomonis *Prou. XXXI.* 3. *ſeqq.*

(z) Auarum principem & omni iudicio carentem Salomon coniungit. *Prou.* XXVIII. 16. id quod ex oppoſito ibi conſpicuum eſt. Admodum ſcite Cicero *lib.* II. *de offic. c.* 22. ait: *Nullum vitium tetrius quam auaritia, præſertim in principibus & rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui rempubl. non modo turpe, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, niſi auaritia eſſe perituram, id videtur non ſolum Lacædemoniis, ſed & omnibus opulentis populis*

§. XI. Et tamen non diffitendum eſt, pleraſque ciuitates ad huiusmodi corruptas & a vero fine aberrantes vias deflectere, imo in pleriſque hæc tria corruptelarum genera concurrere, (*) vt incidant fere *in ſtatum rerumpublicarum irregularium.* (a) Prout enim peſſimus finis eſt, ita leges quoque huic reſpondentes vnionem reipublicæ magis tollunt, quam ſtabiliunt.

§. XII.

pulis prædixiſſe. Certe vbi auaritia dominatur, vbi *auri vis atque opes principibus infenſæ* (Tacit. *lib.* XI. *annal. ab init.*) primario pro ſcopo habentur, infinita monopolia & alia auaritiæ & iniuſtitiæ ſimulacra maxime in miniſtris ſequuntur, *cum fides integra manere non poſſit, vbi magnitudo quæſtuum ſpectatur,* Tacit. *lib.* XI. *annal.* Si princeps auarus eſt, miſerrimi ſunt ſubditi, qui facultatibus præditi ſunt; nam ſub quouis prætextu imperans bonis alienis inhiat, leges ad quæſtum exemplo Iuſtiniani accommodat, imo ipſa iuſtitia venalis eſt, ſubditis extorquetur duris exactionibus pecunia, neque vllus alius tyrannicis dominationibus aptior eſt, quam auarus. Ipſi vero ſubditi, rupto vinculo, quæuis ſcelera, flagitia impune committunt, ad quæ auaritia ipſis anſam ſuppeditat. Vnde Cicero *Philipp.* III. tales imperantes remouet ab habenis reip. *quis*, ait, *rex vnquam fuit tam inſigniter impudens, vt haberet omnia commoda, beneficia, iura regni venalia.* Denique huc quoque pertinet, quod ait Saluſt. *orat. de ordin. rep. ſæpe iam audiui, qui reges, quæ ciuitates & nationes per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant.*

(*) Notat hæc tria vitia in ſtatu rei Romanæ Florus *lib.* III.

lib. III. *c.* 12. aiens: *opes atque diuitiæ afflixere ſeculi mores, miſſamque vitiis ſuis quaſi ſentina rempubl. peſſumdedere.* & paucis interiectis oſtendit, quod famem *luxus* fecerit, quod *ex auaritia vectigalia reipubl. atque ipſa iudicia in quæſtu habita ſint,* quod abundantia familiarum bella ſeruilia produxerit, quod ab *ambitu honorum Mariana & Syllana tempeſtas petenda ſit, quod apparatus conuiuiorum & ſumtuoſa largitio* Catilinæ furorem in rempubl. excitauerit &c.

(a) Reſpublica *morbida* ſeu *irregularis eſt, quæ deflectit a vera vnione,* ita vt ſimilis ſit ædificio ruinam minanti, ſicuti contra *regularis*, quæ adhuc cohæret, & licet quædam vitia habeat, tamen adhuc quibusdam ſolidis nititur fulcris. Et quidem *vitia ſtatus* non confundenda ſunt cum *vitiis hominum.* vitia hominum ſolent plerumque anſam dare ad vitia ſtatus, ſcilicet vt ſtatus publica lege & more ita male cohærere incipiat. Communiter *regna abſoluta* ſolent ad *reſpublicas regulares* referre, vbi ſubditi vi terrentur, coercentur, & perpetuis defatigationibus ita exercentur, vt vnio ſatis ſtabilis adeſſe videatur. Timent regem, quia Tyrannus, quia malum infert, quia alia grauiora metuunt, & ita vel *inuiti* ſub iugo retinentur inſtar ferarum beſtiarum, qui domitoris ſub vinculis gemunt. Tale fuit regnum Tarquinii, qui *conſcius male quærendi regni ab ſe ipſo aduerſus ſe exemplum capi poſſe, armatis corpus circumſepſit, neque enim ad ius regni quicquam præter vim habebat: vt qui neque populi iuſſu, neque autoribus patribus regnaret. Eo accedebat, vt in caritate ciuium nihil ſpei reponenti metu regnum tutandum eſſet.* Liuius *lib. I. c.* 49. Verum enimuero hanc rempublicam eſſe *ſpecie* tantum *externa* regularem & ſanam, magis

gis vero *morbidam* vel inde arbitror, (1.) quia *metus & terror infirma vincula caritatis, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient.* Tacit. *in Agric. c.* 32. (2.) quia cura pro ſubditorum ſalute eſt plane inanis, & eatenus tantum ſubditis imperans conſulit, vt ſibi & ſuæ potentiæ bene ſit. (3.) ſubditi nunquam tuti nec tranquilli, ſed ſub *prætextu iuris*, quæuis patiuntur. Hinc T. Largius apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. VI.* optime cenſet, *longe optimum & firmiſſimum id eſſe imperium, quod beneficiis non ſuppliciis ſubditos in officio continere ſolet. Illorum enim beneuolentiam, horum vero timorem eſſe comitem. Quicquid autem eſt formidabile, id necesſitate naturali omnibus maxime eſt exoſum.* E contrario qui dominationem exercent exemplo Tarquinii *occidunt, in exilium agunt, bonis mulctant non modo quos ſuſpectos & inuiſos habent, ſed vnde nihil aliud, quam prædam ſperare poſſunt.* Liuius *lib. I. c.* 49. Proinde talis reſpublica turbis & perpetuis disſidiis luctatur, vti vel regnum Galliæ triſtisſima eius rei exempla ſuggerit. Expresſius adhuc veritatem huius aſſerti confirmat ſtatus rei Romanæ poſt Galbæ occiſi tempora, poſtquam in *Othones*, *Vitellios* & *Domitianos* aliosque flagitioſisſimos principes incidit. Nihil fœdius illo tempore. Non iure, ſed vi, cædibus, ſeditionibus omnia acta ſunt, imo ipſis flagitiis certatum fuiſſe videtur. *Locupletiſſimus quisque in prædam correptus, vires luxu corrumpebantur contra veterem diſciplinam & inſtituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius ſtetit. Epularum fœda & inexplebilis libido, ex vrbe atque Italia irritamenta gulæ geſtabantur, exhauſti conuiuiorum apparatibus principes ciuitatum. Degenerabat a labore ac virtute miles aſſuetudine voluptatum, & contemptu ducis. Nemo in illa aula probitate aut in-*

du-

§. XII. Vnde concludo, quo magis ciuitas ſimplicitati (b) ſtudet, tranquillitatemque ciuium quærit, eo beatior eſt & ſecundum leges naturæ

duſtria certauit: vnum ad potentiam iter prodigis epulis & ſumptu ganeaque ſatiare inexplebiles principis libidines. Mutato imperatore, non mores mutati. *Magis alii homines, quam alii mores. Multæ* vbique *& atroces inter ſe militum cædes. Irrepentibus dominationis magiſtris principes ſuperbiores & acerbiores facti. Apud paucos tacito voto quies pro diſcordia, bonus & innocens princeps pro peſſimis & flagitioſisſimis expetitus.* Hæc & ſimilia Tacit. *lib. II. Hiſtor* pasſim ingeminat. Præterea *vrbes hauſtæ & obrutæ, Roma incendiis vaſtata, pollutæ ceremoniæ, magna adulteria: plenum exiliis mare, infecti cædibus ſcopuli, atrocius in vrbe ſæuitum. Nobilitas, opes, omisſi geſtique honores pro crimine & ob virtutes certisſimum exitium. Nec minus præmia delatorum inuiſa quam ſcelera. Corrupti in dominos ſerui, in patronos liberti, & quibus deerat inimicus, per amicos oppresſi. Qui occiderant certatim oſtentantibus cruentas manus, vt pulcrum & memorabile facinus iactabant,* Tacit. *lib. I. Hiſtor. ab init. Stultisſimus quisque pecuniis mercabatur,* & *quod in perditis rebus accidit omnes præcipiebant, nemo exſequebatur.* Id. *lib. III. Hiſtor. Diſcordia inter patres, ira apud victos nulla in victoribus autoritas, non leges non princeps in ciuitate erant.* Id. *lib. IV. hiſtor.* Et infinitum foret, omnes calamitates publicas, & ſcelera nefanda, recenſere, quibus non tantum *fœdus ciuile* ſed humani generis ruptum eſt.

(b) *Simplicem* voco, quæ vano caret luxu quem *ægre ciuita-*

ræ inſtituta, licet forſan pro barbara habeatur ab imperitis rerum æſtimatoribus.

§. XIII.

uitatis indicium Seneca *epiſt.* 114. vocat & ſe intra ſuos fines continet, neque adeo diuitiis ſtudet. Talis fuit *Iudaica*, primo intuitu ſatis barbara plerisque viſa, & inculta, ſed quæ non tentata fuit in ſuis primis initiis ab eiusmodi vitiis, quibus reliquæ respublicæ infectæ fuiſſe leguntur. Diuitiæ ſubditorum in pecoribus conſiſtebant, amplisſimæ domus deerant, nec magnis ſumtibus indigebant. Leges a Deo eis latæ auaritiæ obicem ponebant, potius amorem & humanitatis officia inculcabant. Luxuria rara inſtrumentis luxuriæ ademtis & commerciorum necesſitate ceſſante. Ambitioni nullus locus dabatur, ſed finibus asſignatis contenti eſſe debebant. Atque hæc quidem tamdiu durabant, donec reges ſibi expeterent. Hiſce adſumtis mox loco *ſimplicis* vitæ *luxurioſior* & *ſplendidior* inuaſit populum, vnde plura mala ipſam rempublicam ſenſim & pedetentim corruperunt, & deſtruxerunt. Similiter quamdiu respubl. Romana in ſimplicitate perſiſtebet, ſatis beata videbatur, *domi militiæque boni mores colebantur: concordia maxima, minima auaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat: iurgia, diſcordias, iras, ſimultates cum hoſtibus exercebant, ciues cum ciuibus de virtute certabant &c.* Saluſt. *de bell. Catil. c.* 9. vbi *c.* 10. oſtendit, qua ratione respublica per *ambitionem, auaritiam* & *luxuriam* corrupta fuerit. Imprimis ſub Numæ imperio ad eam culturam reductam fuiſſe ait Liuius *lib. I. c.* 21. *vt finitimi populi in eam verecundiam adducti ſint, vt ciuitatem totam in cultum Deorum verſam violare ducerent nefas.*

(c) Mo-

§. XIII. Quoad caput ſecundum *circa formam* imperandi notandum, quod etſi prima imperia ex ſuo vitioſo initio *penes vnum* exſtitiſſe videantur, tamen ex poſtfacto ſtatus rerumpublicarum variare ceperit. Inde primo orta videtur *Monarchia.* (c)

§. XIV.

(c) Monarchas primum tenuiſſe imperium ex *hiſtoria imperiorum* ſatis conſtat, vtut forſan ab initio *potentia inſignis*, quæ poſtea demum acceſſit, defuerit. *Nam vrbes quoque vt cetera ex infimo naſcuntur*, vt ait Liuius *lib. I. c.* 8. Huc reſpiciunt tot teſtimonia hiſtoricorum & ipſius Ariſtotelis 1. *Polit.* 1. inquientis: *initio a regibus gubernabantur ciuitates & nunc etiam gentes*, quo & Cicer. 3. *de LL.* reſpicit aiens: *omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt.* & Saluſtius *in Catil. Regnum in terris nomen primum fuit* vid. Hert. *in Elem. prud. civ. p.* 1. *Sect.* 10. §. 5. Concedit id ipſum quoque Autor *tr. du gouuernement ciuil*, quod penes *vnum* ab initio imperium fuerit, ſed diuerſam huius rei cauſam adducit. Contendit enim *cap. VII.* §. 13, *liberos prima ætate paterni imperii aſſuetos facilius imperio vnius ſe ſubmiſiſſe, quod a prima iuuentæ flore tam gratum & ſecurum illis viſum fuerit. Eſſe præterea Monarchiam eiusmodi rem, quæ ſimplicitate ſe commendet, & ſua ſponte hominum animis ſe inſinuet, poſtquam experientia alias formas regiminis haud repræſentaſſet, nec ambitio dominantium eos induxiſſet, vt ſe munirent contra ſupremam poteſtatem & mala inde redundantia. Eos non cogitaſſe de mediis reprimendi conatus & exceſſus imperantium, nunquam quippe dominationem Tyrannicam perpeſſos, vitam ſimplicem, ab auaritia & ambitione alineam, domina-*

§. XIV. Regia hæc *poteſtas*, vti ab initio fuit *violenta*, ita per violentiam, modo *apertam*, modo magis *occultam*, plerumque fuit exercita, (d) vt hoc modo ſubditi parum a *ſeruis* diſtarent, quod & indicat *ius regium* deſcriptum 1. *Sam. VIII.*

§. XV. Cum itaque in iis, quæ ad finem ciuitatum ſpectant, populus imperantis voluntati ſe ſubiecerit, voluntas omnium in huius volun-

minatum non adeo metuiſſe, ſed ſicuti ſponte in ſocietatem ciuilem abiiſſent, mutuo amore & affectione inter ſe certaſſe, magis vim externam metuiſſe, & hoc intuitu nihil facilius fuiſſe, quam Monarchiam tam optime moderatam inter ſe ſtabilire. Platonis rempublicam deſcriptam crederes, quæ ſicuti in *idea* tantum fuit, ita vereor, ne idem de viri doctiſſimi ſententia dicendum ſit. Hæc omnia ſupponunt, ciuitates inter pios conditas fuiſſe, cuius contrarium *cap.* 1. fuſius demonſtratum eſt. In rebus, quæ ad hiſtoriam ſpectant, nihil ſupponendum eſt ex nudis coniecturis, quæ nullis indiciis probari poſſunt, imo cujus contrarium in oculos incurrit.

(d) Hoc illuſtrari poteſt ex iis, quæ dicta ſunt *ad* §. *III.* Tales imperantes *magis vſu, quam voluntate populi* regna poſſident, vt de Seruio dicit Liuius *lib. I. c.* 46. Si tamen poſtea voluntas populi expreſſa accedat, imperium magis firmatur. Vti fecit Seruius, qui poſtea ad populum tulit: *vellent, iuberentne ſe regnare? tantoque conſenſu, quanto haud quisquam alius ante, rex eſt declaratus*, Liuius *ibid.* optime cognitum habens, *vim omnem imperii in conſenſu obedientium eſſe*, Id. *lib. I. c.* 59.

luntate concentratur, vt ita, quod imperans ſummus in hiſce negotiis vult, omnes velle *moraliter* cenſeantur. (e)

§. XVI. Quo magis itaque voluntas imperantis cum voluntate ſubditorum conſtanter in cauſis

(e) Hic effectus *vnionis* conſtitutæ eſt, cum ante conditas ciuitates omnium erat *diuerſa* & *diſcordans* voluntas, quæ per *imperium* in voluntate imperantis vnita eſt, vt finis, h. e. *ſecuritas* & *pax* eo rectius poſſit promoueri; & ſic toti imputatur ciuitati, quod imperans fecit, *nomine ciuitatis*. Videlicet princeps agit vel *extra ciuitatem*, vel *in ciuitate*. Si *extra ciuitatem* agit cum alia gente, tunc quod princeps vult, vti hactenus dictum, omnes voluiſſe cenſentur, & hinc vulgatum:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Quodcunque absque voluntate eius factum a *ſingulis* vel *pluribus*, id effectum iuris hunc inter gentes habere, nec pro *actione ciuitatis* vel *reipublicæ* haberi poteſt. Genti tamen quibus iniuria facta eſt, eos ab imperante dedi, poſtulandi ius eſt, qualia exempla paſſim occurrunt *Iudic. XIX. & XX. Supplicio noxio paucorum, quam innoxio omnium ſanguine* iniuriam expiare præſtat, vti Samnites iudicarunt apud Liuium *lib. VIII. c.* 39. Conf. Id. *lib. XXXVII c.* 45. *lib. XXI. c.* 10. *lib. XXXVIII. c.* 31. & 33. Si *intra ciuitatem* agit, itidem *omnium voluntate* fieri, quod facit, cenſendum eſt, v. c. *leges ferendo, iudicando* &c. Verum hoc generale quidem, non tamen eſt in infinitum extendendum, ſed in iis ſaltem verum eſt, *quæ ad finem ciuitatum ſpectant*: in eis enim tantum ſe voluntati alterius ſubiecerunt.

(f) Id

cauſis publicis conſpirat, eo firmior eſt nexus, eoque facilius finis a iure naturæ intentus obtinetur. (f)

§. XVII. Deficiente hac voluntatum conſpiratione, facile contingere poteſt ſtatus publici *mutatio*, vt ciuitas nouum ſtatum induat, & vel penes *paucos* vel *majorem partem populi* imperium eſſe incipiat. (g)

§. XVIII.

(f) Id naturale eſt, vbi omnes idem volunt, ibi maior eſt amor, & ſic ſocietas quoque eo firmior: Contra vbi ſolo *metu* & *potentia* omnia diriguntur, *inuidia regni etiam inter domeſticos inſida omnia atque infeſta facit*, vt ait Liuius *lib. I. c.* 42. & licet hactenus *moraliter* ſubditi idem velle videantur, quod princeps vult: in effectu tamen a *voluntate* eius abalienati ſunt, & *coacte* volunt, quod princeps vult. *Arduum eſt*, inquit Tacitus *lib.* 4. *annal. eodem loci potentiam & concordiam eſſe.* Seruius *primus iniuſſu populi regnauit*, inde omnia eidem infeſta fuerunt, Liuius *cit. l.* donec poſtea populus libere conſentiret. Aſt Salomonis regnum populo gratum acceptumque erat. Omnes videbant, per ſapientiam DEI cuncta dirigi ab eo, & iudicia quoque exerceri, hinc eo maiori reuerentia & amore omnes eum proſequebantur, vt felicitate eius temporis nihil illuſtrius excogitari potuerit. Erat potens diuesque, potentia tamen & diuitiis non vtebatur, vt *vnico medio* imperandi, *ſola Dei ſapientia* omnia dirigente. Cum hactenus Respubl. romana variis diſcordiarum procellis eſſet agitata, & tandem communi conſilio pro commodis eius laborarent, omnes publicam lætitiam ſignificabant, *beatam vrbem Romanam & inuictam & æternam illa concordia* dicentes, Liuius L. V. c. 7.

(g) His verbis oſtendere conor, *Democratiam* & *Ariſtoera-*

§. XVIII. Sic itaque eadem ratione, qua regna ſunt conſtituta, poteſt Ariſtocratia enaſci, quatenus cœtus ſuam voluntatem ſubiicit concilio ex paucis optimatibus conſtanti.

§. XIX. Non ſingulis autem optimatibus ſe committit populus, ſed omnibus coniunctim conſideratis, (h) & ita plures in concilio congre-

ſtocratiam apud pleroſque populos ex *Monarchia* natas fuiſſe. Pufendorffius quidem *tit. VIII. c.* 5. §. 4 putat, ab initio Democratias uſu obtinuiſſe, a quo non videtur abhorrere Huberus *de iure ciuitatis.* Verum iam ſupra §. XIII. oſtendi, antiquisſima fuiſſe regna, & ex temporum iniuria nata, vbi tamen forſan negari nequit, populos, quo magis libertatis amantes fuere, eo citius Regum iugum excusſiſſe; Roma ab initio reges habuit: Sed excusſit hoc iugum, poſtquam reges effrenata libidine ius fasque euerterent & ſolo timore ſubditos continere ſtuderent, vnde non poterant non *odium* & *auerſatio*, & ex hac ſeditiones oriri. *Male vim ſuam*, ait Plinius *lib* 8. *epiſt.* 24. *n.* 6. *poteſtas aliorum contumeliis experitur; male terrore veneratio acquiritur. Longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor. Nam timor abit, ſi recedas, manet amor: ac ſi vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur.*

(h) Singuli *ſeorſim* non imperant, ſed omnes *coniunctim*, qui omnia *collegialiter* & *per vota maiora* expedire debent. Et quidem omnia decernenda ſunt *independenter* & *proprio iure.* Nam ſolet haud raro contingere in Democratia, vt collegio alicui demandetur a *populi maiore parte* cura reipublicæ, vt *vice populi* adminiſtrent. Sed ita collegium dependet a populo, quod vel ex prouocatione ad populum liquidum eſt, vti in regnis a rege, & ita ab externis hiſce ſchematibus

gregati vnam perſonam ſuſtinere videntur, & conſequenter voluntas illius concilii circa negotia reipublicæ eſt voluntas omnium.

§ XX. Quod ſi tandem populus in plenam euadit libertatem, excuſſo iugo regio, vel eiectis optimatibus, Democraticus inde ſtatus oritur, quatenus ſummam poteſtatem coniunctim populus retinet.

§. XXI. Quod itaque maior pars populi integri decernit, pro omnium voluntate (i) habetur

bus nullum ducendum argumentum. Hoc caſu omnis populus a ſe imperium non abdicauit, ſicuti priori. Simile quid, quod in Ariſtocratia obtinet, quoque deprehenditur in *Dyarchiis*, ſi imperium apud duos *indiuiſim* & *in ſolidum*, æqualiterque ſit, qualia exempla in Romano imperio orientali plura fuere, quæ ratio imperii tamen magis vtilitatem reipubl. impedit, quam promouet. Interim tamen non tantum externo ſchemate a ſe inuicem differunt, quod ſoleat ſingulis Dyarchis plus honoris & cultus tribui, quam ſingulis optimatibus in republica, adeoque Dyarchis quidem prædicatum *Maieſtatis* non denegetur, quod tamen nequidem integro concilio optimatum dari ſolet; ſed etiam in eo, quod ſinguli ex Dyarchis aliquando *in ſolidum* imperent, adeoque quod *unus* fecit, effectum iuris ſortiatur, aliquando vero non niſi *coniunctim*, quo caſu proxime ad Ariſtocratiam reſpublica accedit.

(i) Noui hanc populi voluntatem plerumque inordinatam eſſe, & publicæ rei non conſulere: interim quoad effectus publicos pro iure legitimo habetur. *Non enim comitiis ſemper iudicat populus, ſed mouetur plerumque gratia, cedit precibus, facit eos, a quibus eſt maxime ambitus. Denique ſi iudicat, non delectu*

 ali-

betur, & huic decreto ſe ſinguli ſubiicere debent, adeoque licet imperium ſit penes omnes *coniunctim*, quatenus ſummam rerum tangit, tamen concluſum maioris partis neceſſario *vim iuris* & *imperii* ex poſt facto conſequitur.

§. XXII. Omnes ciuitates interim, qualiſcunque forma regiminis in eis obtineat, manent inter

aliquo, aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam & quadam etiam temeritate. Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxiſſent, ait Cicero orat. pro Cn. Plancio.

(k) Quæ contra democraticum ſtatum obiici ſolent, plenius refellit Puſendorff. *lib. VII. c.* 1. §. 5. Res tota huc redit, *non poſſe ſimul populum imperare & parere.* Sed nulla eſt abſurditas, quando dico, populum in concilio h. e. *coniunctim* conſideratum exercere ſummum imperium, *ſingulos* vero extra concilium poſitos parere: Si dicis, quod ſinguli tantam per modum *pacti* obligentur, id quidem non nego, ſed ita tamen, vt ſinguli ad id efficaciter quaſi per modum *imperii ex poſtfacto* cogi poſſint: quodſi enim parere recuſant, nomine totius reipubl. tanquam inobedientes & rebelles recte puniuntur: Quia vero tale concilium perpetuo durare nequit, adeoque eo finito adminiſtratio imperii exſpirare videatur, conſtitui debent, quibus *executio* & *imperium* interim *nomine huius concilii* demandetur, donec neceſſitas cogat, de ſummis rerum rurſus in comitiis deliberandi. Præterea populus in hoc ſtatu gentes alias deuictas ſub ſua poteſtate habere poteſt, quibus eodem modo imperat, vti princeps in Monarchia, quales populi deuicti plures ſub imperio Romano fuere vid. Hobbeſ. *Leuiath. P. I. c.* 19.

(l) Hac

ter ſe liberæ & æquales, adeoque de iure altera præ altera aliquam prærogatiuam prætendere nequit, (l) niſi quam communis conſenſus per tacita pacta approbauit, tunc enim lege naturæ ciuitates inter ſe obligantur ad illum ordinem, qui ſimul pacem communem & harmoniam inter gentes promouet, obſeruandam.

§. XXIII.

(l) Hac de re Pufendorff *Lib.* 8. *c.* 4. §. 15. & Ill. Dn. Thomaſ. *ad Monzamb.* *c.* 1. *p.* 65. plenius egerunt. Tota res eo redit: Ciuitates inter ſe viuunt in ſtatu *libertatis*, adeoque omnimoda inter eas, quatenus perſonam moralem repræſentant, eſt æqualitas: neque enim vlla hactenus poteſt afferri ratio *iuris* genuina, propter quam altera obligata ſit, vt alteri cederet. Quæ enim ordinis rationes in *ciuitatibus* habentur, ex *determinatione ſummi imperantis* fluunt, qualis poſitiua determinatio inter gentes ceſſat. Imo quamuis ſtatus rerum publicarum inter ſe diuerſi ſint, hæc tamen diuerſitas magis reſpicit ipſam rempublicam *intra ſe*, eiusque gubernationem, non vero reſpectum ad exteros inuoluit, adeoque nullum poteſt argumentum afferri, quare respublica *popularis* cedere debeat ſtatui *Monarchico*, cum vtrobique adſit ſummum imperium. Quæ argumenta extra *pacta* afferuntur, ſunt vana. *Potentia* non tollit æqualitatem, nec ius potius tribuit. Nec *antiquitas* reipubl. ceteras gentes obligat, ut cedere antiquiori genti debeant; Præterea nec *abſolutum imperium* quam *ſouuarenitatem* vocant, quoque ſufficiens videtur, cum tamen toti corpori alterius ciuitatis nihilominus ſua maneat poteſtas, & hæc tantum intra fines reipublicæ concludatur. Si *mores* gentium conſideramus, admitto eosdem, inter quos tales vigent, ſed ex moribus harum vel illarum gentium aliæ non

§. XXIII. Quo grauiores autem ſolent de proedria eſſe lites, eo inaniores ſunt, (m) quia licet altera alteri ciuitati cedere debeat, quando conueniunt, tamen nihil eo ipſo neque de *iure libertatis*, neque *ſummi imperii*, amittitur, neque adeo vllum aliud metuendum eſt præiudicium, niſi ambitionis.

§. XXIV. Quemadmodum autem ordo inter ipſas ciuitates arbitrarius eſt, ita quoque dignitas externa eorum, qui reipublicæ præſunt, intra ciuitatem arbitraria eſt, & dependet itidem ex

obligantur. Mores enim ſunt producti vel ex pactis *expreſſis*, vel, quod plerumque fit, *tacitis*, dum ſcilicet alter populus ſua patientia conſentit in prærogatiuam alterius gentis. Et ita fere factum, vt prout populus alterius ope indiguerit, alteri ex regulis prudentiæ ceſſerit. Sic fere olim primum dabant locum omnes Reges *reipublicæ romanæ*, vbi adhuc *libera* & *popularis* erat, quæ prærogatiua ad *Imperatores* tranſiit, & ex *communi conſenſu gentium* durauit in noſtris Imperatoribus. Ergo euidens eſt, rempublicam Democraticam nullo iure poſſe inferiorem cenſeri aliis ciuitatibus, ſi abſtrahamus a *pactis* vel *expreſſis* vel *tacitis*. Ex poſt facto vero obtinuit, vt prærogatiuam reges ad ſe traherent, *ex potentia*, qua pollebant, cui cum ſe aliæ respublicæ opponere non poterant, potius cedere, quam hoſtem alterum habere voluere. Unde factum, vt pactis fere tacitis prærogatiua illa ſit determinata.

(m) Pertinet huc dictum Lactantii: *contentione de dignitate nihil foedius, nihil arrogantius, nihil a ſapienti ratione remotius eſſe.* Inter gentes quidem *ex prærogatiua ordinis* non leue momentum dependere volunt, ſed quale illud ſit, hactenus non euictum eſt.

Sic

ex iuſtitutione prima, (n) quæ vim cuiusdam *taciti pacti* habet, vt tamen propterea ſummo imperio & ſtatui reipublicæ nihil nec addatur, nec detrahatur.

§. XXV. Ceterum ex hoc vario ciuitatum ſta-

(n) Sic reges vtuntur ſplendidisſimis titulis, minoribus *optimates* gaudent, imo integræ respublicæ, licet liberæ ſint, minimis ſane titulis ſuperbiunt, quod tam de rebuspublicis *inter ſe* verum eſt, quam de ipſis imperantibus *reſpectu ciuitatum.* Sic enim auguſtior reuerentia & autoritas eximior ſolet regibus præberi, longe minor optimatibus & tamen optimates idem habent imperium eandemque maieſtatem quam reges. In populo iudaico Moſes ſummam *fere* poteſtatem exercebat, & poſt cum Ioſua, & Judices, ſed absque externo ſplendore. Si tamen in originem inquirimus, vix alia ratio ſuppetit quam hæc, quod reges plerique ab initio violentia fundauerint imperium ex ſola libidine imperandi, ergo ſimul quæſiuerint *præeminentiam* quandam ſingularem, & cum conditio ſubditorum fere deſciuit in ſtatum ſeruorum, hinc eximior cultus inde ortus eſt. Aſt optimates cum ex pluribus conſtent, ſinguli ſingulis impedimento fuiſſe videntur, quo minus illis tam ſplendidus cultus præberetur. Sic & inter eos, qui reipublicæ præſunt, diuerſæ ſunt denominationes. Dantur *Imperatores, Reges, Domini, Archiduces, Duces, Principes, Comites* &c. Sed hæc nomina minorem non inferunt poteſtatem, nec minuunt libertatem. Hæc omnia & ſimilia ab initio *arbitraria* fuere, & ſunt tantum externa ſchemata, quæ ſtatui reipublicæ nihil nec addunt nec detrahunt. Manet Ciuitas in ſua libertate & iure, ſiue dicatur, *ſupremus Ducatus*, ſiue *regnum*, ſiue *imperium*, ſiue etiam *Comitatus*, ſi nemini obnoxius ſit.

ſtatu poſſe nouam adhuc conciliari rerumpublicarum ſpeciem tradunt, quam *mixtam* vocant, ita vt in vna republica partim monarchia partim ariſtocratia ſimul obtineat, & quædam iura ſummi imperii vnus independenter, quædam autem optimates independenter & ſolitarie exerceant. (o)

§. XXVI.

(o) Multæ ſunt lites de *exiſtentia huius reipublicæ.* Eam negarunt Joh. Bodin. *de republica lib.* 2. *c.* 1. & Petrus Gaſſendus *phil. moral. p.* 1466. Thomas Hobbes *in Leuiathan. c.* 18. *&* 24. *de Ciue c.* 6. §. 6. Eam adſtruxere Hugo Grotius *De J. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 17. Kulpiſ. *ad Monzamb. p.* 2. *p.* 225 Qui exiſtentiam eius aſſerunt, imperium tanquam *totum aliquod* in ſe concipiunt, quod tamen in varias diſtinctasque partes diuidi poſſit, adeoque exinde inferunt, manere quidem penes *integram ciuitatem* totum imperium, ſed ita partes imperii poſſe diſtingui, vt penes vnum poſſint eſſe *diuiſim* & *independenter* quædam iura Maieſtatica, penes populum vel optimates reliqua iura, & ſicuti in populi arbitrio fuit, uni vel paucis totum imperium conferre, ita quoq; idem potuit ita diuidere imperium, vt quædam partes ſint penes vnum collegium, quædam penes alterum. Vbi tamen cauendum monent, ne ſtatim mixturam hanc fingamus, ſi *adminiſtratio reipublicæ externa* aliquid trahat ex forma alterius reipublicæ, vbi tamen ſtatus ipſe reipublicæ ex *legibus* & *poteſtate* æſtimandus maneat ſimplex. Sic poteſt accidere, vt ſtatus Reipublicæ ſit popularis, pleraque tamen externe adminiſtrentur vel ab aliquo principe in populo, vel a Collegio quodam, nam *modus externus adminiſtrandi non variat ipſum ſtatum.*

(p) Di-

§. XXVI. Sed ſi vel maxime talis reipublicæ forma mente concipi queat, tamen adhuc dubium remanet, an talis mixtura exiſtere posſit in rerum natura, & ſi exiſtat, an tale monſtrum reipublicæ recte cohæreat, (p) & non potius lon-

(p) Diximus, ciuitatis *animam* eſſe *vnionem*. Ergo vbi illa in totum non poteſt non deficere, adeſt *anarchia*, *mors* & *interitus* reipublicæ. Iam ponamus, principem habere ius fœderum, ſenatum ius belli, populum ius tributorum, *princeps* ſane non habet maieſtatem, quia non habet ius foederum nec tributorum nec *Senatus*, quia non habet ius belli & tributorum, nec *populus*, quia non habet ius belli & fœderum, nec *omnes coniunctim*, ſi diſſentiunt, quia alter alterum non poteſt cogere, nec hic vota maiora valent, cum ſinguli iura ſua independenter exerceant, & ſi alter alterum poſſet cogere, adeſſet dependentia. Reuera itaque omnis vnio deficit, ſi talis ſtatus reipublicæ fingitur, qui perpetua bella alit. Quamcunque enim mixturam tibi fingas, ſtatim apparet, illam ita eſſe comparatam, vt omnia, quæ ad ſecuritatem publicam & ſalutem reipublicæ pertineant, impediantur, dum alter alterum impedit, ne posſit ius ſuum exercere. Ita ſi princeps habet ius belli, ſi populus nolit bellum, denegat tributa & ſenatus fœdera & ita porro. Neque obſtat, quod tamen posſint quandoque vnanimi conſilio agere; nam ſi vel maxime id vna vel altera vice fiat, hi caſus tamen erunt rarisſimi, cum potius cogitandum erat, homines, præſertim potentia gaudentes, & ſibi inuicem ob diuerſa ſtudia inuidentes, magis aptos eſſe ad interna disſidia & bella ciuilia quam rempublicam gubernandam. Arduum ſemper habitum fuit, *eodem loci potentiam & concordiam eſſe*, vt ait Tacitus *lib. IV. annal.* Non triumuiratus diu ſubſtitit, vtut fœdere arctisſimo conglutinatus

longiſſime aberret a fine reipublicæ a lege naturæ intento.

§. XXVII. Nouum tamen adhuc exſtruunt ſtatum ex *ſyſtemate ciuitatum plurium* (q) quando plures vna ciuitates liberæ arctiſſimo inter ſe vinculo ita connectuntur, vt vnum corpus videantur conſtituere, vt tamen ſingulæ ſummum imperium retineant, in proprios ſubditos.

§. XXVIII.

natus videretur. Semper tribunitia poteſtas conſulare imperium impugnauit, & perpetuis ſeditionibus remp. afflixit, quæ tamen adhuc tolerabilior, quam ſtatus mixtus, videtur fuiſſe.

(q) Proprie loquendo itaque huc ſpectant *ciuitates liberæ*, quæ etiam poſt *confoederationem* inter ſe factam liberæ debent manere. Non itaque huc ſpectant plures reſpublicæ, poſtquam ſub imperio vnius coaleſcunt, ſingulæ. enim liberæ eſſe deſinunt, vnius imperio ſubiectæ. Vtut vero plerumque huiusmodi ciuitates *compoſitæ*, vti etiam vocantur, coniunctim ſibi eligere communem *ducem* ſoleant, ille tamen non *ſuo iure* agit, ſed dependet a ſtatu ſyſtematico, imo quædam pacto comprehenduntur, quæ non niſi *coniunctim* exerceri poſſunt, qualia plerumque ſunt, quæ ad communem ſecuritatem, propter quam vtplurimum tale ſyſtema exſtruitur, faciunt, qualia ſunt iura *belli, pacis, foederum, legatorum*, in quantum communi bello inſeruiunt &c. Olim *Volſci* inter ſe tali nexu ſyſtematico confœderati fuiſſe videntur. Si bellum imminebat, commune concilium convocabant, in eo de ſummis rerum conſultabant, duces belli eligebant, legatos communi nomine mittebant, &c. Dion. Halicarn. *lib.* 8. *pr.* Sic etiam hodie eadem plerumque inter Belgas obtinent, ſed in Heluetia ſingulæ ciuitates maiorem ſibi reti-

nu-

§. XXVIII. Oriuntur autem plerumque talia ſyſtemata vel *expreſſo foedere*, (r) quando plures ciuitates ſeparatæ ita coaleſcunt: vel *absque præfinito conſilio & pacto*; (s) vbi plures prouinciæ ſub vno

nuere poteſtatem, cum ſingulis cantonibus adhuc permiſſum ſit foedus inire. Ex hoc iurium communi exercitio oritur neceſſitas alicuius *communis concilii*, qualia apud Belgas duo eſſe docet Grotius *lib. V. annal. Belg. c. ad A.* 1588.

(r) Prioris generis ſyſtemata ſunt magis *regularia*, & ad pacem communem aptiora, cum *expreſſo fœdere* inter ſe connectantur, ac omnia certo *ordine* boni publici cauſa ita diſpoſita ſint, vt non facile renitentiæ locus relinqui poſſit. Huc pertinent confœderati Belgi & Heluetii, qui perpetuo foedere, eoque expreſſo inter ſe continentur. Tali nexu regulari olim conſtitiſſe videntur *Latini*, populi inter ſe confoederati, & hoc nomen commune aſſumentes, vti tradit Dion. Halicarn. *lib.* 1. vbi addit, *quod pactis adeo conſtanter manſerint, vt nullum tempus alteros ab alteris ſepararit.* Antiquos Francos, antequam ſibi reges eligerent, fœdere huiusmodi copulatos fuiſſe, probabile eſt, vnde etiam facilius *regnum* condere potuerunt.

(s) In hoc nexu irregulari plerumque ſpecies externa reipublicæ antiquæ, veluti *monarchicæ*, manere, vt & externe omnia *monarchice* adminiſtrari ſolent; interim tamen reuera ſingulis prouinciis ſua eſt libertas, eaque quandoque ab initio *vſurpatione*, poſtea *legitimo pacto* & ſic *lege publica* contingit. Incipit itaque occulte latitare & ſeſe exſerere nexus ſyſtematicus ſub *ſchemate externo monarchiæ*, dum manent ſolennia externa, ex quibus tamen amplius æſtimari nequit, vti ex facie imperii noſtri conſtat, quemadmodum poſt Auguſti tempora facies externa reipubl. in plerisque manebat, ſtatu interim in totum mutato.

(t) Ne-

vno capite coalitæ paulatim ita in libertatem ſeſe vindicant, vt autonomiam quidem ſinguli recipiant, ſed tamen adhuc inter ſe quodammodo cohæreant nexu quodam ſyſtematico.

§. XXIX. Interim nexus ſyſtematicus magis cohæret, ſi expreſſo foedere conglutinatur, (t) quam ſi occulte absque præfinito conſilio in republica quadam inualeſcere incipit. Vnde ſtatus talis irregularis fieri incipit, poſtquam a vera vnione (u) deſciſcit.

§. XXX.

(t) Nexus ſyſtematicus prioris generis vel ideo firmior & ad communem tranquillitatem aptior videtur, (1) quod confœderatorum maior æqualitas, (2) quod alter alteri controuerſiam de *libertate* non faciat, (3) quod nexus ipſe pactis & legibus ſatis determinatus ſit, [4] quod nulla externa rerum figura hic ſeſe immiſceat.

(u) Nam [1] plerumque in tali nexu eſt ſumma *inæqualitas* eorum, qui in tali nexu ſunt, dum alii alios potentia dignitateque præpollent, adeoq; alter alterius potentiam metuit, dignitatemq; dolet. [2] Manet renitentia inter *ſtatus* & *imperantem*, cui adhuc forſan quædam reliquiæ iuris antiqui ex *monarchia* ſuperſunt, dum hic *monarchiam* affectat, illi *libertatem* tuentur; in mutua autem renitentia nulla vnio, nullus nexus firmus adeſt. [3] Neque nexus huius iura ſatis circumſcripta ſunt, & cum magis inciderint in eum, quam ex condicto inſtituerint, ſæpe euenire poteſt, vt ipſæ leges magis diſcordiam foueant, quam tollant, quin quod [4] maneat veteris monarchiæ figura externa, ex quo fit, vt nexus hic ſit magis occultus & non appareat, adeoque ſæpe incautos fallat.

(x) Hob-

§. XXX. Accedo ad *tertium caput*, vbi expeditum eſt, variis circumſcribi poſſe nexum ciuilem *pactis expreſſis*, qualiscunque demum ſit reipublicæ ſtatus. Quamuis enim imperia imprimis ob publicam tranquillitatem & ſecuritatem ſint conſtituta, accidere tamen poteſt, vt plus (x) pacto imperanti concedatur, quam ad hunc finem requiritur, ſcilicet vt populus plene ſe eidem in ſeruitutem dederit, ex quo respublica *herilis* oritur.

§. XXXI.

(x) Hobbeſius *de ciue c.* X. §. 2. *&* 5. & alibi pasſim imperium *herile* tanquam ſpeciem ſeparatam a reliquis regnis non agnoſcit, quia poteſtatem principis ita extendit, vt non posſint non omnia imperia eſſe herilia. Non quidem nego, poſſe regna degenerare in *heriles* respublicas, vbi princeps ſuam poteſtatem nimis extendit; ſed quid ſi iuſtum & æquum principem ſupponimus, tunc quidem ſecundum leges naturæ hanc poteſtatem herilem ſibi arrogare nequit absque *pactis*. Illud tantum ex hactenus dictis apparet, imperia omnia *per ſe ex natura ſtatus ciuilis non eſſe herilia*, quia talis poteſtas ad finem propoſitum non requiritur, qualis eſt heri in ſeruos, imo plus nocet quam prodeſt. Quod autem ex *natura imperiorum* non fluit, id non poteſt credi in principem eſſe translatum. Pacto interim quin talis poteſtas principi concedi posſit, per quod imperantes Domini *corporum* & *bonorum* conſtituuntur, non dubito, poſtquam ſingulis permiſſum eſt, ſe in ſeruitutem alteri addicere, ſiue *pactum expreſſum* ſupponas, ſiue tacitum. ſi ſcilicet ſubditi videant, victorem aliter eos in fidem recepturum non eſſe, & ſic iugum hoc ſubierint.

(y) Id

§. XXXI. Præterea quoque *ex pactis* determinandum, vtrum imperia ſint *electitia* an *ſucceſſiua*. Quando populus ab initio in imperium conſentire debuit h. e. quod per *vim* occupatum eſt, oritur inde vtplurimum *regnum ſucceſſiuum* (y) dum plerumque exuuntur ſubditi omni libertate; quamuis & pactis expreſſis firmari ſucceſſio poſſit.

§. XXXII. Quæ vero *mere voluntaria* ſunt imperia, & libera voluntate populi orta, magis manent *electiua*, (z) & in dubio pro talibus æſtimanda ſunt, niſi pactis aliud prouiſum.

§. XXXIII.

(y) Id experientia teſtatur, quia enim per *vim* imperium acquiritur, inprimis *bello*, habetur pro imperio *patrimoniali*, & ſic ad liberos tanquam heredes transmittitur, eodem iure, quo priuati illa, quæ in patrimonio habent, & deuicti non potuere non in talem ſucceſſionem conſentire. Si abſque bello per potentiam ſe obtrudit imperio, & dominatum plenum & abſolutum exercet, itidem ſucceſſio plerumque obtinet, quia nullis certis & perſpicuis firmatum eſt imperium pactis, adeoque imperantes omnia huc dirigere ſolent, vt in ſua familia imperium ſtabiliant. *Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimenta, quam numerus liberorum*, vt ait ex vero Titus apud Tacitum *lib. IV. Hiſtor.* Inde eſt, quod ab initio fere omnia imperia fuerint *ſucceſſiua*. Sed & *electiua* ex eadem ratione poſſunt degenerare in *ſucceſſiua*, quando vel imperium in *dominatum abſolutum* paulatim mutatur, ſtatus regni electioni renunciant, quod in Hungaria factum, vel etiam renunciare aliquando per *potentiam* principis coguntur.

(z) Id quidem negat ex principiis ſuis Hobbeſius *de ciue c. VII.*

c. VII. §. 15. ſeqq. adeo, vt imperanti integrum eſſe dicat, ſucceſſorem *pro arbitrio ſuo* conſtituere; licet vel maxime populus ſibi imperantem *ad tempus* vel *vitam* eius elegerit. Rationes eius ſunt (1) quod populus ita *indefinite* ſe exuat imperio, & omne ius *in ſe* transferat in imperantem, & dum nihil excepit, ius quoque de imperio in imperantem tranſtuliſſe videtur. (2) hoc quoque colligendum eſſe ait ex *praeſumta voluntate populi*, qui ſemel eligendo monarchiam, potius hanc continuare, quam mortuo principe ad ſtatum popularem redire voluiſſe videtur, finis enim teſtatur de intentione, imo & (3) plerisque populis ſucceſſio placuiſſe videtur. Verum cum imperium ſit eiusmodi ius, quod ſingularem perſonæ *induſtriam, mores,* & *qualitates* requirat, quæ deeſſe poſſunt in ſucceſſore, potius credendum eſt, voluiſſe populum, vt in poſterum quoque eo modo imperium in ſucceſſores deferatur, quo in primum collatum eſt. Romani proinde ægre tulerunt obtruſionem Seruii Tullii, qui regnum tanquam *tutor regii ſanguinis* magis occupabat, quod per electionem conferri debebat, prout ab initio conſtitutum erat. Dion. Halicarn. *lib. IV.* Accedit, quod regna *ſucceſſiua* ſint duriora, in quibus libertas ſubditorum magis magisque ſupprimitur, in talem autem conditionem non facile populus, præſertim libertati aſſuetus, conſenſiſſe videtur Ægre id maxime tulerunt Romani, quod Tarquinii regnum iure hereditario ad ſe traxerint. Aiebant: *Tarquinios regno aſſueſſe, initium a Priſco factum, regnaſſe deinde Seruium Tullium, ne interuallo quidem facto oblitum tanquam alieni regni ſuperbum Tarquinium velut hereditatem gentis ſcelere ac vi repetiſſe.* Liuius *l. II. c. 2.* Et quamuis omne ius imperii in electum transferatur, hoc tamen ad *ius imperandi* vnice reſtringendum eſt. Alioquin enim, ſi ius imperandi in eius abſoluta eſſet poteſtate; dicendum foret, illum poſſe imperium pro

P lubi-

§. XXXIII. Poteſt etiam mixtum genus eſſe imperii, quod partim *ſucceſſiuum*, partim *electiuum*, ſcilicet, vbi ſucceſſio ſemper præcedente electione firmatur, non *dicis gratia*, ſed vt integrum populo ſit, ex iuſtis cauſis conſanguineos regios præterire. (a)

§. XXXIV.

lubitu alienare & quocunque modo de eo diſponere, quod tamen admitti nequit. Dn. Thomaſ. *ad Huber. ius ciuit. lib.* 1. *ſect.* 3. *c.* 2. §. 19. Non inepte cenſuit Galba apud Tacitum *lib. I. hiſtor.* libertatem reipubl. ab electione, quam populus conſeruare voluiſſe credendus eſt, dependere. *Sub Tiberio*, ait, *& Caio & Claudio vnius familiæ quaſi hereditas fuimus; loco libertatis erit, quod eligi cœpimus.*

(a) Talis aliquandiu obtinuiſſe videtur in Germania tempore Ottonum; ſed vt tamen electoribus integrum manſerit a familia regia recedere. In Anglia idem ius obtinere certum eſt, vbi rarius a ſanguine regio receditur. Hinc accidere poteſt, vt, vbi femina ſuccedit per electionem, etiam maritus ei adiungatur, vti exempla Ferdinandi Arragonii, & Eliſabethæ Caſtellanæ, vt & Mariæ & Wilhelmi in Anglia docent. Non reprobanda, meo iudicio, hæc ratio ſuccedendi eſt: ſic enim euitantur incommoda, quæ (α) ex electione vt plurimum eueniunt, cum ita plerumque certus ſoleat eſſe ſucceſſor; (β) quæ ſucceſſioni cohærent, quia ſi indignus eſt proximior, dignior eligitur, ſi anteceſſor nimis poteſtate abuſus eſt, ſucceſſori libertas reſtringitur per pacta, quoniam cui per electionem defertur imperium, eidem etiam limites certi, quos excedere nequit, poni poſſunt.

(b)

§. XXXIV. Status imperii ſucceſſiui ab electiuo in eo differt, quod quoad facta anteceſſoris vtrobique eadem non ſit obligatio. (b)

§. XXXV. Porro quædam imperia ſunt *patrimonialia* (c) ex pacto populi, vbi ita omne ius in imperantem tranſtulit, vt etiam de eo libere diſponere & in alium transferre poſſit, quædam autem ſunt *non patrimonialia*, vbi talis poteſtas non eſt conceſſa.

§. XXXVI.

(b) Succeſſor ex electione non ſemper obligatur ex factis anteceſſoris, vti ſucceſſor hereditarius: neque enim *beneficio defuncti*, ſed *iure ſpeciali* per electionem obtinuit imperium, v. c. quoad reuocationem priuilegiorum, æs alienum ſoluendum &c. hic enim ex *iure proprio* ſuccedit, neque defuncti perſonam repræſentat, ſicuti is, qui vt heres ſuccedit. &c. Illuſtratur hoc egregie ex literis Franciſci II. Regis Gallorum ad Heluetios patris debita repoſcentes, quas refert Bodin. *de republ. lib. I. c. 8. Tametſi*, ſcribit Rex, *debita paterna ſoluere non tenemur, cum hæc ſceptra hereditario iure non habeamus, ſed regia lege, quæ iam inde vsque a primis Francorum regibus lata ad mares proximos imperium detulit, quæ non aliter nos obligari patitur, quam ad ea fœdera pactaue, quæ cum exteris principibus ac populis ad huius imperii vtilitates & commoda a maioribus noſtris contracta fuerunt*, &c.

(c) Quod quædam *patrimonialia* regna dicantur, non illo accipiendum ſenſu, quod æque ſint in patrimonio vti quidem reliquæ res, ſed tantum reſpectu *alienationis* & *diſpoſitionis* hanc denominationem ſortiuntur. A reliquis rebus patrimonialibus adhuc in eo

P 2 diffe-

§. XXXVI. *Non patrimonialia* (d) dicuntur, vbi alienatio imperanti haud eſt conceſſa, quod in dubio dicendum eſt.

differunt, quod earum natura admittat *plenum arbitrium*, illas *conſumendi*, & *perdendi* id, quod ad regna patrimonialia applicari nequit, quæ propter *conſeruationem generis humani* ſunt conſtituta, & ſic *conſeruanda*, non *perdenda* aut *conſumenda*. Eatenus itaq; patrimonio accenſetur imperium, quatenus natura & indoles imperiorum hoc admittit. Iuxta Hobbeſium quidem omnia imperia ſunt *patrimonialia*, quia poteſtatem abſolutam imperantibus diſponendi de imperio pro lubitu concedit. Sed fundamento omni deſtituitur. Vix credibile eſt, aliter patrimoniale imperium quam pactis ſubditorum conſtitui poſſe, quocunque modo demum acquiratur, cum naturæ imperiorum haud inſit, facultas illa diſponendi de ipſo imperio, vti quidem proprietati rerum, adeoque extra pacta imperanti competere nequit. Neque vero hic exemplis iudicandum eſt, ſed legibus ex natura ſtatus ciuilis deſumtis.

(d) Aliqui talia regna *vſufructuaria* vocant, ſatis incommodo vocabulo, vti annotat Huberus, cum ita proprietas deberet manere penes populum. Grotius *l.* 1. *c.* 3. §. 12. talia *non pleno iure* haberi æque incongrue ait, cum ad plenitudinem imperii poteſtas alienandi non pertineat, ſed vnice ex pacto & ſpeciali conceſſione dependeat, & ita extra imperium imperanti competat. Cum itaque talis conceſſio in pacto conſiſtat, hoc autem non poſſit præſumi, niſi probetur, merito omnia imperia in dubio *non patrimonialia* dicenda ſunt.

(e) Fun-

CAP. IV.
De
Summa imperantis poteſtate.

§. I.

CUm ciuitates, vt hactenus dictum, ſint inſtitutæ, vt *imperio* vnius vel *certi concilii* nexus inter plures dirigatur ad tranquillitatem & pacem communem, hinc *poteſtas ſuprema* (e) inde ſtatim naſcitur.

§. II. Obſeruandum autem eſt, populum eo ipſo, quo ſe imperanti ſubiicit, e ſtatu naturali & æquali diſcedere, adeoque imperantem duntaxat retinere *iura libertatis*, & ſimul *iura imperii* acquirere, (f) quæ quamuis coniuncta ſint in imperante, tamen *diuerſo modo* exercentur.

§. III.

(e) Fundamentum itaque rurſus eſt arceſſendum ex pactis, vel *tacitis* vel *expreſſis*, per quæ conſenſere in regimen vnius, vel concilii alicuius, vnde ius ad illum finem faciens exſurgere debuit. Deinde cum idem ius ſit lege diuina firmatum, vt ita ordinatio diuina etiam audiat, eo ſanctius hoc colendum eſt, cum *autoritate diuina*, & *humana* firmatum ſit.

(f) Adrianus Houtuyn *in polit. Gen.* §. 17. hæc duo ſtatim videtur commiſcere. Putat imperantem a populo *ſummum imperium* ſeu *regimen* non conſequi, propterea, quod ſingulis in ſtatu naturali ius ſe regendi & de actionibus ſuis diſponendi competierit, adeoque nullius arbitrio ſubiecti fuerint.

 Huic

„ Huic iuri autem renunciare ſingulos in fauorem *v-*
„ *nius* vel *concilii*, ex qua *renunciatione* per ſe ſub-
„ miſſio naſci deberet. Cum itaque is, in cuius fa-
„ vorem renunciatio facta, iam ſolus ſuperior ſit, oriri
„ per ſe exinde *ius ſupremum*, adeoque *retinere* im-
„ perantem ius illud, quod ex ſtatu naturali habuit;
„ non vero *acquirere* ius aliquod nouum, quod ante
„ non habuit, arbitratur. Neque vero renunciatio-
„ nem iuris translationem eſſe, pergit, cum ſibi ipſis
„ ſinguli magis adimant liberam voluntatem, quam
„ in alterum transferant, & conſequenter ius ei
„ nullum de nouo dari, ſed relinqui illud ipſum,
„ quod ex ſtatu naturali habuit, illud vnicum tantum
„ accedere, quod iure ſuo non ad priuatam, ſed pu-
„ blicam etiam poſſit & debeat ſalutem uti. In eundem fere ſenſum philoſophatur autor *tr. du gouuernement Ciuil. c.* 14. §. 3. aiens: *le pouuoir politique eſt ce pouuoir, que chaque homme a dans l' eſtat de nature & qu' on a remis entreles mains d' vne ſocieté & dans cette ſociete à ces Conducteurs, qui ont eſte choiſis.* Quot verba, tot fere contradictiones. Hoc certum eſt, renunciare ſingulos ſuo iuri, ſed ad quem effectum? Non alium, quam vt alteri poteſtatem in ſe conferant. Nam *renunciare ſuæ libertati in fauorem alicuius*, eſt nihil aliud, quam *transferre ſummam poteſtatem in alium*, vel conſentire, vt alter imperium aliquod, quod alias in renunciantes non habebat, in ſe exerceat. Falſum eſt, nullum ius de nouo conſequi imperantem, niſi quod ab initio in ſtatu naturali habuit. Nam quis diceret, ſingulos in ſtatu naturali habuiſſe ius in alterum, quod Houtuyn ipſe negat. Illud omnino conſequitur, quod antea non habebat, imo dum concedit, hoc iure utendum eſſe in publicam ſalutem, fateri quoq; debet, hoc *ius* plane *nouum* eſſe. Interim hoc certum eſt, eo ipſo, quo populus ſe vni ſubmittit, eum ſolum retinere *iura libertatis*, & manere in ſtatu naturali, ſed

præ-

Digitized by Google

§. III. Ivra Libertatis ſunt illa ipſa, quæ ſinguli habuerunt in *ſtatu naturali* quatenus inter ſe æquales erant; & quia imperans nemini ſubjectus eſt, ſine dubio illa retinet, vtut reſpectum magis habeant ad alias gentes, (g) quibuscum in ſtatu naturali agere & viuere debet.

§. IV. Cum tamen illa ipſa in imperante curam reipublicæ adiunctam habeant, aliquem ſimul reſpectum ad eandem inferunt, quatenus ad ſummum, cui præeſt, reipublicæ commodum atque ſalutem exercenda ſunt (h).

§. V.

præterea in populum recipit *nouam poteſtatem*, quæ nunquam in *ſtatu naturali* locum habuit, & ex qua plura *noua iura* ſunt orta.

(g) Exinde iudicatur *ſummitas poteſtatis*, vt ego exiſtimo, quod nemini princeps ſubiectus ſit, ſed quod ſimpliciter maneat in ſtatu naturali, & *iura libertatis* retineat; h. e. vt Romani de Samnitibus aſſerunt, quod *liberum belli pacisque arbitrium habeant*, Liuius *l. VIII. c.* 2. Cum autem eadem exerceantur inter *æquales*, facile apparet, hæc inter eos tantum exerceri, qui adhuc ſunt in *ſtatu æquali*, neutiquam vero reſpectum inferre ad *ſubditos*, ſed ad alias *liberas gentes*. Patet hinc, quanta adſit vtilitas in pernoſcendo ſtatu naturali, & eius iuribus, quippe qui per introductas ciuitates non in totum deſinit, ſed tantum inter paucos concluditur, vt ſinguli non amplius in illo viuant, ſed vnus vel plures. Hic itaque vnus, qui manſit in ſtatu naturali, inſtar omnium eſt, ita nomine omnium agit, & totum corpus repræſentat.

(h) Hoc fluit ex natura rei: ſicuti enim quilibet paterfamilias iura libertatis in ſtatu naturali ad *vtilitatem fa-*

§. V. Ius ſvmmi imperii reſpectum habet ad ſubditos & populum, qui ſe imperanti ſubiecit, & comprehendit in ſe omnem poteſtatem (i) vel per *imperium* vel alias *ordinationes* omnia

miliæ dirigit, ita princeps quoque in exercendis iuribus libertatis non poteſt ſeparare finem reipublicæ propoſitum ab hoc exercitio: illius enim demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, (vt ait Seneca *l.* 1. *de clement. c.* 3.) *quam omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur.* Hoc intuitu forſan hæc iura inter *maieſtatica* vulgo referri ſolent, vtut rectius ab eisdem ſeparentur. Non enim includuntur territorio *imperantis*, vti quidem iura maieſtatica ſtricte dicta, ſed extra illud exercentur: ad minimum cauendum eſt, ne *diuerſi reſpectus* confundantur, quatenus exercentur intuitu alterius *gentis liberæ* & intuitu *reipublicæ*. Neque enim aliter ſalus reipublicæ poteſt obtineri, niſi iura libertatis exerceantur ad publicum bonum. Cogitare quippe debet imperans, *non rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe reipublicæ*, vt ait Seneca *lib. I. de clement. c.* 19. Ex hoc duplici reſpectu imperans duplicem quodammodo perſonam ſuſtinet: vel enim conſideratur vt *imperans* reſpectu *ſubditorum*: vel vt *conſtitutus in ſtatu naturali* intuitu *gentium liberarum*, quæ duplex conſideratio diuerſum quoque iudicium de exercendis iuribus ſuggerit.

(i) Hoc ius eſt illud ipſum, quod ſtricte *maieſtaticum* dicitur, & ſoli imperanti competit, adeoque hoc ſenſu eſt *ius dirigendi actiones ciuium ad ſalutem reipublicæ ſeu pacem & tranquillitatem.* Et cum ſub eo plura iura complectantur, hoc ſenſu *totum poteſtati-*

omnia illa agendi, quæ ad finem reipublicæ præfixum ſpectant. (k)

§. VI.

ſtatiuum dicitur, quod ſe in varias ſcindit partes, cuius quædam ſunt *neceſſariæ*, ſine quibus iuribus non poteſt ſubſiſtere regimen: quædam *arbitrariæ*, quæ imperans non quidem neceſſario ſibi vindicare debet, ſed tamen poteſt, & poſtquam eadem ſibi *ſoli* vindicauit, *cum excluſione ſubditorum*, huc quoque ſpectant.

(k) Cum ſalus reipubl. variis remediis indigeat, hinc inſignis iurium cumulus naſcitur, ad quæ exercenda *neceſſitas finis* imperanti *ius ſupremum & perfectisſimum* tribuit, vti ex ſeqq. apparebit. Hoc poſito facile iudicari poteſt de *hypotheſi* Autoris *du Gouvernement ciuil. cap. VII.* §. 14. *&* 15. aſſerentis, reges & imperantes potisſimum *belli cauſa*, vt eſſent *belli duces*, fuiſſe inſtitutos, adeoque *in bello ſummam* & *abſolutam* obtinuiſſe antiquitus poteſtatem, *in pace* vero admodum *moderatam* & fere *precariam*, vt fere olim apud Germanos reges maiorem in bello, quam pace poteſtatem habuiſſe leguntur. Illuſtrat hanc ſuam ſententiam exemplo *reipubl. iudaicæ*, contenditque, *in populo iudaico primarium iudicum & regum officium conſtitiſſe in obeundo munere belli ducis.* *Cela*, ait, *poroit clairement non ſeulement par cette expreſſion ſi frequente de l' ecriture*: ſortir & reuenir deuant le peuple *ce qui e-ſtoit, ſe mettre en marche pour la guerre & reuenir enſuite a la teſte des Troupes, mais auſſi particulierement par l' hiſtoire de Iephté. Les Ammonites faiſant la guerre à Iſrael, les Galaadites, ſaiſis, de Crainte envoyerent, des députez a Iephté, qu' ils auoient chaſſé comme un baſtard de leur familie & convinrent auec luy, qu' il ſeroit leur Gouverneur, a condition*

§. VI. Ex hoc principio nunc fluunt ſequentia:

dition, qu' il les ſecourit contre les Ammonites. Le peuple l' etabliſt ſur ſoy pour chef & pour capitaine ce qui eſtoit, comme il ſemble la meſme choſe, que Iuge & Iephte iugea Iſrael c' eſt a dire, fuſt ſon general ſix ans. Declarat hoc in ſequentibus aliis exemplis, vtpote Gideonis, de quo dixit Iothan ad Sichemitas *Iud. IX*, 17. *Pater meus pugnauit pro vobis & animam ſuam periculis obiecit, vt liberaret vos a manibus Midianitarum*, ex quo concludit, quod Gideon ex *more conſueto* tantum dux belli fuerit. Addit, Abimelechum *Regem* dictum fuiſſe, vtut tantum ducis belli munus obiiſſet, quin quod dum regem a Deo expetiiſſent, non alium deſideraſſe, quam qui eos iudicaret, & bella eorum gereret, ſicuti etiam a Deo *dux belli* conſtitutus fuiſſe legatur 1. *Reg. IX*, 16. *X*, 1. &c. Aſt vero valde incongruum videtur, a ſpecialisſimo reipubl. iudaicæ ſtatu argumenta ad omnem rempubl. iuraque ſuprema deducere velle. Fuit reſpubl. Theocratica. Deus ipſe ſupremum exercebat imperium, & inde iudices & principes in *delegatorum* & *miniſtrorum* ſortem ſunt coniiciendi, quemadmodum Theodoretus in 1. *Sam. XIV.* ait: *Dominus Deus & Dei & regis implebat munus. Propheta vero* (Samuel) *erat adminiſter & veluti quidam præfectus aut magiſter militum aut tribunus.* Moſes, Ioſua & omnes iudices nihil agere poterant ſine Dei iudicio, &c. vid. Io. Spencer. *de LL. Hebr. rit. lib.* 1. *c.* 1. Deinde conſtat, officium eorum, qui reip. iudaicæ præfuerunt, in iudicando & bellum gerendo conſtitui, ad quas duas claſſes fere omnia ſumma iura imperii referri poſſunt: vt adeoque doctisſimo Autori hæc hypotheſis nihil proſit, ad *iurium ſupremorum* cumulum diminuendum.

(1) cum

tia: (1.) Iura illa imperii tantum exercentur intra limites regni ſeu territorii, (l) vltra limites vero effectum tantum habent ex beneplacito alterius gentis, ſecus ac in iuribus libertatis.

§. VII.

(l) Cum hodie ciuitates ſint certis incluſæ territoriis, & poteſtas imperandi neceſſarium reſpectum inferat ad ſubditos, intra territorium viuentes, fluit quoque hoc ex indole *ſummi imperii*, quod ſe contineat intra territorii limites, nec ultra progrediatur, adeoque etiam effectus ex iuris neceſſitate ſe ulterius non extendat. Sic res iudicata & deciſa habet effectum in territorio iudicantis, ſed vtrum in alterius imperantis territorio eundem effectum habere debeat, id non dependet ex *iuris neceſſitate*, ſed *libera voluntate*, niſi forſan territoria plura *fœdere ſyſtematico* inter ſe cohæreant, quo caſu ex *nexu ſyſtematico peculiari* vltra territorium effectus ſeſe exſerere poſſunt, de quo poſt. Hinc quod principibus noſtris attribuant *ſuperioritatem*, cum addito, *territorialem*, id non minuit eorum poteſtatem, ſed ex ſuperabundanti oſtendit, quod poteſtatem ſuam exerceant intra fines territorii. Cum tamen hæc principum territoria nexu quodam ſyſtematico cohæreant, vi cuius nexus merito effectus eorum, quæ intra territorium geruntur, aliquam efficaciam habere deberent in aliis territoriis, ſecus ac publici iuris Doctores communiter aſſerunt, veluti quod v. c. legitimatio principum, & ſi veniam dederint ætatis, non valeat vlterius, quam intra fines territorii, quaſi hæc poteſtas incluſa ſit territorio, quales concluſiones ex minus recte perpenſo ſtatu imperii noſtri fluunt, quia ita territoria conſiderantur, ac ſi nullum inuicem inter ſe reſpectum amplius haberent. Aliud in imperatore

§. VII. Ex accidenti quoque euenire poteſt, vt effectus iuris imperandi ſe vlterius extendat, puta, per ſpecialia pacta cum vicinis gentibus inita, (m) quæ tunc ad admittendum hunc effectum obligantur *iure pacti*, ſaluo de cetero illi genti imperio ſummo & libertate (n)

§. VIII.

re eſt reſpectu aliarum rerum publicarum extra imperium, cuius poteſtas extra imperium ſe non extendit. Quod itaque aliquando alii imperantes effectum iuris quoque admittant in ſuis territoriis, id vel *ex mutuis pactis*, vel *ex ſtatu peculiari*, vel *ex meris regulis humanitatis* dependet, vt eo rectius mutua harmonia inter gentes ſtabiliatur, cum alias *iure retorſionis*, effectus iuris aliorum ſubditorum quoque in ſuis denegent territoriis.

(m) Illuſtrat hoc plenius variis exemplis ill. Dn. Strykius *vol. 2. diſſ. de iure princ. extra territor.*

(n) Nullo modo diminuitur ſuprema poteſtas, cum tale pactum nullam inducat dependentiam, quod fieret, ſi *iure imperii* hæc alter exerceret. Aliquando vel *tacitum pactum* ſufficit, longisſima alterius imperantis patientia & taciturnitate firmatum, ſeu præſcriptione immemorialis temporis, qualis inter gentes vtique obtinere poteſt, vti ſolide contra Gallos demonſtrauit Dn. Werlhoff *in diſſ. de præſcript. liberarum gentium.* Sic relegatio ex pacto mutuo poteſt aliquando quoque effectum habere in alterius territorio, imo ipſa iurisdictio ex conventione poteſt aliquando exerceri in non ſubditos ex ſpeciali ratione, vti olim ex Pomerânia & Polonia appellationes ad iudicia Lubecenſia & Magdeburgenſia fiebant. Pertinet huc ius Wildfangiatus, quod elector Palatinus non tantum in propriis, ſed etiam in proxime adiacentibus exercet provin-

§. VIII. Præterea in nexu ſyſtematico *expreſſo* hoc itidem contingere poteſt, ſi foedere hoc comprehenſum eſt, vel etiam in *occulto* nexu, (o) quoniam plura ibi adhuc veſtigia ex priſtino Reipublicæ Monarchicæ iure ſuperſunt.

§. IX. (II) Iura hæc quatenus ad exercendum ſummum imperium neceſſario faciunt, non poſſunt, ſalua ſupremi imperantis poteſtate, ei denegari, aut quædam extra territorium *priuatiue* (p) alteri concedi, vt tamen maneat liberum imperium.

§. X.

vinciis: quod multa in ſe capita continet ſtrictim exhibita in *Dn. Strykii diſp. cit. c. 1. in f.*

(o) De *expreſſo* nexu hoc nullum dubium. In *occulto* id inde euenit, quod antea plures prouinciæ ſub eodem imperante fuerint, qui lege publica *effectus imperii* vnius prouinciæ extendere potuit ad aliam, vel Præſidi perpetuo huius prouinciæ ius concedere in proxime adiacentem, quod poſtea haud mutari ſolet, licet occulte prouinciæ ſint ſui iuris factæ, & autonomiam acceperint, qualia exempla paſſim in noſtro imperio deprehenduntur, & adhuc hodie ſuperſunt, v. c. quod quibusdam principibus competat conductus in territorio alterius, cuius intuitu adhuc exigere poſſit certum vectigal & alia iura ſimilia, quæ ex antiquo ſtatu reipublicæ adhuc dependent, ſed ſuperioritatem neutiquam tollunt.

(p) Aut enim quædam alius in tali territorio exercet, *iure imperii*, quo caſu princeps illius territorii ſupremam *in omnibus* & *plene* habere poteſtatem dici nequit. Aut vero *iure pacti*, & ſic quidem libertas in ceteris ſalua eſt, ſed ius imperandi valde reſtringitur, vt ſumma poteſtas exerceri perfecte non poſſit. Aut vero

§. X. (III) Imperans ex *iure imperii* poteſt reſtringere libertatem ſubditorum, adeoque quousque eandem non reſtrinxit, manet illa ſubditis ſalua, (q) quatenus eandem ſubditis ademit, ſibique ſoli vindicauit, eatenus iura imperan-

vero coniunctim cum aliis *iura libertatis & imperii* exercet, & ſic itidem quidem libertas ſeu independentia ſalua manet, ſed iura imperii, aliquando etiam libertatis agendi cum gentibus exteris, reſtricta ſunt, vt quamuis iura omnia ſalva habeat, exercitio tamen libero deſtituatur. Prioris exemplum eſt in regnis ſub iugo papali ſitis, quibus potiſſima ſummi imperii portio, *ius circa ſacra*, denegatur, imo ipſi imperantes eatenus imperio Pontificis ſat rigido ſubſunt, & ab eo dependent, & *obedientiæ eccleſiæ debitæ* prætextu *ſubiectio durissima* abſconditur. Id quidem olim tot Cæſares & reges experti ſunt, quos fulmen brutum pontificis tetigit. Quamdiu tale iugum agnoſcunt, vix eſt, vt *plene* imperium & libertatem iis adiudicare poſſim. Secundi exempla paſſim occurrunt in iis prouinciis, vbi *vogteiæ antiquæ* obtinent, vi cuius iurisdictio quædam in ſubditos alterius territorii exercetur, quæ tamen potiſſima portio ſummi imperii in republica eſt. Vltimi exemplum eſt in noſtro imperio, vbi imperator omnia iura *libertatis* & *imperii* habet, ſed pauca *priuatiue*; cum pleraque cum conſenſu vel electorum, vel omnium ſtatuum exercenda ſint, ex quo ſtatu non quidem aliqua imperatoris *dependentia* inducitur, hoc tamen ſequitur, vt imperium ei *abſolutum* tribuere non poſſimus, quod valde *limitatum* & *reſtrictum* eſt.

(q) Quando ſubditi in ciuitatem coeunt, non omnem libertatem agendi amittunt, ſed omnia retinent, quæ illis in ſpecie non prohibentur. Experientia docet, remit-

rantis augentur, (r) & ad claſſem iurium ſummorum referri debent, quæ antea ad libertatem ſingulorum pertinebant.

§. XI.

remiſſius imperanti melius pareri, vt ait Seneca *lib. I. de clement. c.* 24. quod potiſſimum tunc fit, ſi libertate innoxia ſubditi fruuntur. Interim principem libertatem eisdem quoad certos actus & negotia poſſe adimere, vel inde conſtat, quod ſemel principi ſe ſubiecerint, & ſic arbitrio circa actiones & iuribus inde dependentibus renunciauerint, quousque imperans proficuum reipubl. iudicauerit, libertatem ſubditorum reſtringere.

(r) Inde vera cauſa tot *ſingularium regalium* petenda, & quod in aliquo territorio aliquid ad *ius ſummum principis* referatur, quod in aliis ſingulis permiſſum eſt. Quoties enim princeps libertatem agendi in quibusdam negotiis ſubditis adimit, eandem in illa cauſa ſolus retinet, ſolus exercet, & de illa facultate diſponit, & ſic ad *ius ſummi imperii* refertur. Sic in Saxonia *ius molendini exſtruendi*, non eſt ius imperanti proprium, ſed in libertate ſingulorum adhuc poſitum: aſt in plerisque aliis prouinciis hæc ſingulis ademta, & eo ipſo imperanti propria facta. Idem iudicium ferendum de aliis iuribus, vt venandi, acquirendi res nullius, inſulas, vtilitates fluminum percipiendi, & quæ huc ſpectant. Neque enim ſubditis ius contra principem, ſicuti contra conciues, quæſitum eſt, ſed *libertatem* tantum *naturalem* exercent, quousque a principe ex ſuprema poteſtate hæc non adimatur. Facile tamen largior, poſſe imperantem *expreſſo pacto* ſe ſubditis obſtringere, quod in quibusdam rebus libertatem eorum reſtringere nolit, veluti in iure venandi, aliarumque vtilitatum prouinciæ, quo caſu ius

reſtrin-

§ XI. (IV) Debetur imperanti vi ſummæ poteſtatis *veneratio* & *ſanctitas* quædam (s) ſingu-

reſtringendi libertatem ſubditorum pacto proprio a ſe abdicauit. Hoc tamen non ſtatim exinde colligendum eſt, quod forſan imperans per longum tractum temporis libertatem in hac vel illa re non reſtrinxerit, ſed ſubditis promiſcuum uſum reliquerit, veluti dum hactenus ſubditi promiſcue molendina exſtruxerint &c. nam *deficiente pacto* ius hoc imperanti ſaluum manet, quamdiu ſupremam poteſtatem retinet.

(s) *Sanctitas* inuiolabilitatem ſingularem, *veneratio* auctoritatem ſupremam eidem conciliat. Vtrumque oritur ex *poteſtate ſuprema imperandi*, quæ hoc intuitu *maieſtatis* nomine venit. *Veneratio* ipſa eſt iuris naturalis; ſed *modus* venerationem exhibendi cuique reipubl. proprius, quia arbitrarius. Notæ ſunt *adorationes* regem antiquæ, quæ nec hodie vbique ceſſant: notæ ſunt *conſecrationes* & alia ſigna venerationis externa. Artabanus Perſa hæc ad Themiſtoclem: *apud nos cum multæ & pulchræ leges ſint, ex omnibus præſtantiſſima eſt, quæ honorare regem adorareque eum, tanquam Dei omnia conſeruantis effigiem, iubet.* Plutarch. *inquit. Themiſt. c.* 46. Vtut vero ſanctitas primario *perſonæ* imperantis debeatur, nec illa *ex forma & decore corporis, ex quo imperatores comparare mos vulgi eſt*, iudice Tacito *lib. I. Hiſt.* æſtimari debeat; *ſecundario* tamen recte etiam *loco*, vbi imperans reſidet, tribuitur, vt hic quoque omnis violationis expers eſſe debeat. Et hoc intuitu *reſidentiis imperantium* quædam tribuitur ſanctitas apud omnes gentes, vi cuius omnis vis ibi cuicunque illata grauiſſime coercetur, cum non poſſit non lædi reuerentia imperanti debita, ſi ne quidem reſidentiæ eius ab omni violentia tutæ ſint. vid. diſſert. Dn. Ioh. Sam. Stryck, *de ſanctitate reſidentiarum.*

(t) Cum

ſingularis, ſed intra fines territorii, non extra territorium. (t)

§. XII. Quam ſanctitatem Principes extra territorium intra fines alterius imperantis obtinent, etiam reſpectu non ſubditorum; illa dependet *ex voluntate* & *humanitatis officiis* (u) eius,

(t) Cum hæc ſanctitas ex *poteſtate ſumma* fluat, intra limites cuiusuis territorii ſe continet. Nam ſi princeps alterius territorium ingreditur, omnis eius poteſtas quieſcit, & ſic iura inde dependentia, adeoque de iure nullam poteſtatem regiam, ne quidem in ſuos exercere poteſt, niſi ex conceſſione tacita vel expreſſa eius imperantis, in cuius territorio princeps extraneus moratur. Vtut vero hæc *veneratio* imperantibus optimo iure debita, mox tamen, vt alia omnia in abuſum mutari cœpit, accedente apud gentiles *Apotheoſi*, cuius exempla varia in Romana hiſtoria occurrunt, vid. Dio *lib. 56. & 74.* Herodian. *lib. 4. c. 3.* Imperatoribus diuini honores decernebantur ex SCto Spart: *in vita Adriani §. 6.* quin & nomina mutabantur. Hinc tot Deorum numerus.

(u) Idem quoque dicendum de aliis prærogatiuis & externæ dignitatis ſignis, ad quæ præſtanda exhibendaque nemo extra principatum cogi iure poteſt, quia hæc dignitas dependet a ſumma poteſtate, adeoque intra fines reipublicæ concluditur, nec alios, qui in ſtatu libertatis & æqualitatis cum altero viuunt, obligat. Pertinent huiusmodi *ritus reuerentiales* ad regulas *decori*, quæ quidem *obligationem* quandoque *internam* inter æquales producunt, ſed non externam, præſertim cum omnes quoad dignitatem pro æqualibus in ſtatu naturali habeantur. Mutuis tamen fœderibus & pactis id comprehendi ſolet, vt comiter maieſtas alterius Principis apud alteram conſeruetur, quod &

ius, qui imperio ibi præeſt, & communiter ideo eius ratio alibi haberi ſolet, vt communis harmonia inter gentes eo firmiori gaudeat nexu.

§. XIII. (V.) Poteſtas hæc, quia ſumma eſt, debet eſſe *independens* (x) & exerceri *iure proprio*.

§. XIV.

Proculus *in l. non dubito 7. ff. de captiu.* fatetur. Certe extra hæc pacta non poſſet imperans conqueri de iniuria, ſi ei in alterius regno prærogatiua honoris non præſtetur, quia inter æquales honor externus, quem quis ſibi tribui vult, dependet ex regulis *humanitatis*, non vero *iuſti*.

(z) Si eſſet *dependens* ab alio, non eſſet *ſumma*, nec *abſoluta*; ſed eius iure exerceretur, a quo dependet, & ille demum ſupremam poteſtatem haberet, hic vero nudus eſſet *officialis* vel *miniſter*; imo ſubditus ſummi imperantis. Hinc, monente Grotio *l. 1. c. 3. §. 10.* ſedulo cauendum, ne decipiamur rerum externarum ſpecie aut ſchemate. Plures *regis* aut *ducis* titulum gerunt, & nihil minus quam reges in effectu ſunt, pront conſtat de regibus antiquorum Germanorum, quod magis *ſuadendi quam iubendi autoritate* polluerint. Tales quoque erant reges Græciæ. Nam Lacædemonii conſtituebant ſibi *Ephoros*, hi vero *reges*, ſed ita, ut fere hi ab iis dependerent, ceu indicium præbet rex Ageſilaus, qui medio in curſu victoriarum ſuarum domum vocabatur. Plutarch. *in Apophthegm. Lacon. p. 211. lit. b.* Plurimi certe olim reges fuerunt ſub imperio Romano, quos independentes iure nemo dixerit, licet *titulum regium* geſſerint. Simile quid in duce Venetorum aliisue apparet. Sane non poſſunt non maxime iniurii eſſe in ſummam imperantium poteſtatem, qui eandem dependere a *pontifice* ſtatuunt, adeo, ut quidam non vereantur aſſerere, regium honorem neminem

§. XIV. Ex quo concludunt, tutoribus regiis hoc ſenſu ſummam non poſſe tribui poteſtatem, cum *proprio iure* haud exerceant iura imperii. Sed tamen nec *dependenter* ſummam tenet poteſtatem, adeoque *in effectu* ſummum imperium illis eo tempore, quo adminiſtrant, competit. [y]

§. XV.

minem ſibi ſumere poſſe, niſi ex eius conceſſione, quale quid nuper quoque auſus eſt Clemens XI. occaſione coronationis potentiſſimi Regis Boruſſiæ. Plura exempla huc pertinentia de *ambitioſis* præſulis Romani *prætenſionibus* adducit Dn. Ludwig *in tr. de auſpicio regio*, & Jo. Franciſcus Albanus *in Næniis Pontificiæ de iure reges appellandi*. Grauiter admodum hoc ipſum exprobrat Hadriano Carolus Calvus *in epiſt.* apud Hincmarum, ſcribens: *Reges Francorum ex regio genere nati, non Epiſcoporum vice-domini, ſed terræ domini hactenus fuimus computati. Et vt Leo & Romana Synodus ſcripſit: Reges & imperatores, quos terris diuina potentia præeſſe præcepit, ius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis iuxta diualia conſtituta permiſerunt, non autem Epiſcoporum villici exſtiterunt. Et ſanctus Auguſtinus dicit: per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones, non autem per epiſcopale imperium reges villici fiunt actoresq; Epiſcoporum: Chriſtus enim cenſum regi reddidit. Et Apoſtolus voluit ſeruiri regibus; voluit honorari, & non conculcari reges.*

(y) Eruditi varie de hac quæſtione diſputant. Huber. *lib. 1. Sect. VII. c. 8. §. 2.* rem ita definit: *Tutor regens aut protector, cum habeat facultatem iuris, cuius acta nemo infirmare queat, ſummam quoque poteſtatem habere dicendus eſt, ſed exercitio tantum, proprietate penes pupillum manente.* in quam ſententiam etiam inclinat H. Grotius *lib. 1. de Iure B. & P. c. 3. §. 11. n. 2. in f.* nec

adeo diſſentire videtur Dn. Hertius *de tutela regia ſect. 2. §. 10.* Contrariam ſententiam elegit Zieglerus *de iuribus Mai. lib. 1. c. 1. §. 42.* Negari nequit, pupillo regio *ius imperii ſummi* competere, ſed impeditur *exercitium* eius propter ætatem, in quo tamen potisſima imperii *virtus* imo *anima ipſa* conſiſtit. Hoc *plenisſime* transfertur in tutorem, non eo modo, vt in *nudos magiſtratus*, qui mere *dependenter* poteſtatem demandatam exercent, & adhuc ſummus imperans adeſt, a cuius nutu dependent, & cui quouis momento rationem reddere debent. Aſt in *tutore* conſtituto non eſt ſuperior, a quo tutor dependeat, non *populus*, qui ſummum imperium non habet, non *pupillus*, qui ipſe *exercitium* ſummi imperii non habet, & ſic tutoris ſui actus irritos reddere, aut infringere nequit, ſed omnia agit & adminiſtrat vt ipſe imperans. Quin proſtant exempla, tutoribus interim etiam cetera decoris regii ſigna tributa fuiſſe, vti oſtendit Dn. Hert. *cit. l.* Seruius Tullius *vt tutor filiorum regii ſanguinis & priuatum eorum patrimonium & rempublicam ſumma cura & diligentia curauit & cuſtodiuit.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV.* & ita tanquam rex omnia adminiſtrauit, quin hoc modo ipſe regnum poſt *proprio nomine* gubernauit. Neque huc argumentum a ſubditorum tutela trahi poteſt, quæ ſubiacet magiſtratus imperio, vi cuius omni momento tutores tales adſtringi poſſunt ad rationes reddendas. Sed in tutore regio deficit ſuperior, a quo tutor dependeat; deficit, cui ita rationes reddendæ, & qui eius adminiſtrationem posſit ſub examen reuocare. Neque obſtat, quod tutores non *ſuo* ſed *pupilli nomine* agant: hoc enim tantum oſtendit, quod non perpetuum obtineant imperium, nec *ordinario modo;* ſummitatem autem imperii, quæ potisſimum in *independentia* conſiſtit, eo ipſo, quo adminiſtrant, non tollit. Hoc tamen facillime largior, tutoribus non eo modo ſummum imperium competere, vti quidem ipſis imperantibus, qui *pro-*

prio

§. XV. Verum circa dependentiam quoque conſiderandum (1) an ſit *vere talis*, h. e. ita comparata, vt contra voluntatem ſuperioris nihil agi poſſit, ſed omnia eius arbitrio adhuc ſubiecta ſint; an vero apparens (z) quæ ſummitati non nocet.

§. XVI.

prio iure adminiſtrant, unde tantum dixi, *in effectu* ſummum interim imperium iis competere, cum tutela finita adhuc rationibus reddendis obſtricti ſint.

(z) Quemadmodum circa *adminiſtrationem externam* ſæpe decipimur, dum ab externo regimine incaute ad ipſam poteſtatem ſtatim concludimus: ita quoque circa *dependentiam* idem næuus contingere poteſt. In monarchia, quæ ſub ſe plures prouincias ſeparatas habet, certum eſt, illas eſſe dependentes, nec præſides ſingularum prouinciarum, licet hæreditarios, quos antiquitus Germania etiam nouit, habere ſummam poteſtatem, cum actus eorum adhuc a monarcha irriti poſſint reddi, imo tales præſides prouinciarum de geſtibus ſuis rationes imperanti ſupremo reddere debeant. Vbi vero *vinculum* illud *dependentiæ* laxatur, vbi ſinguli prouinciarum duces *ſuo iure* incipiunt adminiſtrare prouincias, paulatim emergit in eis ſummitas imperii, quæ tandem ad plenam progreditur ἀκμήν. Hinc *ſumma poteſtas* poſtmodum ſingulis ducibus tribuenda reſpectu ſuorum ſubditorum, licet *ſchema externum antiquæ dependentiæ* adhuc ſuperſit, id quod tamen ſummitati nihil detrahit, quippe quæ non ex externis rerum figuris æſtimanda, ſed ex eo, an duces, qui antea magis *iure alieno* ſummam poteſtatem exercuerunt, iam *iure ſuo* omnia ſumma iura imperii exerceant. Auguſtus vtut ſummam poteſtatem indubitanter tenebat, ſchemata externa priſtinæ reipubl. non aboleuit. Poſt huius mortem *Tiberius cuncta per conſu-*

§. V. Ivs svmmi imperii reſpectum habet ad ſubditos & populum, qui ſe imperanti ſubiecit, & comprehendit in ſe omnem poteſtatem (i) vel per *imperium* vel alias *ordinationes* omnia

miliæ dirigit, ita princeps quoque in exercendis iuribus libertatis non poteſt ſeparare finem reipublicæ propoſitum ab hoc exercitio: illius enim demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, (vt ait Seneca *l.* I. *de clement. c.* 3.) *quam omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur.* Hoc intuitu forſan hæc iura inter *maieſtatica* vulgo referri ſolent, vtut rectius ab eisdem ſeparentur. Non enim includuntur territorio *imperantis*, vti quidem iura maieſtatica ſtricte dicta, ſed extra illud exercentur: ad minimum cauendum eſt, ne *diuerſi reſpectus* confundantur, quatenus exercentur intuitu alterius *gentis liberæ* & intuitu *reipublicæ.* Neque enim aliter ſalus reipublicæ poteſt obtineri, niſi iura libertatis exerceantur ad publicum bonum. Cogitare quippe debet imperans, *non rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe reipublicæ*, vt ait Seneca *lib. I. de clement. c.* 19. Ex hoc duplici reſpectu imperans duplicem quodammodo perſonam ſuſtinet: vel enim conſideratur vt *imperans* reſpectu *ſubditorum*: vel vt *conſtitutus in ſtatu naturali* intuitu *gentium liberarum*, quæ duplex conſideratio diuerſum quoque iudicium de exercendis iuribus ſuggerit.

(i) Hoc ius eſt illud ipſum, quod ſtricte *maieſtaticum* dicitur, & ſoli imperanti competit, adeoque hoc ſenſu eſt *ius dirigendi actiones ciuium ad ſalutem reipublicæ ſeu pacem & tranquillitatem.* Et cum ſub eo plura iura complectantur, hoc ſenſu *totum poteſtati-*

omnia illa agendi, quæ ad finem reipublicæ præfixum ſpectant. (k)

§. VI.

ſtatiuum dicitur, quod ſe in varias ſcindit partes, cuius quædam ſunt *neceſſariæ*, ſine quibus iuribus non poteſt ſubſiſtere regimen: quædam *arbitrariæ*, quæ imperans non quidem neceſſario ſibi vindicare debet, ſed tamen poteſt, & poſtquam eadem ſibi *ſoli* vindicauit, *cum excluſione ſubditorum*, huc quoque ſpectant.

(k) Cum ſalus reipubl. variis remediis indigeat, hinc inſignis iurium cumulus naſcitur, ad quæ exercenda *neceſſitas finis* imperanti *ius ſupremum & perfectisſimum* tribuit, vti ex ſeqq. apparebit. Hoc poſito facile iudicari poteſt de *hypotheſi* Autoris *du Gouvernement ciuil. cap. VII.* §. 14. *&* 15. aſſerentis, reges & imperantes potisſimum *belli cauſa*, vt eſſent *belli duces*, fuiſſe inſtitutos, adeoque *in bello ſummam* & *abſolutam* obtinuiſſe antiquitus poteſtatem, *in pace* vero admodum *moderatam* & fere *precariam*, vt fere olim apud Germanos reges maiorem in bello, quam pace poteſtatem habuiſſe leguntur. Illuſtrat hanc ſuam ſententiam exemplo *reipubl. iudaicæ*, contenditque, *in populo iudaico primarium iudicum & regum officium conſtitiſſe in obeundo munere belli ducis. Cela*, ait, *poroit clairement non ſeulement par cette expreſſion ſi frequente de l' ecriture*: ſortir & reuenir deuant le peuple *ce qui eſtoit, ſe mettre en marche pour la guerre & reuenir enſuite a la teſte des Troupes, mais auſſi particulierement par l' hiſtoire de Iephté. Les Ammonites faiſſant la guerre à Iſrael, les Galaadites, ſaiſis, de Crainte envoyerent, des députez a Iephté, qu' ils auoient chaſſe comme un baſtard de leur familie & convinrent auec luy, qu' il ſeroit leur Gouverneur, a con-*

§. VI. Ex hoc principio nunc fluunt ſequentia:

dition, qu' il les ſecourit contre les Ammonites. Le peuple l' etabliſt ſur ſoy pour chef & pour capitaine ce qui eſtoit, comme il ſemble la meſme choſe, que Iuge & Iephte iugea Iſrael c' eſt a dire, fuſt ſon general ſix ans. Declarat hoc in ſequentibus aliis exemplis, vtpote Gideonis, de quo dixit Iothan ad Sichemitas *Iud. IX*, 17. *Pater meus pugnauit pro vobis & animam ſuam periculis obiecit, vt liberaret vos a manibus Midianitarum*, ex quo concludit, quod Gideon ex *more conſueto* tantum dux belli fuerit. Addit, Abimelechum *Regem* dictum fuiſſe, vtut tantum ducis belli munus obiiſſet, quin quod dum regem a Deo expetiiſſent, non alium deſideraſſe, quam qui eos iudicaret, & bella eorum gereret, ſicuti etiam a Deo *dux belli* conſtitutus fuiſſe legatur 1. *Reg. IX*, 16. *X*, 1. &c. Aſt vero valde incongruum videtur, a ſpecialisſimo reipubl. iudaicæ ſtatu argumenta ad omnem rempubl. iuraque ſuprema deducere velle. Fuit respubl. Theocratica. Deus ipſe ſupremum exercebat imperium, & inde iudices & principes in *delegatorum* & *miniſtrorum* ſortem ſunt coniiciendi, quemadmodum Theodoretus in 1. *Sam. XIV*. ait: *Dominus Deus & Dei & regis implebat munus. Propheta vero* (Samuel) *erat adminiſter & veluti quidam præfectus aut magiſter militum aut tribunus.* Moſes, Ioſua & omnes iudices nihil agere poterant ſine Dei iudicio, &c. vid. Io. Spencer. *de LL. Hebr. rit. lib.* 1. *c.* 1. Deinde conſtat, officium eorum, qui reip. iudaicæ præfuerunt, in iudicando & bellum gerendo conſtitui, ad quas duas claſſes fere omnia ſumma iura imperii referri poſſunt: vt adeoque doctisſimo Autori hæc hypotheſis nihil proſit, ad *iurium ſupremorum* cumulum diminuendum.

(I) cum

tia: (1.) Iura illa imperii tantum exercentur intra limites regni ſeu territorii, (l) vltra limites vero effectum tantum habent ex beneplacito alterius gentis, ſecus ac in iuribus libertatis.

§. VII.

(l) Cum hodie ciuitates ſint certis incluſæ territoriis, & poteſtas imperandi neceſſarium reſpectum inferat ad ſubditos, intra territorium viuentes, fluit quoque hoc ex indole *ſummi imperii*, quod ſe contineat intra territorii limites, nec ultra progrediatur, adeoque etiam effectus ex iuris neceſsitate ſe ulterius non extendat. Sic res iudicata & deciſa habet effectum in territorio iudicantis, ſed vtrum in alterius imperantis territorio eundem effectum habere debeat, id non dependet ex *iuris neceſſitate*, ſed *libera voluntate*, niſi forſan territoria plura *fœdere ſyſtematico* inter ſe cohæreant, quo caſu ex *nexu ſyſtematico peculiari* vltra territorium effectus ſeſe exſerere poſſunt, de quo poſt. Hinc quod principibus noſtris attribuant *ſuperioritatem*, cum addito, *territorialem*, id non minuit eorum poteſtatem, ſed ex ſuperabundanti oſtendit, quod poteſtatem ſuam exerceant intra fines territorii. Cum tamen hæc principum territoria nexu quodam ſyſtematico cohæreant, vi cuius nexus merito effectus eorum, quæ intra territorium geruntur, aliquam efficaciam habere deberent in aliis territoriis, ſecus ac publici iuris Doctores communiter aſſerunt, veluti quod v. c. legitimatio principum, & ſi veniam dederint ætatis, non valeat vlterius, quam intra fines territorii, quaſi hæc poteſtas incluſa ſit territorio, quales concluſiones ex minus recte perpenſo ſtatu imperii noſtri fluunt, quia ita territoria conſiderantur, ac ſi nullum inuicem inter ſe reſpectum amplius haberent. Aliud in imperatore

§. VII. Ex accidenti quoque euenire poteſt, vt effectus iuris imperandi ſe vlterius extendat, puta, per ſpecialia pacta cum vicinis gentibus inita, (m) quæ tunc ad admittendum hunc effectum obligantur *iure pacti*, ſaluo de cetero illi genti imperio ſummo & libertate (n)

§. VIII.

re eſt reſpectu aliarum rerum publicarum extra imperium, cuius poteſtas extra imperium ſe non extendit. Quod itaque aliquando alii imperantes effectum iuris quoque admittant in ſuis territoriis, id vel *ex mutuis pactis*, vel *ex ſtatu peculiari*, vel *ex meris regulis humanitatis* dependet, vt eo rectius mutua harmonia inter gentes ſtabiliatur, cum alias *iure retorſionis*, effectus iuris aliorum ſubditorum quoque in ſuis denegent territoriis.

(m) Illuſtrat hoc plenius variis exemplis ill. Dn. Strykius *vol. 2. diſſ. de iure princ. extra territor.*

(n) Nullo modo diminuitur ſuprema poteſtas, cum tale pactum nullam inducat dependentiam, quod fieret, ſi *iure imperii* hæc alter exerceret. Aliquando vel *tacitum pactum* ſufficit, longiſſima alterius imperantis patientia & taciturnitate firmatum, ſeu præſcriptione immemorialis temporis, qualis inter gentes vtique obtinere poteſt, vti ſolide contra Gallos demonſtrauit Dn. Werlhoff *in diſſ. de præſcript. liberarum gentium*. Sic relegatio ex pacto mutuo poteſt aliquando quoque effectum habere in alterius territorio, imo ipſa iuriſdictio ex conventione poteſt aliquando exerceri in non ſubditos ex ſpeciali ratione, vti olim ex Pomerania & Polonia appellationes ad iudicia Lubecenſia & Magdeburgenſia fiebant. Pertinet huc ius Wildfangiatus, quod elector Palatinus non tantum in propriis, ſed etiam in proxime adiacentibus exercet provin-

§. VIII. Præterea in nexu ſyſtematico *expreſſo* hoc itidem contingere poteſt, ſi foedere hoc comprehenſum eſt, vel etiam in *occulto* nexu, (o) quoniam plura ibi adhuc veſtigia ex priſtino Reipublicæ Monarchicæ iure ſuperſunt.

§. IX. (II) Iura hæc quatenus ad exercendum ſummum imperium neceſſario faciunt, non poſſunt, ſalua ſupremi imperantis poteſtate, ei denegari, aut quædam extra territorium *priuatiue* (p) alteri concedi, vt tamen maneat liberum imperium.

§. X.

vinciis: quod multa in ſe capita continet ſtrictim exhibita in *Dn. Strykii diſp. cit. c. 1. in f.*

(o) De *expreſſo* nexu hoc nullum dubium. In *occulto* id inde euenit, quod antea plures prouinciæ ſub eodem imperante fuerint, qui lege publica *effectus imperii* vnius prouinciæ extendere potuit ad aliam, vel Præſidi perpetuo huius prouinciæ ius concedere in proxime adiacentem, quod poſtea haud mutari ſolet, licet occulte prouinciæ ſint ſui iuris factæ, & autonomiam acceperint, qualia exempla paſſim in noſtro imperio deprehenduntur, & adhuc hodie ſuperſunt, v. c. quod quibusdam principibus competat conductus in territorio alterius, cuius intuitu adhuc exigere poſſit certum vectigal & alia iura ſimilia, quæ ex antiquo ſtatu reipublicæ adhuc dependent, ſed ſuperioritatem neutiquam tollunt.

(p) Aut enim quædam alius in tali territorio exercet, *iure imperii*, quo caſu princeps illius territorii ſupremam *in omnibus* & *plene* habere poteſtatem dici nequit. Aut vero *iure pacti*, & ſic quidem libertas in ceteris ſalua eſt, ſed ius imperandi valde reſtringitur, vt ſumma poteſtas exerceri perfecte non poſſit. Aut

vero

rantis augentur, (r) & ad claſſem iurium ſummorum referri debent, quæ antea ad libertatem ſingulorum pertinebant.

§. XI.

remiſſius imperanti melius pareri, vt ait Seneca *lib. I. de clement. c.* 24. quod potiſſimum tunc fit, ſi libertate innoxia ſubditi fruuntur. Interim principem libertatem eisdem quoad certos actus & negotia poſſe adimere, vel inde conſtat, quod ſemel principi ſe ſubiecerint, & ſic arbitrio circa actiones & iuribus inde dependentibus renunciauerint, quousque imperans proficuum reipubl. iudicauerit, libertatem ſubditorum reſtringere.

(r) Inde vera cauſa tot *ſingularium regalium* petenda, & quod in aliquo territorio aliquid ad *ius ſummum principis* referatur, quod in aliis ſingulis permiſſum eſt. Quoties enim princeps libertatem agendi in quibusdam negotiis ſubditis adimit, eandem in illa cauſa ſolus retinet, ſolus exercet, & de illa facultate diſponit, & ſic ad *ius ſummi imperii* refertur. Sic in Saxonia *ius molendini exſtruendi*, non eſt ius imperanti proprium, ſed in libertate ſingulorum adhuc poſitum: aſt in plerisque aliis prouinciis hæc ſingulis ademta, & eo ipſo imperanti propria facta. Idem iudicium ferendum de aliis iuribus, vt venandi, acquirendi res nullius, inſulas, vtilitates fluminum percipiendi, & quæ huc ſpectant. Neque enim ſubditis ius contra principem, ſicuti contra conciues, quæſitum eſt, ſed *libertatem* tantum *naturalem* exercent, quousque a principe ex ſuprema poteſtate hæc non adimatur. Facile tamen largior, poſſe imperantem *expreſſo pacto* ſe ſubditis obſtringere, quod in quibusdam rebus libertatem eorum reſtringere nolit, veluti in iure venandi, aliarumque vtilitatum prouinciæ, quo caſu ius reſtrin-

§ XI. (IV) Debetur imperanti vi ſummæ poteſtatis *veneratio* & *ſanctitas* quædam (s) ſingu-

reſtringendi libertatem ſubditorum pacto proprio a ſe abdicauit. Hoc tamen non ſtatim exinde colligendum eſt, quod forſan imperans per longum tractum temporis libertatem in hac vel illa re non reſtrinxerit, ſed ſubditis promiſcuum uſum reliquerit, veluti dum hactenus ſubditi promiſcue molendina exſtruxerint &c. nam *deficiente pacto* ius hoc imperanti ſaluum manet, quamdiu ſupremam poteſtatem retinet.

(s) *Sanctitas* inuiolabilitatem ſingularem, *veneratio* auctoritatem ſupremam eidem conciliat. Vtrumque oritur ex *poteſtate ſuprema imperandi*, quæ hoc intuitu *maieſtatis* nomine venit. *Veneratio* ipſa eſt iuris naturalis; ſed *modus* venerationem exhibendi cuique reipubl. proprius, quia arbitrarius. Notæ ſunt *adorationes* regem antiquæ, quæ nec hodie vbique ceſſant: notæ ſunt *conſecrationes* & alia ſigna venerationis externa. Artabanus Perſa hæc ad Themiſtoclem: *apud nos cum multæ & pulchræ leges ſint, ex omnibus præſtantiſſima eſt, quæ honorare regem adorareque eum, tanquam Dei omnia conſeruantis effigiem, iubet.* Plutarch. *inquit. Themiſt. c.*46. Vtut vero ſanctitas primario *perſonæ* imperantis debeatur, nec illa *ex forma & decore corporis, ex quo imperatores comparare mos vulgi eſt*, iudice Tacito *lib. I. Hiſt.* æſtimari debeat; *ſecundario* tamen recte etiam *loco*, vbi imperans reſidet, tribuitur, vt hic quoque omnis violationis expers eſſe debeat. Et hoc intuitu *reſidentiis imperantium* quædam tribuitur ſanctitas apud omnes gentes, vi cuius omnis vis ibi cuicunque illata grauisſime coercetur, cum non posſit non lædi reuerentia imperanti debita, ſi ne quidem reſidentiæ eius ab omni violentia tutæ ſint. vid. diſſert. Dn. Ioh. Sam. Stryck, *de ſanctitate reſidentiarum.*

(t) Cum

ſingularis, ſed intra fines territorii, non extra territorium. (t)

§. XII. Quam ſanctitatem Principes extra territorium intra fines alterius imperantis obtinent, etiam reſpectu non ſubditorum; illa dependet *ex voluntate* & *humanitatis officiis* (u) eius,

(t) Cum hæc ſanctitas ex *poteſtate ſumma* fluat, intra limites cuiusuis territorii ſe continet. Nam ſi princeps alterius territorium ingreditur, omnis eius poteſtas quieſcit, & ſic iura inde dependentia, adeoque de iure nullam poteſtatem regiam, ne quidem in ſuos exercere poteſt, niſi ex conceſſione tacita vel expreſſa eius imperantis, in cuius territorio princeps extraneus moratur. Vtut vero hæc *veneratio* imperantibus optimo iure debita, mox tamen, vt alia omnia in abuſum mutari cœpit, accedente apud gentiles *Apotheoſi*, cuius exempla varia in Romana hiſtoria occurrunt, vid. Dio *lib. 56. & 74.* Herodian. *lib. 4. c. 3.* Imperatoribus diuini honores decernebantur ex SCto Spart: *in vita Adriani §. 6.* quin & nomina mutabantur. Hinc tot Deorum numerus.

(u) Idem quoque dicendum de aliis prærogatiuis & externæ dignitatis ſignis, ad quæ præſtanda exhibendaque nemo extra principatum cogi iure poteſt, quia hæc dignitas dependet a ſumma poteſtate, adeoque intra fines reipublicæ concluditur, nec alios, qui in ſtatu libertatis & æqualitatis cum altero viuunt, obligat. Pertinent huiusmodi *ritus reuerentiales* ad regulas *decori*, quæ quidem *obligationem* quandoque *internam* inter æquales producunt, ſed non externam, præſertim cum omnes quoad dignitatem pro æqualibus in ſtatu naturali habeantur. Mutuis tamen fœderibus & pactis id comprehendi ſolet, vt comiter maieſtas alterius Principis apud alteram conſeruetur, quod &

ius, qui imperio ibi præeſt, & communiter ideo eius ratio alibi haberi ſolet, vt communis harmonia inter gentes eo firmiori gaudeat nexu.

§. XIII. (V.) Poteſtas hæc, quia ſumma eſt, debet eſſe *independens* (x) & exerceri *iure proprio.* §. XIV.

Proculus *in l. non dubito 7. ff. de captiu.* fatetur. Certe extra hæc pacta non poſſet imperans conqueri de iniuria, ſi ei in alterius regno prærogatiua honoris non præſtetur, quia inter æquales honor externus, quem quis ſibi tribui vult, dependet ex regulis *humanitatis*, non vero *iuſti*.

(z) Si eſſet *dependens* ab alio, non eſſet *ſumma*, nec *abſoluta*; ſed eius iure exerceretur, a quo dependet, & ille demum ſupremam poteſtatem haberet, hic vero nudus eſſet *officialis* vel *miniſter*; imo ſubditus ſummi imperantis. Hinc, monente Grotio *l. 1. c. 3. §. 10.* ſedulo cauendum, ne decipiamur rerum externarum ſpecie aut ſchemate. Plures *regis* aut *ducis* titulum gerunt, & nihil minus quam reges in effectu ſunt, prout conſtat de regibus antiquorum Germanorum, quod magis *ſuadendi quam iubendi autoritate* polluerint. Tales quoque erant reges Græciæ. Nam Lacædemonii conſtituebant ſibi *Ephoros*, hi vero *reges*, ſed ita, ut fere hi ab iis dependerent, ceu indicium præbet rex Ageſilaus, qui medio in curſu victoriarum ſuarum domum vocabatur. Plutarch. *in Apophthegm. Lacon. p. 211. lit. b.* Plurimi certe olim reges fuerunt ſub imperio Romano, quos independentes iure nemo dixerit, licet *titulum regium* geſſerint. Simile quid in duce Venetorum aliisue apparet. Sane non poſſunt non maxime iniurii eſſe in ſummam imperantium poteſtatem, qui eandem dependere a *pontifice* ſtatuunt, adeo, ut quidam non vereantur aſſerere, regium honorem neminem

§. XIV. Ex quo concludunt, tutoribus regiis hoc ſenſu ſummam non poſſe tribui poteſtatem, cum *proprio iure* haud exerceant iura imperii. Sed tamen nec *dependenter* ſummam tenet poteſtatem, adeoque *in effectu* ſummum imperium illis eo tempore, quo adminiſtrant, competit. [y]

§. XV.

minem ſibi ſumere poſſe, niſi ex eius conceſſione, quale quid nuper quoque auſus eſt Clemens XI. occaſione coronationis potentisſimi Regis Borusſiæ. Plura exempla huc pertinentia de *ambitioſis* præſulis Romani *prætenſionibus* adducit Dn. Ludwig *in tr. de auſpicio regio*, & Jo. Franciſcus Albanus *in Næniis Pontificiæ de iure reges appellandi.* Grauiter admodum hoc ipſum exprobrat Hadriano Carolus Calvus *in epiſt.* apud Hincmarum, ſcribens: *Reges Francorum ex regio genere nati, non Epiſcoporum vice-domini, ſed terræ domini hactenus fuimus computati. Et vt Leo & Romana Synodus ſcripſit: Reges & imperatores, quos terris diuina potentia præeſſe præcepit, ius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis iuxta diualia conſtituta permiſerunt, non autem Epiſcoporum villici extiterunt. Et ſanctus Auguſtinus dicit: per iura Regum poſſidentur poſſesſiones, non autem per epiſcopale imperium reges villici fiunt actoresq; Epiſcoporum: Chriſtus enim cenſum regi reddidit. Et Apoſtolus voluit ſeruiri regibus; voluit honorari, & non conculcari reges.*

(y) Eruditi varie de hac quæſtione diſputant. Huber. *lib. I. Sect. VII. c. 8. §. 2.* rem ita definit: *Tutor regens aut protector, cum habeat facultatem iuris, cuius acta nemo infirmare queat, ſummam quoque poteſtatem habere dicendus eſt, ſed exercitio tantum, proprietate penes pupillum manente.* in quam ſententiam etiam inclinat H. Grotius *lib. I. de Iure B. & P. c. 3. §. 11. n. 2. in f.* nec

Q 2 adeo

adeo diſſentire videtur Dn. Hertius *de tutela regia ſect. 2. §. 10.* Contrariam ſententiam elegit Zieglerus *de iuribus Mai. lib. 1. c. 1. §. 42.* Negari nequit, pupillo regio *ius imperii ſummi* competere, ſed impeditur *exercitium* eius propter ætatem, in quo tamen potisſima imperii *virtus* imo *anima ipſa* conſiſtit. Hoc *pleniſſime* transfertur in tutorem, non eo modo, vt in *nudos magiſtratus*, qui mere *dependenter* poteſtatem demandatam exercent, & adhuc ſummus imperans adeſt, a cuius nutu dependent, & cui quouis momento rationem reddere debent. Aſt in *tutore* conſtituto non eſt ſuperior, a quo tutor dependeat, non *populus*, qui ſummum imperium non habet, non *pupillus*, qui ipſe *exercitium* ſummi imperii non habet, & ſic tutoris ſui actus irritos reddere, aut infringere nequit, ſed omnia agit & adminiſtrat vt ipſe imperans. Quin proſtant exempla, tutoribus interim etiam cetera decoris regii ſigna tributa fuiſſe, vti oſtendit Dn. Hert. *cit. l.* Seruius Tullius *vt tutor filiorum regii ſanguinis & priuatum eorum patrimonium & rempublicam ſumma cura & diligentia curauit & cuſtodiuit.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV.* & ita tanquam rex omnia adminiſtrauit, quin hoc modo ipſe regnum poſt *proprio nomine* gubernauit. Neque huc argumentum a ſubditorum tutela trahi poteſt, quæ ſubiacet magiſtratus imperio, vi cuius omni momento tutores tales adſtringi poſſunt ad rationes reddendas. Sed in tutore regio deficit ſuperior, a quo tutor dependeat: deficit, cui ita rationes reddendæ, & qui eius adminiſtrationem posſit ſub examen reuocare. Neque obſtat, quod tutores non *ſuo* ſed *pupilli nomine* agant: hoc enim tantum oſtendit, quod non perpetuum obtineant imperium, nec *ordinario modo;* ſummitatem autem imperii, quæ potisſimum in *independentia* conſiſtit, eo ipſo, quo adminiſtrant, non tollit. Hoc tamen facillime largior, tutoribus non eo modo ſummum imperium competere, vti quidem ipſis imperantibus, qui *pro-*

prio

§. XV. Verum circa dependentiam quoque conſiderandum (1) an ſit *vere talis*, h. e. ita comparata, vt contra voluntatem ſuperioris nihil agi poſſit, ſed omnia eius arbitrio adhuc ſubiecta ſint; an vero apparens (z) quæ ſummitati non nocet.

§. XVI.

prio iure adminiſtrant, unde tantum dixi, *in effectu* ſummum interim imperium iis competere, cum tutela finita adhuc rationibus reddendis obſtricti ſint.

(z) Quemadmodum circa *adminiſtrationem externam* ſæpe decipimur, dum ab externo regimine incaute ad ipſam poteſtatem ſtatim concludimus: ita quoque circa *dependentiam* idem næuus contingere poteſt. In monarchia, quæ ſub ſe plures prouincias ſeparatas habet, certum eſt, illas eſſe dependentes, nec præſides ſingularum prouinciarum, licet hæreditarios, quos antiquitus Germania etiam nouit, habere ſummam poteſtatem, cum actus eorum adhuc a monarcha irriti poſſint reddi, imo tales præſides prouinciarum de geſtibus ſuis rationes imperanti ſupremo reddere debeant. Vbi vero *vinculum* illud *dependentiæ* laxatur, vbi ſinguli prouinciarum duces *ſuo iure* incipiunt adminiſtrare prouincias, paulatim emergit in eis ſummitas imperii, quæ tandem ad plenam progreditur *ἀκμὴν*. Hinc *ſumma poteſtas* poſtmodum ſingulis ducibus tribuenda reſpectu ſuorum ſubditorum, licet *ſchema externum antiquæ dependentiæ* adhuc ſuperſit, id quod tamen ſummitati nihil detrahit, quippe quæ non ex externis rerum figuris æſtimanda, ſed ex eo, an duces, qui antea magis *iure alieno* ſummam poteſtatem exercuerunt, iam *iure ſuo* omnia ſumma iura imperii exerceant. Auguſtus vtut ſummam poteſtatem indubitanter tenebat, ſchemata externa priſtinæ reipubl. non aboleuit. Poſt huius mortem *Tiberius cuncta per conſu-*

§. XVI. Deinde (2) cauſa dependentiæ eruenda, an ex *ſimplici ſubiectione* (a) ortum trahat, an vero tantum ex *pacto inter æquales* (b) *inito*, quæ

conſules incipiebat, tanquam vetere republ. vt ait Tacitus *lib. 1. annal.* & *ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, niſi Tribuniciæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ.*

(a) *Dependentia*, quatenus ſummam tollit poteſtatem, primario in *ſubiectione* quærenda, licet de cetero quoad *externum ſchema* aliquam poteſtatem & honorem retineat. Nonnunquam victores erga deuictos hac vti ſolent modeſtia, vt *ſub lege ſubiectionis* antiquam regiminis formam non mutent, adeo, vt & *duces* & *reges* priſtinum recipiant honorem externum. Talis regiminis ratio in Germania olim fuit: quædam prouinciæ enim *immediate* fiſco regis adſcriptæ ſunt & *immediate* paruere ſub *comitibus* vel *præfectis*; quædam *mediate* regno paruere, ſcilicet vt populus ſub *ducibus* eſſet, duces vero ſub Franciæ regibus. Sic de Polonis, Bohemis aliisque ſcribit Æneas Sylvius *Hiſt. Boh. c. 13 Hungari, Bohemi, Ruſſani, Polonique Morauorum principi paruerunt, princeps ipſe Romano imperio.* Tartari Europæi poſt mortem Tamerlani anno 1404. Chanum ſibi elegerunt; ſed ab Amuratho III. Turcarum domitore anno 1584. fere ſubacti ſunt, quia eorum Chanum ex cauſis iuſtis imperio priuare poteſt, quemadmodum etiam ad fidelitatis iuramentum præſtandum obſtrictus eſt. Et hæc eſt *vera dependentia*, licet contingere poſſit, vt plus libertatis regi vel duci relinquatur, quale quid de *ducibus Bauariæ* & antiquis regibus imperio Romano ſubiectis legimus, quo ipſo fit, vt eorum ſit diuerſa ratio, ac quidem horum, qui vulgo proreges appellantur, in quibus *ſtrictior dependentia* occurrit, cum pro lubitu poſſint reuocari.

(b) Sic quando priuati compromittunt in arbitrium priuati

quæ tantum *obligationem perſonalem* in altero operetur. Illa tantum ſummitatem tollit, non vero hæc.

§. XVII. Proinde concludo, *nexum feudalem* ſummæ poteſtati non nocere, (c) ſi nulla comite-

vati, non ſtatim ſe ei ſubiiciunt, vt eius ſubditi fiant. Poteſt ipſe imperans ſe ſubditis obligare, veluti quod coram tribunali ſuo vel alio dicaſterio in cauſis, quibus ſubditi eum compellere volunt, ſtare velit, quale quid occurrit in Electore Saxoniæ, qui coram ſummo tribunali Lipſienſi conueniri poteſt, licet de cetero maneat ſuperior, nec eo ipſo ſubditis, quibus hoc promittit, ſe ſubiecerit. Sic etiam nihil obſtat, quo minus poſſit cauſam ſuam alterius imperantis deciſioni, ſalua maieſtate, ſubmittere, vti de Philippi Francorum Regis lite circa diſſolutionem matrimonii ratiocinatur Innocentius III. *in c. 13. X. qui filii ſint legitimi*, aiens: *Inſuper eam rex ipſe ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat; ſine iuris alterius læſione in eo ſe iurisdictioni noſtræ ſubiicere potuit & ſubiecit.* Quid ni itaque poſſet imperans promittere, & ſe obligare alteri imperanti, quod appellationem ſuorum ſubditorum ad eius ſumma tribunalia concedere velit, vt olim Poloni & Pomerani Magdeburgum & Lubecam appellationes ſuas dirigebant. Quis vero diceret, ex hoc *pacto ſimpliciti*, cum nulla ſubiectionis lege munito, dependentiam talem oriri, quæ ſummitati imperii noceret?

(c) Obſeruationem hanc iam ſuam fecit Grotius *lib. 1. cap. 3. §. 23.* Quemadmodum enim differunt *Vaſallus* & *ſubditus*, *homagium* & *iuramentum fidelitatis*: ita quoque dependentia ex *ſubiectione* ab hac *fide vaſallitica* differt. Subditus ſimpliciter obligatur ex *imperio* imperantis, cui ſe ſuamque voluntatem ſubiecit, & hic

mitetur alia ſubiectione, cum præſtatio fidelitatis vaſalliticæ (d) non procedat ex *cogente imperio Domini directi*, ſed *contractu feudali.*

§. XVIII. Imo ſummæ poteſtati nihil detrahitur,

iurat *den Gehorſam.* Vaſallus non aliter domino obligatur quam reſpectu feudi, neque imperio alterius ſe ſubmiſit, ſed mediante contractu feudali ſe obligauit. Contingere poteſt, vt potentisſimus princeps alteri minus potenti *iure feudi* obſtringatur, ceu conſtat de Rege Daniæ quædam feuda a ducibus Brunſuicenſibus tenente, & de electoribus, qui recognoſcunt per modum feudi ab Epiſcopo Bambergenſi *archiofficia.* Plura huc pertinentia exempla habet Bodin. *de republ. lib. 1. c. 9.*

(d) Abiudicat quidem ſummitatem regnis hiſce feudatariis Arniſæus *de iure maieſt. P. 1. c. 5. n. 20.* propterea, quod iurare debeant fidelitatem, quod ſe ſubiiciant iurisdictioni domini feudali, quod ob feloniam posſint priuari feudo &c. Verum confundit Arniſæus illum nexum feudalem, quem ſimul *ſubiectionis* vinculum comitatur, cum ſimplici feudali. Hoc certum eſt, vbi quis iure victoriæ ſub iugum redigitur, & ita iure feudi ſimul adſtringitur, utrumque concurrere nexum. Aſt quid dicemus de eo, qui ſimpliciter feudum obtulit alterius imperio, vti plurimi duces & principes Germaniæ? an propterea in claſſem ſubditorum reiiciendi? *Iurisdictio conuentionalis* non inducit ſuperioritatē & ſubiectionem. Quod vero *de priuatione feudi* adiicitur, id pro ſubſtrata materia eſt intelligendum, vt ſcilicet hæc non obtineat in regnis feudatariis, ſi deficiat vinculum ſubiectionis, neque enim nexus feudalitius vbique idem eſt, ſed nunc *laxior*, nunc *adſtrictior* pro qualitate & conditione vaſalli & domini.

(e) Ius

hitur, ſi vel maxime minus potens ſe potentioris clientelæ (e) ſubiicit, modo præter caſum defenſionis plenam retineat poteſtatem in ſubditos.

§. XIX. Neque aliud dicendum eſſe exiſtimo, ſi vel maxime pacto ſit comprehenſum, vt alter teneatur alterius maieſtatem comiter conſeruare, eique reuerentiam quandam exhibere. (f)

§. XX.

(e) Ius *clientelare* nullam inducere ſubiectionem, vel inde patet, quod pacto ſimplici conſtituatur, ſolumque caſum defenſionis, & quæ præterea in pacto clientelari ſunt promiſſa, reſpiciat, conf. Gail. *2. obſ. 54.* unde vulgatum: *Schirm-Gerechtigkeit giebt keine Obrigkeit.* Beſold. *voce: Schutz-und Schirms-Verwandte.* Neque exinde ſubiectio induci poteſt, quod quotannis aliquid pro iure clientelari ſeu defenſione præſtetur, ſicuti olim ciuitatem Erfurtenſem aliquid præſtitiſſe Beſold. *cit. loc.* refert. Sed rurſus diuerſa ſunt, utrum aliquid præſtetur vt tributum & in *ſignum ſubiectionis*, an vero tantummodo ex *præcedente ſimplici pacto*, quia etiam in ſtatu naturali potuere ante conditas ciuitates plures pactum hoc mutuæ defenſionis inire. Imperator Romanus dicitur *ſupremus aduocatus Eccleſiæ*, & tamen ſibi ipſi denegat imperiū in eccleſiam. Reuera in *nexu clientelari* ſübeſt *confœderationis inæqualis* ſpecies, quæ iure libertatis ſingulis gentibus conceſſa. In imperio noſtro exempla huc pertinentia ſunt frequentisſima, adeo vt etiam iis clientelare hereditarium detur, vid. Myler ab Ehrenb. *de Princip. & Stat. Imp. c. 18. §. 3. ſeqq.* Facile tamen degenerare poteſt tale ius in ſubiectionem, unde vulgatum dictum: *Schirm-Herren werden Sturm-Herren.*

(f) Illuſtratur hoc egregio effato Proculi *in l. 7. §. 1. de*

Q 5 *capt.*

§. XX. Idem dicendum erit, ſi imperans alteri quotannis certum ſtipendium ex *pacto ſimplici* (g) promiſerit, non vero hoc eidem *iure*

capt. & poſtl. reu. ibi: *ſine fœdere comprehenſum eſt, vt alter alterius maieſtatem comiter conſeruaret: hoc enim adiicitur, vt intelligatur, alterum eſſe ſuperiorem, non vt intelligatur, alterum non eſſe liberum.* Nam inter gentes quidem omnes ſunt æquales, ſed nihil vetat, quo minus per pactum quis alteri potentiori prærogatiuam dare poſſit, eique certam ſpeciem reuerentiæ promittere, vt tamen de cetero ab eius imperio non dependeat. Neque omnis *reuerentia* eſt effectus ſubiectionis, ſed ex variis aliis poteſt oriri cauſis, veluti quod alterius *auxilio* quis indigeat, quod *beneficiis* ab eo affectus ſit, quod *autoritate* magna polleat, multis *meritis* illuſtris ſit &c. quæ tamen cauſæ ſubiectionem non operantur, licet alteri venerationem concilient. Imo licet Proculus addat, quod ex ciuitatibus fœderatis ſubditi rei apud Romanos fiant, & animaduertatur in eos damnatos, illud tamen per ſe nullam ſubiectionem conſtituit, nam hoc itidem ex pacto eſt, & ſupra iam dictum, *iurisdictionem pactitiam*, quæ exercetur in alterius imperantis ſubditos, non inducere ſtatim ſubiectionem ſeu dependentiam ipſius imperantis. Conf. Grot. *L. 1. c. 3. §. 21.* Arniſ. *de iure Maieſt. c. 4.*

(g) Vidimus exempla in clientelari obligatione: Idem de nexu feudali dici poteſt, vbi aliquando loco ſeruitiorum aliqua ſtipendia præſtanda ſunt. Poteſt idem contingere ex aliis cauſis, v. c. vt pax ſub hac conditione fiat, & libertas alteri relinquatur, victor autem nulla alia lege pacem velit inire. De Commodo, Imperatore Romano refert Herodianus *lib. I. Hiſt. c. 6. in f.* quod multos barbaros magnis præmiis in amicitiam ſibi adiunxerit. *Quod quidem*, ait, *haud difficile factu fuit*,

fuit, quippe barbari ſuapte natura pecuniæ auidi, periculorum deſpicientes aut incurſibus populationibusque victum parant, aut, propoſita mercede, venalem pacem habent. Quod intelligens Commodus, vt pecunia, qua maxime abundabat, ſecuritatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat. Similiter Saracenis a Romanis ſoluta munera aut penſiones eſſe, conſtat ex Ammiani Marcellini *lib.XXV.c.20.* vbi ait: *Hos Saracenos ideo patiebamur infeſtos, quod ſalaria muneraque plurima a Iuliano ad ſimilitudinem præteriti temporis accipere vetiti, queſtique apud eum; ſolum audierant Imperatorem bellicoſum & vigilantem ferrum habere non aurum.* Hadrianus Imperator ſimiliter *a multis regibus pacem redemit*, vt inquit Spartian. *in Hadrian.* Olim Romani Philippo Macedonum regi has leges pacis dederunt: *Bellum extra Macedoniæ fines, ne iniuſſu ſenatus gereret, mille talentum daret populo Romano, dimidium præſens, dimidium penſionibus decem annorum,* Liuius *lib.XXXIII.16.* Similiter Scipio Africanus has conditiones pacis Carthaginenſibus dedit, *vt liberi legibus ſuis viuerent* &c. *præſtarent decem millia talentum argenti, deſcripta penſionibus, quas in annos quinquaginta ſoluerent,* Liu. *lib. XXX. c. 37.* Id ipſum vero haud ex imperii maieſtate fuiſſe, cenſet Plinius ſecundus panegyr. *c. 12.* aiens: *Accipimus obſides ergo, non emimus: nec ingentibus damnis immenſisque muneribus paciſcimur, vt vicerimus: rogant, ſupplicant; largimur, negamus, vtrumque ex imperii maieſtate.* Poteſt vero & ob alias cauſas penſio ab imperante alii populo ſolui, vti conſtat de rege Galliæ. Primus Ludouicus XI annua ſtipendia Heluetiæ ſoluit ex fœdere, quem poſtea ſucceſſores eius ſecuti ſunt. Beſold. *de fœderib.c.V. §.19.* Olim Romani quoque penſiones ſoluebant Perſis ob cuſtodiam finium, de quibus *in Hiſtor. miſcell. lib. XVI.* ita: *Impendebat Romanorum imperator per ſingulos annos quingentas libras auri, vt caſtra, quæ loco proxima erant, Perſæ cuſtodirent; ne ingreſſæ gentes vtramque rempubl. deſtruerent: communibusque ſumtibus caſtella muniebantur, &c.*

(gg) Hoc

iure imperii (gg) ab altero impoſitum ſit.

§. XXI. Denique nec vera dependentia inde oritur, ſi vel maxime imperans aliquid ſubditis in legibus fundamentalibus promiſerit *ſub lege nullitatis*, (h) cum non inconueniens ſit,

(gg) Hoc caſu ſubiectionem inuoluit. Quinque reges Cananææ per duodecim annos Elymæorum Regi *ſeruierant*, ſeu, vt Clariſſ. Clericus exponit, *vectigales fuerant*; quæ præſtatio ſubiectionem inuoluiſſe videtur *Ex. XIII. 4.* & inde dicuntur *rebelles* facti. Dux Romanorum ad Gallos ſubactos dicit apud Tacit. *lib. IV. Hiſtor. Iure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.*

(h) Equidem poteſtas principis vel maxime ideo *ſumma* dicitur, quod actus alterius voluntatis humano arbitrio irriti reddi non poſſint, iudice Grotio *de I. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 7. n. 1.* atque adeo cum clauſulam nullitatis princeps in ſuis promiſſionibus admittat, ſumma poteſtas eidem deneganda videtur. Verum rurſus videndum, quomodo tales actus irriti fieri poſſint: Aut enim actus ideo irritantur, quia alterius arbitrio & imperio ſubſunt, & ab eo dependent, & ſic vtique *ſubiectio* præſupponenda, non quod actus irritentur, ſed quia *per modum imperii* pro irritis declarantur: aut vero *ex pacto ſimplici* ſolummodo effectus nullitatis promiſſus, & hæc promiſſio etiam inter æquales abſque ſubiectione fieri poteſt, imo etiam inter inæquales abſque præiudicio imperii. Neque enim inde ſubditi *ius* nanciſcuntur, imperanti ſe opponendi, aut eius actus ex *clauſula nullitatis* reſcindendi, vel pro irritis declarandi, quia reuera ita imperans a ſubditis dependeret: ex quo ſit, vt reuera *clau-*

ſit, clauſulam nullitatis etiam pactis æqualium addere, vt tamen eo ipſo nulla ſuperioritas vel dependentia inde oriatur.

§. XXII. (VI.) Poteſtas hæc debet eſſe *vna* (i) in republica; contradictionem enim inuoluit, duas

clauſula nullitatis huiusmodi promiſſionibus adiecta effectu deſtituatur, ſi imperans pactis ſtare nolit, quia ſubditi, qui iuri reſiſtendi ſemel in vniuerſum renunciarunt, coactiuis remediis contra imperantem procedere nequeunt. Haberet ſaltem hæc clauſula effectum in ſucceſſore, qui actum ab anteceſſore contra pacta geſtum pro inutili declarare poſſet, veluti ſi de bonis menſæ eius deſtinatis aliquid alienaſſet, cum tamen contrarium ſub lege nullitatis promiſiſſet.

(i) Quod ſummum eſt, in eadem ſocietate aliud æque ſummum admittere regulariter nequit. Aut enim dependeret ab altero, aut non. Priori caſu non eſſet ſummum, poſteriori impediretur alterum per alterum, ſi quilibet ſummam poteſtatem eodem modo, eodem tempore, circa eandem rem ſeorſim haberet. Hinc reuera abſurda eſt diſtinctio inter maieſtatem *realem* & *perſonalem*, quaſi hæc *regi*, illa vero *populo* regi contradiſtincto competat, adeoque vi huius maieſtatis realis populus ius in regem retineat, ſi forſan officio deſit. Imo eatenus darentur duæ ſummæ poteſtates ſibi oppoſitæ, quo ipſo finis reipublicæ a iure naturæ intentus obtineri haud poſſet. Optime Seneca *Agamemn. act. 2. v. 151. Nec regna ſocium ferre, nec tæda ſciunt*, id quod respubl. Romana magno ſuo damno experta eſt. Idem confirmat Aſinius Gallus ad Tiberium apud Tacit. *lib. 1. c. 12.* aſſerens, *vnum eſſe reip. corpus atque vnius animo regendum.*

duas ſummas poteſtates ſeparatas in vno corpore ciuili eſſe poſſe.

§. XXIII. (VII.) Dirigitur hæc ſumma poteſtas in perſonas, (k) territorio imperantis comprehenſas, prout finis reipublicæ hoc exigit.

§. XXIV. Nemo itaque, cuiuscunque conditionis ſit, ſe a poteſtate ſummi imperantis de iure exemtum (l) profiteri poteſt, quatenus in

(k) Poteſtas enim ſumma ſeu imperium requirit parentes, ergo neceſſario in perſonas dirigendas competere debet. Cum autem omnis ſumma poteſtas hodie fere certo diſtrictu terminetur, inde eſt, quod in omnes indiſtincte perſonas ſeſe extendat, quæ in illo territorio deprehenduntur, ſiue ſint *perpetui* ſubditi, ſiue *temporarii*. Nam & peregrini interim poteſtatem hanc agnoſcere, & ſe accommodare ad loci leges debent, quatenus in illo loco verſantur, & leges eis quoque applicari poſſunt. Hinc eſt, quod ob delictum in extraneos ſtatui poſſit, & quod, ſi actus ſit expediendus, imprimis expediri debeat ſecundum loci ſtatuta.

(l) Hac regula hodie ſæpe vtuntur in imperio noſtro, ſcilicet, *quicquid eſt in territorio*, *hoc præſumitur eſſe de territorio*, *donec contrarium*, *ſcilicet exemtio*, *probetur*, quod vrgeri communiter ſolet in *cauſis exemtionum*. Hæc regula nititur ratione naturali, cum quilibet imperans habeat fundatam intentionem in toto ſuo diſtrictu, per quem ordinarie ſumma poteſtas ſe extendit. Quid ergo dicendum, ſi princeps alterius imperantis territorium intret? an adhuc iure ſe fundare in libertate poteſt, & quod nemini ſubſit; adeoque ne quidem imperanti, ſi vel maxime in eius territorio

in territorio imperantis reperitur, niſi ob indulgentiam imperantis vel pactum diuerſum dicendum ſit.

§. XXV.

---

ritorio verſetur? Non loquor de *caſu hoſtilitatis*, quia ſic ſtatus belli eſt, ſed ſi alia de cauſa vel ignorante, vel ſciente domino territorii in alterius territorium ſe recipiat. Hoc caſu pleno iure libertatis frui nequit, ſi abſtrahamus ab omni conceſſione domini territorii, adeo, vt ne quidem actus imperii in ſuos exercere poſſit, ſi imperans illius territorii reſiſtat, quia huius poteſtas in omnes illius territorii aduenas, inter quos etiam rex aduena reperitur, eſt fundata, & ſic ſi, homicidium committeret, ſtatui in eum vt delinquentem poſſet. Nec aliud dicendum arbitror de legatis, quatenus hoſtilia machinantur in territorio alterius imperantis, ad quem miſſi ſunt, cum hoſtilitatis machinatio omnem iis ſanctitatem adimat. Nihilominus tamen apud veteres ſæpe *ius gentium* vel *prætextus eius* præualuit. Cum legati Tarquinii varia conſilia cum proditoribus iniiſſent, & re detecta, proditores in vincula coniecti eſſent, *de legatis paulum addubitatum eſt*, ait Liuius *lib. I. c. 4. & quanquam viſi ſunt commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, ius tamen gentium valuit.* Sed ius gentium hic nullum adfuit, quod hoſtibus ſanctitatem tribueret. Nec obſtat, quod imperans nemini ſubiectus ſit: hoc enim certum eſt, quouſque in proprio verſatur territorio: eo usque enim poteſtas eius circumſcripta eſt; ſed ſi in alterius territorio conſtitutus, actus imperii *iure ſuo* exercere vellet, ſine dubio iura alterius imperantis læderet. Equidem imperantes inter ſe ſunt æquales; ad tempus tamen ceſſat illa æqualitas, ſi dominus territorii ſuo iure vti velit, ſaltem hoc intuitu, quod intra territorium alterius ſe accommodare teneatur ad leges territorii. Quod autem regulæ prudentiæ

& de-

§. XXV. (VIII.) Praeterea quoque poteſtas hæc dirigitur in bona ſubditorum, (m) & ſic omnia iura ſubditorum priuata ſubordinanda ſunt

& decori hic iubent, id ad rationes *iuris*, de quibus ſollicitus ſum, non pertinet.

(m) Si ius in *perſonas* imperanti competit, multo magis in *bona:* qui enim in ciuitates coierunt, eo ipſo, quo ſe imperio alicuius ſubmiſere ad ſalutem publicam, ſimul quoque promiſiſſe videntur ad omnia illa conferenda, quæ neceſſitatibus reipublicæ ſufficiunt. Ceterum hic inprimis *ſeruilia* a ceteris regnis ſunt diſtinguenda, cum in illis imperanti plenum ius in bonis ſubditorum competat, ſicuti in proprium patrimonium, & quicquid inde percipiunt, hoc ex indulgentia imperantis, ſeu heri percipiunt; & ita ſemper hic ad *pacta* reſpiciendum, quibus talis ſeruorum conditio circumſcribi ſolet. Neque enim repugnat, ſervos habere poſſe proprietatem quandam, quam dominus eisdem auferre de iure non poteſt, ſicuti de ſeruis Germanis teſtatur Tacitus *tr. de Morib. German.* Imo credendum eſt, ordinarie tacite ſubditis hiſce ſervilibus relictam eſſe proprietatem quandam rerum acquiſitarum, cum *ſerui priuati* pro operis alimenta a domino accipiant, quæ ſubditi ſibi ipſi parare debent, adeoque argumentum ab iis ad *ſeruos ſubditos* haud procedat. Quod ſi tamen ita herile imperium eſſet conſtitutum, vt ſeruatis alimentis vitæ neceſſariis cetera domino redderent, aliud vtique eſſet dicendum. In ceteris regnis, vbi populus ſibi ipſi conſtituit regem, proprietatem ſuam bonorum ſinguli retinent, ſed tamen ſubordinatam fini reipublicæ. Coaluere enim vel ideo in respublicas, vt non tantum ſecuritatem quoad corpus, ſed etiam quoad bona haberent, vt tuto ſuis frui poſſent.

ſunt neceſſitatibus & vtilitatibus reipublicæ.

§. XXVI. Imo non tantum hic comprehenduntur bona ſubditorum, ſed etiam extraneorum, (n) quatenus finibus eius territorii ſunt incluſa, nam ſic quoque his poteſt legem dicere.

§. XXVII. Et hoc intuitu recte defendi poteſt, *dominium eminens* (o) principi competere in

(n) Sic itaque *per indirectum* quis imperantis poteſtatem ſummam agnoſcere debet, licet proprie *quoad perſonam* non ſit ſubditus, dum imperans bonis illis tributum imponere vel leges eisdem ſcribere poteſt, quibus is morem gerere debet, ad quem ſpectant, licet non ſit huius imperantis ſubditus. Hinc in Electoratu Saxonico & alibi ratione bonorum a poſſeſſoribus quibuscunque homagium recte petitur, cum hæc lex bonis ibi ſcripta ſit; forum quoque ibi ſortitur, quatenus de illis bonis lis mouetur; illis priuari poteſt, ſi delinquat contra territorii dominum; poſſunt vectigalibus onerari, ſi vel maxime tantum per territorium tranſeant. Imo & res mobiles, quamdiu ſunt in territorio principis, arreſto detineri & ita alter cogi poteſt ad aliquid præſtandum, & quæ ſunt alia, quæ etiam in iure priuato paſſim traduntur ex natura tamen ſummi imperii naturaliter fluunt.

(o) Multæ fuere lites *de dominio eminente* inter VVittebergenſes & Hornium, hoc illud adſtruente, illis negantibus. Scripta huc ſpectantia coniunctim edita ſunt a Lyſero ſub titulo VVilhelmi Lyſeri *pro imperio contra dominium eminens*. Potisſimæ rationes contra dominium eminens ſunt, quod principes omnia agant *iure imperii*, dominium eminens vero det cauſam Tyrannidi. Sed ita de *termino* lis eſt. *Dominium eminens* eſt ipſum ius ſummum imperantis; ſiue hoc

in omnia ſubditorum bona, vel ſi quis offendatur termino *dominii*, dici poteſt, ius principi competere in omnia bona ſubditorum pro neceſsitate cogente reipublicæ exercendum.

§. XXVIII. (IX.) Vlterius ſumma poteſtas ſe exſerit in ipſum territorium, ſeu diſtrictum, (p) vi cu-

dominium dixeris, ſiue alio termino vtaris, perinde eſt, modo ipſum ius in ſaluo ſit. Scilicet omne ius ſubditorum reipublicæ neceſsitatibus ſubordinatum eſt, prout neceſsitas & vtilitas reipubl. hoc exigit. Ergo, imminente hac neceſsitate, ius quoque imperanti conceſſum diſponendi de bonis ſubditorum, eademque adhibendi ad vſus publicos.

(p) Ampliſsima ex hoc principio iura imperanti competunt. Fundamentum eorum eſt, quod, quia certo territorio ſeu diſtrictui ſingulorum imperantium poteſtas includitur, neceſſario quoque in ipſum totum diſtrictum, *ſalua ſingulorum proprietate*, imperanti ius competere debeat. Itaque imperanti competit (1.) *ius exſtruendi ciuitates* intra territorium, easque muniendi (2.) *fortalitia* in finibus territorii erigendi, (3.) *vias publicas* conſtituendi (4.) *ius ſummum in vias publicas* & omnia alia emolumenta inde dependentia (5.) *ius in flumina*, & de iis diſponendi, aliorſum deriuandi, cataractas ædificandi &c. (6.) *emolumenta fluminum* ſibi vindicandi (7.) *loca inculta* & alia nondum occupata ſuo adſcribendi fiſco, (8.) *iura montium*, circa *lapidicinas* & *fodinas* (9.) quin & *ſubterranea* alia iura recte inde principi adſcribuntur. (10.) Ius *excludendi* alios ab acceſſu ſeu tranſitu, qui tantum ex *regulis humanitatis* aliis gentibus debetur. (11.) Inde quoque dependet *ius poſtas erigendi* & curſus publicos inſtituendi. conf. Dn. Hertius *de ſeruit. natural. conſtit. inter populos liber.*

(q) Huc

vi cuius ipſum territorium munire, fines præſidio idoneo firmare, aduerſus hoſtium inſultus defendere, alios ab acceſſu prohibere, vias publicas determinare, & alia intra ipſum territorium iura ſibi vindicare poteſt.

§. XXIX. (X.) Poteſtas non augetur vel minuitur ex territorii amplitudine vel paruitate, (q) cum & in paruo territorio eadem ſumma poteſtas vigere posſit quoad omnia iura, quæ in

(q) Huc prouocat Bodin. *de rep. lib. I. c. 9. p. 224.* aiens: *Iura maieſtatica locorum ſpatiis aut regionum amplitudine non definiuntur.* Fabulæ ſunt, quod ad regni conſtitutionem requiratur certus numerus prouinciarum. Olim etiam regiones minutisſimæ *regna* dicebantur, vti vel Reguli in ſacra Hiſtoria celebres teſtantur, *cum antiquitus fines magis tueri, quam proferre mos eſſet,* vt Juſtinus de primis regibus ait *lib... c. 1.* quod an probitati regum adſcribi debeat, ego ſubdubito, poſtquam, vt in *c. 1. part. hujus* euictum, regna ex malo principio originem traxerunt. Potior ergo cauſa tot regulorum in eo quærenda eſt, quod, nondum ſatis aucto genere humano, neque terris ſatis habitatis, tot amplisſima territoria in regnum erigi nequiuerint, vti quidem deinceps factum, vbi potentiores abſorpſerunt minus potentes. Sicuti enim nobilis non æſtimatur ex *diuitiarum magnitudine* nec ex *latifundiis,* ita nec rex ex *territorii potentia*, nam eandem poteſtatem quilibet regulus in paruo territorio exercet, quam ſummus imperans in amplisſimo, & vterque eadem fruitur libertate. Quod vero poſtea imperantibus in territoriis exiguis *titulus regius* ſit denegatus, inde factum, quod potentiores hunc ſibi ſoli vindicauerint, quibus cum reſiſtere non poſſent minus poten-

in ampliſſimo: vnde nec olim paruis territoriis regni decus denegatum.

§. XXX. Multo minus illa æſtimanda eſt ab externis titulis, (r) aut aliis figuris, cum unum

potentes, potentiorum maieſtatem comiter conſeruare eisque cedere debuerunt, idque ex regulis prudentiæ.

(r) Titulis hodie pleraque imperia diſtinguuntur; ex iis tamen nulla inducitur *iurium varietas*, idque exinde conſtat, quod dentur ciuitates, vbi imperantibus denegatur titulus *Maieſtatis*, ſaluis omnibus iuribus Maieſtaticis, & contra in quibusdam prouinciis ille eis tribuatur, qui non habent maieſtatem vel ſaltem non liberam ſed valde reſtrictam. Sic quoque idem iudicium ferendum de reliquis titulis, quibus imperantes vulgo ſuperbiunt. Quo potentiores imperantes fuerunt, eo ſuperbiores titulos ſibi tribui voluere. Reges Ægypti iam olim ſe *Reges regum* dixere, Becman. *in Synt. dign. illuſtr. diſſ. 1. c. 1. §. 12.* Nemo tamen inde hiſce regibus *maiorem poteſtatem* attribuet. Monarchæ Babyloni idem affectarunt, quod de Nebuchodoneſore conſtat, *Daniel II. 36.* vt & Perſarum regibus, *Eſdra VII. 12.* De Æthiopiæ regibus idem teſtatur Becman. *cit. l. §. 13.* E contrario ex rationibus politicis quandoque tituli inanes negliguntur, vtut ſumma poteſtas ſatis euidenter adſit. De Auguſto Tacitus *lib. 3. annal.* hæc refert: *Id ſummi faſtigii vocabulum* [poteſtatis tribunitiæ] *Auguſtus repperit, ne Regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret.* Idem confirmat Appianus *in præfat.* aiens: *Poſt hæc C. Cæſar ceteris ætatis ſuæ potentior ſibi principatum ſuum conſtabiliuit, ſpeciem quidem reip. nomenque reliquit, ſibi tamen imperium in omnes vſurpauit, & ſic in hodiernum vni parent omnia, quem*

num omnibus commune ſit nomen *imperantis*, ex re ipſa deſumtum; ceteri vero tituli ſint arbi-

quem non regem dicunt, propter religionem opinor iuriſiurandi veteris, ſed imperatorem nominant, quae appellatio communis eſt eorum etiam, qui ad certum tempus praeſunt exercitibus, ſed reuera omnino reges ſunt. Hodie tituli plerumque deſumuntur ex prouinciarum multitudine, quod tamen itidem haud perpetuum eſſe, reges Galliae ſuis titulis produnt, vt inde ſatis certum ſit, haec omnia eſſe *arbitraria.* Nec etiam antiquorum imperatorum & regum Germaniae ſemper conſtans fuit titulus, ſed variauit, vti de ipſo Carolo M. conſtat. Idem iudicandum de titulo *Imperatoris*, qui hactenus quidem ſolum regibus Germaniae tributus eſt, ex conſenſu gentium ſeu imperantium, ſed inde maius imperium non accepit, multo minus in reliquos imperantes, cum conſtet, & alios imperantes ſibi eundem titulum attribuiſſe, vti de regibus Hiſpaniae & Angliae docet Becman. *c. l. c.* 2. §. 6. De antiquorum JCtorum ſtupiditate dicam an ineptia parum hodie dicere attinet, qui imperatori ſupremam poteſtatem in vniuerſum orbem vindicare voluerunt. Nec defuerunt in Gallia, qui ſub temporibus Philippi IV. magnum diſcrimen inter reges Francorum & imperatorem intercedere inepte exiſtimarent, vti conſtat ex *diſputatione Clerici & militis*, quam ex MS. adducit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. lib. II.c.* 2. §. 6. Clericus dicebat: *Imperatores iſta ſanxerunt, non reges. Et ideo per vos etiam, o Miles, imperator debet legum gubernacula moderari.* Miles: *Sacrilege eſt reſponſum hoc & blaſpheme. Et quoniam, vt videtur, aut originem ignoratis regni, aut quod videtur verius, illius altitudini inuidetis, ſi Caroli M. regiſtrum inſpiciatis & hiſtorias probatiſſimas reuoluatis, inuenietis, quod regnum Francorum digniſſima imperii portio eſt, pari diuiſione diſcre-*

arbitrarii, vel longæuo vſu introducti, & pro lubitu aſſumti.

§. XXXI. Pertinent itaque tales tituli aliaque ſolennia ad Iura libertatis, (rr) & mutua inter imperantes commercia, & vim ſuam ex *recepto* ſeu *tacito* ſortiuntur *pacto*. (s)

§. XXXII.

diſcreta, & æquali dignitate & autoritate a quingentis annis circiter inſignita &c. Et ideo ſicuti omnia, quæ infra terminos imperii ſunt, ſubiecta eſſe noſcuntur imperio, ſic quæ infra terminos regni, regno. Et ſicuti imperator ſupra totum imperium ſuum habet leges condere, addere eis, vel demere; ſic Rex Francorum aut leges imperatoris repellere aut quamlibet, cum placuerit, permutare, aut illis a toto regno ſuo proſcriptis & abolitis nouas, ſi placet, promulgare. Tanta ruditate tempora illa obnubilata erant, vt clerici priuilegia ſua inde defenderent, quod ab imperatoribus eisdem eſſent conceſſa, & ita a regibus nulla ratione lædi poſſe exiſtimarent, quod imperatoris poteſtas auguſtior ceterorum imperantium eſſet.

(rr) Quo potentiores ſunt homines, eo magis libertate ſua abutuntur. Id ipſum quoque in titulis factum eſſe, praxis omnium ſeculorum docet. Domitianus ſe *Dominum & Deum noſtrum* vocari voluit, Sueton. *in Domit. c. 13.* Rex Perſarum Sapor ſcribens Conſtantio Imp. his ſuperbis titulis vſus legitur: *Rex regum Sapor, ſyderum frater, ſolis & lunæ*, Ammianus Marcell. *lib. XVII.* Conſtantinus *a Iuſtitia declinauit ita intemperanter, vt dictando ſcribendoque propria manu orbis totius ſe dominum appellaret*, teſte eodem *lib. XV. princ.* Plura huiusmodi vanitatis documenta collegit Feltmannus *de titulis lib. I. c. 11.*

(s) Hoc iam ſupra *c. antec.* plenius expoſitum. Neque enim aliorum intereſt, quonam cultu externo imperans

§. XXXII. (XII.) Præterea quoque & hoc ex natura ſummæ poteſtatis fluit, quod non augeatur nec mutetur ex *forma imperandi*, cum rurſus eadem ſumma poteſtas ſit in ſtatu populari & Ariſtocratico, quæ eſt in Monarchico. (t)

§. XXXIII.

rans in ſua regione ſe a ſubditis affici velit, adeoque imperator regibus Hiſpaniæ & Angliæ olim vitio vertere, vel propterea iis quæſtionem mouere non potuit, quod titulo *imperatorio* vti voluerint. Sed cum res ad *mutua gentium commercia* dilabitur, non poſſunt eundem *ex debito* ab aliis exigere titulum, quin quod praxis oſtendat, magis per *preces* a ſingulis gentibus obtineri, vt in poſterum pro talibus inter gentes habeantur, vbi mutua commercia cum aliis ſubire volunt. Interim ſi regibus prædictis a quibusdam hic titulus *Imperatoris* datus fuiſſet, ne ſic quidem potuiſſet imperator Romanus de præiudicio ſibi facto conqueri, cum ei adhuc integrum fuerit, talem titulum eisdem vel denegare vel tribuere, quoties cum eis agere contigiſſet. Neque credendum eſt, communem omnium gentium conſenſum hic eſſe neceſſarium, cum in eiusmodi ceremoniis ſingulis ſua libertas ſit relicta, & quod vni tributum, non imponat aliis neceſſitatem, aliis quoque idem tribuendi.

(t) Id bene obſeruatum eſt ab Adriano Houtuyn *in Polit. Gen. §. 22.* & Hubero *de iure Ciuit. lib. I. S. 3. c. 2.* Vtrobique ſcil. eſt eadem ſumma poteſtas intra ciuitatem, & omne illud eſt penes optimates in ariſtocratia, quod penes regem eſt in regno. Vtrobique eadem ratio, quia populus per ſubiectionem voluit, vt in imperantis voluntate omnium eſſet vna voluntas. Præterea hic tantum de *ſummitate imperii* quæſtio eſt, quæ vbique eadem eſt, licet forſan eiusdem

§. XXXIII. (XIII.) Multo minus exinde diverſitas inducitur, vtrum regnum ſit electivum an ſucceſſiuum, (u) patrimoniale an non patrimoniale, (x) temporarium an perpetuum, (y) quæ quidem in aliis differentiam iurium

in his vel illis ciuibus nunc maior nunc minor ſit efficacia, vbiq; enim actus imperantium manent independentes ſeu irretractabiles.

(u) Obſtat, quod maior videatur eſſe poteſtas imperantis in ſucceſſiuo quam electiuo, prout legati a Ludouico rege ad Fridericum II. miſſi apud Matth. Paris. philoſophantur, aientes: *Nec nos pulſat ambitio. Credimus enim dominum noſtrum Regem Galliæ, quem linea regii ſanguinis prouexit ad ſceptra Francorum regendum, excellentiorem eſſe aliquo imperatore, quem ſola electio prouehit voluntaria.* Sed nulla conſtat hæc ſententia ratione ſolida. Electio & ſucceſſio ſunt *modi* imperium continuandi, ſed non maior alteri præ altero competit poteſtas: ſaltem hoc certum eſt, quod ſummum imperium ubique idem h. e. non dependens ſit ab alio.

(x) Equidem in non-patrimoniali denegatur poteſtas alienandi, ſed inde imperium non deſinit eſſe ſummum, cum nihilominus adhuc actus imperantis inualidari ab aliis nequeat.

(y) Ratio dubitandi hæc præcipue eſt, quod imperans cogi poſſe videatur ad imperium deponendum, tempore præterlapſo. Sed tamen *α*) hæc coactio ceſſat, quamdiu ſummum habet imperium, & tunc demum incipit, vbi imperium eius exſpirauit, quo ipſo in priuatorum ſortem redigitur. Hoc Horatius Appio Claudio decemuiratum vltra annum extendenti obiecit, aiens: *Nonne in annum reipubl. adminiſtratio vobis commiſſa fuit? nonne veſtri magiſtratus tempus eſt elapſum? Nonne*

um inducunt, nullo modo quoad ſummitatem imperii.

§. XXXIV. (XIV.) Denique hoc quoque ex natura ſummi imperii fluit, nihil addere vel detrahere ſummæ poteſtati imperantium coronationes, cum illæ quoque ſint arbitrariæ, & ſolenniores declarationes (z) tantum, & in rebus-

Nonne ex ipſa lege nunc eſtis priuati? Dion. Halicarnaſſ. *lib. XI.* β) Sufficit, quod interim omnes actus ſummi imperii *independenter* exerceat, nec ad rationes reddendas populo vel alii obſtrictus ſit. γ) temporis itaque diuturnitas vel duratio nec auget nec minuit imperium. Talem poteſtatem olim Dictatores Romani fere habuiſſe videntur, de quibus Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. V.* hæc habet: *In hoc rerum ſtatu Senatus deſpiciens quo pacto effici poſſit, ne quas amplius res moliretur populus, decreuit, conſulari poteſtate in præſens ſublata, alium Magiſtratum creare, penes quem belli pacisque & omnium aliarum rerum plena poteſtas eſſet, & a quo conſiliorum actorumque rationem repoſcere non liceret.* Quamvis Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 8. ab initio* exiſtimet, dictatorem tantum nudum commiſſarium fuiſſe, conſ. Hobbes *de ciue c. 7. §. 16.*

(z) Optime Becman. *in Synt. dignit. ill. diſſ. 5. c. 1. §. 1.* inaugurationes nihil aliud eſſe dicit, quam *publicationes regiæ dignitatis, quibus reges non nouum ius acquirunt, ſed ſuſceptam a ſe dignitatem, ſubditi promiſſum eis obſequium ſuum, publice declarant.* Origo harum ceremoniarum quidem ex origine decori in genere petenda eſt, ſpecialiter vero ex duplici cauſa deriuanda eſſe videtur: (1.) vt regiæ dignitatis eo efficacius exſtet indicium, præſertim cum apud Ethnicos reges quandam diuinam venerationem a ſubditis poſtulaſſe videantur. (2.) Vt ſubditis imperans eo vene-

rebuspubl. Ariſtocraticis & Democraticis eadem occurrat vis imperandi, licet tales externi ritus inaugurationum deficiant.

§. XXXV. Hæc poteſtas ſumma alias dici ſolet *Maieſtas*, & iura inde dependentia, *Maieſtatica*, quæ nihil aliud ſunt, quam *complexus* (zz) *iurium variorum, quæ imperanti independenter*

venerabilior redderetur. Inde regibus ſolennia inſignia ab antiquis temporibus attributa ſunt, quæ apud quascunque gentes variant, vid. Knichen. *in oper. polit. lib. 2. P. 1. c. 5. th. 4.* Plebis enim ea eſt indoles, vt ſenſibus & imaginatione plus valeat quam iudicio. Nihil autem magis plebem ad venerationem & obſequium incitat, nihil magis autoritatem imperanti apud plebem conciliat, quam externa eiusmodi pompa. Ex hoc fonte quoque reginæ coronantur, quibus tamen nulla imperii poteſtas competit, imo etiam hi, quibus tantum deſtinata eſt futura ſucceſſio, adeoque magis ad *dignitatis regiæ ſplendorem* pertinet, quam vt præciſe ſummæ poteſtatis character ſit. Ex quo fluit, electum regem omnia poſſe iura exercere, etiamſi nondum coronatus ſit, imo etiamſi vel maxime nunquam coronaretur.

(zz) Quot & quænam ſint iura maieſtatica, ſeu ſummi imperii, vno catalogo hic referre non eſt neceſſe, cum ſingulorum naturam *lib. II.* penitius excutere animus ſit. Illuſtrationis tamen gratia paucis adiiciam, quæ Romulus, conditor imperii Romani, ſibi attribuerit. Ita vero Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2.* de eo ait: *Regis quidem hæc munia eximia eſſe iuſſit, primum vt ſacrorum & ſacrificiorum principatum haberet, & omnes res diuinæ & piæ per eum agerentur. Deinde legum & morum patriorum cuſtos eſſet, & omnes iuris naturalis,*

& ex

denter & proprio iure in ciuitate competunt ad obtinendum finem reipubl. præfixum.

CAP. V.
De
Limitibus ſummæ in Republica poteſtatis.

§. I.

Jura imperantium duplici modo conſiderari poſſunt: (I.) quoad *externum effectum,* (a) quem produ-

& ex communi hominum conſenſu pactoque ſcripti curam gereret, & de grauiſſimis iniuriis ipſe cognoſceret: leuiorum vero cauſarum cognitionem ſenatoribus permitteret (ita tamen, vt caueret, ne quid interim in iudiciis peccaretur) & ſenatum cogeret, populumque conuocaret, primusque ſententiam diceret, & quæ pluribus viſa fuiſſent, ea faceret. Atque hos honores regi detulit: præterea vero, vt in bello ſummum haberet imperium.

(a) Hæc acceptio *iuris* frequens quoque eſt in iure priuato, vbi illa, quæ *impunita* ſunt & *licita*, *effectum iuris externum* conſequuntur, adeoque eatenus *iuris* eſſe dicuntur, non quod a legibus approbentur, ſed quod impedimentum adſit, quo minus poſſint vindicari. Optime Cicero *Philipp. 13. Nec enim, quod quisque poteſt, id ei licet, nec ſi non obſtatur* (ob impedimentum aliquod iuris vel facti) *ſtatim permittitur* (vel iure ſit optimo, & ſecundum leges naturæ) Interim ſolent potentiores communiter ſuam felicitatem inde metiri, exemplo Syllæ, qui perpetuo felix iudicatus fuit; ſed addit Appianus *lib. 1. d. bell. ciu. p. 693. ſi felicitas dicenda eſt, poſſe quicquid velis.* Sunt itaque magis *iniuſta* quam *iuſta*, ſed tamen pro iuſtis haben-

producunt in Republica, quo ſenſu omnia imperanti *licita* eſſe dicuntur, quatenus eidem reſiſti a ſubditis non poteſt.

§. II. Vel conſiderantur (II.) ſecundum proprie dictam diſpoſitionem iuris naturæ, qua etiam adſtringitur quilibet imperans, quo ſenſu *facultatem legitimam & legibus conformem* (b) deno-

habentur, quod effectum quendam iuris habeant. Videlicet omnia facta regum & imperantium ſunt *licita* & *impunita* hoc ſenſu, vt a nemine diiudicari poſſint, quo pertinet illud impudicæ Juliæ Auguſtæ aſſertum ad Cæſarem: *Si libet, licet. an neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Vell. *lib. 2. c. 100.* Spartian. *in Caracalla c. 10.* Ruſſorum Imperator illimitatam poteſtatem exercet in omnibus, *libere & de voluntate ſua de omnium & vita & bonis, nemine obſtrepente, conſtituit. Conſiliariorum enim nullus eſt, qui disſuadere aut ſibi in aliqua re, quantumuis iniuſtisſima, reſiſtere audeat. Omnes denique tam proceres quam conſiliarii & totus equeſtris & ſpiritualis ordo fatentur publice, voluntatē principis voluntatem Dei eſſe, & quicquid princeps, quamuis perperam, egerit, ex voluntate Dei agere*, vt ait Alex. Guaguin. *in Sarmatia Europ.* Cum itaque omnia, quæ hoc modo imperans agit, publicum effectum habeant, *iuris* eſſe dicuntur ab effectu externo iuris, quem habent, ſicuti cum prætor iniqua decernit, ius dixiſſe intelligitur, ob effectum rei iudicatæ, quæ ius facit inter partes, licet prætor officio ſuo non bene functus ſit.

(b) Hic ſignificatus etiam in iure priuato primario attenditur. Nam quicquid ſecundum legem naturæ fit, id *iuſte* fieri cenſendum eſt: quicquid autem contra obligationem iuris naturæ fit, id *iniuſte* fit. Imo rarius

denotant, omne illud agendi, quod ad conſeruationem & tranquillitatem reipubl. facit.

§. III. Si in priori conſideratione iura imperantium intuemur, fruſtra eisdem limites ponimus, (c) quippe limites omnes reſpuentibus & ſua poteſtate inſigniter abutentibus.

§. IV.

rius prior acceptio in *ſubditorum foris* occurrit, cum inter ſubditos ſingula capita iuris naturæ illibata ſint ſeruanda, nec facile quid impunitum relinquendum, niſi corrupta reipubl. facies aliud aliquando poſtulauerit; ſed inter imperantes eſt diuerſa ratio, cum actus eorum ob *ſummitatem* a nemine reſcindi poſſint. Et huc forſan reſpexit antiquorum decantata doctrina *de plenitudine poteſtatis*, ſecundum quam imperantem omnia quæque facere poſſe dixere, etiam durisſima & iniquisſima, quibus floſculis antiquorum JCtorum libri referti ſunt. Sic Baldus in *c. cum ſuper. col. 1. X. de cauſ. propr. & poſſ.* de hac ipſa ita loquitur: *Hoc caſu nemo poteſt dicere, cur ita facis?* (Recte, quia ſubditi reſiſtere nequeunt) *quia tunc eſt ſupra ius, contra ius, & extra ius, & eſt omnia.*

(c) Hoc facile patet exinde, quia ſi illis limites eſſent ponendi, aut hoc foret ab *obligatione interna*, aut a ſi *externa:* prius fieri nequit, cum illam negligat, imo ſæpe ne quidem ſentiat, aut ſe obligari intelligat, quin quod hic ſolum reſpiciatur ad *effectum externum licentiæ:* poſterius itidem fieri nequit ob *defectum reſiſtentiæ*, cui ſubditi renunciarunt. Valet ergo abſolute, quod agunt imperantes, licet *duriſſima & iniquisſima* agant. Et huc illud apud Saluſt. *de bell. Iugurth. c. 31.* collimat: *impune qualibet facere, id eſt, regem eſſe,* quemadmodum Caligula apud Suetonium *in vita eius c. 29.* ait: *memento omnia mihi & in omnes licere.* Hanc poteſtatem illimitatam, ſed malo

ſuo

§. IV. Et hoc ſenſu commodam interpretationem accipiunt, quæ *1. Sam. VIII. de Iure Regio* (d) Iſraelitis proponuntur, non quod exemplar regii iuris inde peti debeat, ſed quod prædixerit Deus Iſraelitis, quales ſint habituri reges, quæque pati ab illis debeant.

§. V. Ius autem verum regium, pro poteſtate legitime & ſecundum præcepta iuris naturæ

ſuo, quoque affectabat Hieronymus Syracuſanus rex, quam initio ſuperbo admodum apparatu expreſſit. *Hunc conuenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam difficiles, libidines nouæ, inhumana crudelitas* &c. Liuius *lib. XXIV. c. 5.* En genuinam imaginem imperantis, illimitata poteſtate vtentis, quem potius peſtem reipublicæ dixiſſes.

(d) Sunt, qui putant, ius *verum regium*, adeoque *omnium Regum* hic deſcribi, & hoc ſenſu ſubditos eſſe ſeruos, quod eo, quem dixi, ſenſu admitti poteſt. Alii *herile imperium* tantum deſcribi arbitrantur, alii aliter. Si rem ipſam ex ſuis circumſtantiis eruimus, res ſatis clara erit. Poſtulabant Iſraelitæ regem humanum, & Monarchiam terreſtrem, quo ipſo Deum, regem Iſraelitarum, imperantem mitisſimum & ſapientisſimum, imo ipſam Theocratiam reſpuebant. In eo ſine dubio ſtolide agebant, vti ipſe Deus Samueli conteſtabatur, dicendo: *Non te ſed me reiecere.* Deinde poſtulabant regem, ſicuti vicini populi habebant: ergo ob oculos eis ponere Deus iusſit ſtatum futurum, ne poſſent de iniuria ſibi facta conqueri, dicitque *hoc futurum eſſe ius* &c. adeoque non ſimpliciter aſſerit, *ita comparatum eſſe debere ius regium*, ſed quale ſit futurum ſecundum morem regum vicinorum, oſtendit.

(e) In

turæ aliquid faciendi acceptum, hic non deſcribi, vel inde patet, quod Deus prædicat, ſe non exauditurum querelas, quas contra regem ad eum eſſent miſſuri. (e)

§. VI. Hoc iure illimitato principem ſuum inſtruere voluiſſe videtur Nicolaus Machiauellus, (f) quod quidem tolerari potuiſſet, ſi ſim-

(e) In verſu 18. dicitur: *Si vel maxime ad me clamabitis de rege veſtro*, quæ verba ſupponunt, legitimas quidem tunc futuras querelas Iſraelitarum, ſed ſe *in pœnam* nullo modo has exauditurum eſſe, cum mala hæc regiminis regii ſponte ambierint. Si itaque iuſtæ ſunt querelæ, reuera rex inique egit, hoc iure vtens, & ſubditos inique opprimens. Deinde in *verſ. 14.* dicitur, quod agros & vineas rex ſubditis ſit ademturus: quod ſi iure ſuo id facere poteſt, nec peccaſſet in Nabothum Achabus, quod ei agrum ademerit, quod facinus tamen Deus grauiter vindicauit *1. Reg XXI.*

(f) Fuit Reipubl. Florentinæ Secretarius, multosque aduerſarios nactus eſt, imprimis Barlæum *in Principe Machiauelli*, Poſſeuinum, Gentillettum, Ribadeneira aliosque. Conringius *animaduerſiones* ſcripſit ad eundem, vbi in præfatione oſtendit, illum tantum dominatui leges dare, non iura imperantibus in genere præſcribere, & hoc ſenſu *honeſtatem principatum & dominatum ſtruenti non amplius ſectandam, quam expedit dominatui, huic autem ſæpe illam nocere & inutilem eſſe*, adeoque iura talia principi ſuo attribuit Machiauellus, quæ itidem habent *effectum externum*, hoc eſt, obligantem ſubditos ad patientiam. Putat deinde non eſſe peccatum a Machiauello, ſi inhoneſta commendauerit, modo commendauerit ſolis iis, quibus commendari debebant. Verum an illa Machiauelli intentio

ſimpliciter talia iura enarraſſet, oſtendendo, quod Tyranni hæc iura ſibi vindicarent, & non ſimul commendaſſet; quamuis Conringium defenſorem acceperit, cuius doctrina fere vnice huc tendit, quod talia conſilia Machiauellica vtilia ſint illis principibus, qui ius fasque omne negligunt.

§. VII. Parum quoque ab hac doctrina recedere videtur Hobbeſius (g) & Adrianus Hou-

tentio fuerit, & annon potius plane crediderit, hæc omnia legitime ſimul fieri poſſe, non certo conſtat.

(g) Hobbeſius doctrinam ſuam clare proponit *de ciue cap. VI. §. 12.* vbi illud ſupponit, quod hactenus dictum eſt, *ſcilicet impune debere eſſe quicquid ab eo factum erit.* Ex quo deinde *§. ſeq.* concludit, poteſtatem hanc eſſe abſolutam, vt quidlibet poſſit facere, idque *iure*; viribus & opibus omnium ſuo arbitrio vti, & cum hoc iure coniunctam eſſe *obedientiam ſimplicem*, adeoque vt quicquid imperauerit, hoc *iure* faciat, quanquam non ſemper obliget ad obedientiam, v. c. ſi princeps ſubditum ſe ipſum interficere iubeat. Porro exinde infert, nemini in republ. proprium quid eſſe quicquam contra illum, qui habet ſummum imperium & quæ ſunt alia, quæ eum in ſenſum vtique admitti poſſunt, quod hæc iure fiant a Principe, quatenus nemo ei reſiſtere poſſit, ſed an ab hac doctrina iura imperantium ſint æſtimanda, poſtea videbimus. Addit quidem *cap. XIII.* quale debeat eſſe officium imperantis, quæ reuera omnia hæc deſtruunt, quæ antea dixerat, non quidem quod hæ doctrinæ contradictionem inter ſe inuoluant, ſed quod videatur nimis ſeiunxiſſe *Officium Principis a iure*, de quo nunc agendum.

(h) Si

Houtuynus, (h) iura maieſtatica ex hac doctrina de illimitata poteſtate vnice fere æſtimantes.

§. VIII. Verum hic ſtatim ab initio duæ quæſtiones ſunt ſeparandæ: (1.) an hæc, quæ effectum iuris externum habent, ad iura ſuo modo referri poſſint? quod eo, quo dixi, ſenſu, admitti poteſt. (2.) An doctrina de iuribus maieſtaticis ex his principiis primario ducenda, & princeps inde in regimine inſtruendus ſit? quod abſolute nego. (i)

§. IX.

(h) Si doctrinam Houtuyni intuemur, primo intuitu ſat blanda & optima eſſe videtur, præſertim ſi, quæ de *officio imperantium* adſtricto ad leges naturales §. 14. adſerit, & quæ in calce libri ad errores Hobbeſianos refert, paulo attentius conſideremus. Vbi vero poſtea iura imperii explicat, ita eadem explicat, vt ſui quaſi immemor nullos imperanti limites ponat, & iura talia eidem indulgeat, quæ non poſſunt non fini reipubl. eſſe aduerſa, vti in ſingulis capitibus, occaſione ferente, annotabitur.

(i) Supra dictum Prætorem inique decernentem ius feciſſe intelligi ob autoritatem rei iudicatæ. Quod ſi iam vellem iura Magiſtratus ex legitimis principiis deducere, quis tam ieiunus foret, qui fundamenti loco iniquiſſima quæque poneret, ſub hoc prætextu, quod hæc Prætoris iniquitas ius faceret, id quod tantum *ex accidenti* fit. Sic pater inique verberans liberos, *iure* feciſſe dici poteſt, quoniam filius reſiſtere non poteſt, ſed pati iniuriam debet. Quis vero patriæ poteſtatis primarium fundamentum quæreret in *duritie* & *iniquitate*? Simili modo in iure regio indagando & docendo eiusmodi principia ſunt

§. IX. Nam (I.) ex hiſce principiis iura imperantium primario velle determinare, eſt nihil aliud, quam cum Samuele populo publicas calamitates, miſeriam & quæuis mala annunciare, (k) propter quæ mala tamen reſpublicæ

quærenda, quæ iuri naturæ & ſtatui reip. ſunt conformia, non quæ *ex accidenti* forſan eueniunt & magis ad *mala reipubl.* pertinent. Hoc intuitu Claudius apud Tacitum *lib.12. annal.* Meherdati, quem legati Parthorum regem ſibi expetebant; præcepta dabat, *vt non dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret, clementiamque ac iuſtitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capeſſeret.* Si cum Hobbeſio infers, hanc doctrinam de limitibus ad *officium* imperantis pertinere, non ad ius ſummum, reſponderem, aut doctrina de *officio imperantis* limites poteſtati eius præſcribit, aut non. Priori caſu ſalua eſt doctrina noſtra; poſteriori vero otioſa eſt doctrina *de officio imperantium*, omni effectu deſtituta, quem tunc demum conſequitur, ſi poteſtatem eius reſtringit. Concludo hanc meditationem dicto Auguſtini *lib. 4. de ciuit. c. 4. Remota iuſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?*

(k) Annunciabat Samuel iura regia, ſeu quæ reges, dominatum exercentes, ſibi tribuere ſolent, non quæ iis ſecundum leges naturales competunt h. e. publica mala, calamitates communes, quas ſub regibus perpeti deberent, vt eo magis populus poſſit conuinci de ſtultitia commiſſa; hæc fuit mens, hæc intentio Dei & Samuelis, non quod voluerint reges inſtruere, quale ius eſſet ſeruandum in regno futuro Judaico, ſed vt populo rebelli erga Deum potius indicarentur mala imminentia ex inordinato appetitu,

publicæ non introductæ, quod adhuc eo miſerius foret, ſi per hanc doctrinam legitimarentur.

§. X. (II.) Fundamentum tale abſolutum, pugnat cum lege naturæ. (l) Iam iura regia ex iu-

petitu. Hoc intuitu autor *tr. du gouuernement ciuile c. VI. §. 14.* cenſet, huiusmodi poteſtatem abſolutam pugnare cum ſocietate ciuili. Suboluit Hobbeſius *tr. de Ciue c. 6. §. 13. in not.* hanc obiectionem, quod ſcilicet ſi quisquam tale ius abſolutum haberet, ciuium conditio miſerrima foret, quæ tamen ad felicitatem ciuilem in Republ. eſſet deducenda. Sed reſpondet, *etſi iure i. e. ſine iniuria ſibi illata, non tamen iuſte i. e. ſine violatione legum naturalium & iniuria in Deum faciet.* Verum fluit hæc reſponſio ex principio ſupra reiecto, quod imperans ſubditis non obligetur, & quod in genere inter homines nulla talis obligatio ſupponi debeat.

(l) Lex naturæ obligat *ſingulos* ad pacem ſeruandam & tranquillitatem *totius humani generis*, vel vt eleganter dicit doctisſimus Clericus *ad Pentateuch. Exod. XXI. ius hominum ſitum eſt in generis humani ſocietate*, quorſum etiam collimat Autor *du gouuernement ciuil c. I. §. 4.* aiens: *Le loi de la nature a pour but la tranquillité & la conſeruation du genre humain.* Hoc poſito, eadem lex quoque obligat quoslibet imperantes, vt *iura* ſua exerceant intra *modum huius vinculi.* Certe ius naturæ imperanti non potuit maiorem attribuere poteſtatem, quam quæ eſſet concluſa intra *obligationem ad pacem ciuilem ſeruandam.* Neque populus plus poteſtatis ei in ſe dediſſe credendus eſt. Exprimam hoc verbis eruditisſimi ICti Noodtii *Orat. de iure ſummi imper.* aientis: *Liberum habet arbitrium, qui nullis includitur finibus, nec tamen*

ex iure naturæ deducere velle, quæ eſſent contra ius naturæ, inſigni haud careret abſurditate.

§. XI. Imo (III.) cum iura ſocietatum omnium; & ſic etiam ciuilium, potisſimum ſint æſtimanda ex fine & ſcopo ſocietatis primario, (m) inconueniens videtur, fundamenti loco

patitur humani ratio conſilii, vt ius probri ſceleris ac flagitii princeps accepiſſe eo exiſtimetur, quod de eo bene ſperauit populus, qui eum quaſi virum bonum publicæ priuatæque vtilitatis diſceptatorem elegit, nec opus eſſe putauit, quem tanta tamque libera poteſtate ornabat, pactis adſtringi ad id, quod vltro facturus videbatur. Magis populus cum non expresſis ac diſertis verbis ei infrenatam dedit poteſtatem, tacite pactus videtur, vt, quam habet Princeps, non ad ſuam libidinem, ſed ad naturæ legem componat.

(m) In omni ſocietate *formam* ex *fine* deſumendam eſſe recte aſſerunt eruditi, quia exinde totum negotium *ſocietatis* diiudicatur. Iam omnis ſocietas conſiſtit in *vnione* plurium ad certum finem; neceſſario itaque poteſtas eius ſocietatis debet concluſa eſſe *intra terminos finis illius.* Supra vero latius dictum eſt, finem imperiorum eſſe ſatis bonum, nempe eundem, qui eſt iuris naturæ, ſcilicet, *vt publica adſit tranquillitas & pax eo magis corroboretur*, quæ ſatis lubrica erat in ſtatu naturali. Quod ſi imperanti abſolutam poteſtatem tribuis, etiam ſimul ſubditorum ſaluti, quæ ſuprema lex eſſe debebat, male conſulis, & reuera tollis illam vnionem, quæ debebat eſſe inter imperantem & ſubditos, imo illud ipſum iis adimis, propter quod vnius imperio ſe ſubiecerunt. *Nec vnquam ſatis fida potentia, vbi nimia eſt*, ait Tacitus *lib. II. hiſtor.* Aiunt quidem, *per contrariam doctri-*

loco in iuribus imperantium aſſerendis illud ponere, quod finem omnem ſocietatis deſtruit & conculcat, & quod *ex accidenti* tantum pro iure habetur.

§. XII. Præterea (IV.) quæ de iure abſoluto & illimitato vulgo afferuntur, ab hoc loco, vbi de fundamentis legitimæ poteſtatis quæritur, alieniſſima ſunt, cum potius referri debeant ad caput *de obligatione & patientia ſubditorum*; hoc enim intuitu demum iuris effectum habent, quatenus ſubditi patienter omnia mala ferre debeant: *per ſe* (n) itaque non

doctrinam imperantes non reduci ad officium ſuum. Verum an propterea præcepta iuris naturæ ſunt euertenda, & ad palatum Tyrannorum accommodanda, quod homines per *doctrinam iuris naturæ* non viuant ſecundum leges? An ius naturæ ex hominum deprauatis affectibus deducendum, quod iis indulgeant. Concedo *ſuadere Principi, quod oporteat, multi laboris eſſe,* vt recte Galba apud Tacitum *lib. I. hiſt.*, non tamen propterea veritas diſſimulanda, vel ad palatum imperantis accommodanda. *Imo*, dicis, *finis Reip. magis euertitur, ſi imperanti leges ponimus.* Id vero falſum eſſe poſtea apparebit, cum per hanc doctrinam magis eleuetur. Aliud eſt, *quid ſubditi pati debeant*, & aliud, *quid imperans facere ex iure ſummo poſſit.* Finis dat menſuram mediis, media ad finem in Republ. obtinendum ſunt ſummum imperium, & inde deducta ſumma poteſtas, ergo huic quoque menſuram dare debet.

(n) Quod *per ſe* & *primario* iura imperantis non ſint æſtimanda ex *illimitata poteſtate*, patet ex fundamen-

non pertinent ad iura imperantis, ſed plane *per accidens*, quatenus imperanti reſiſti non poteſt.

§. XIII.

---

to eorundem, videlicet, *iure naturæ*, quod tantam imperantibus non tribuit poteſtatem. Quin quod *peſſimi* imperantes tantum ita agant, ſecum cum Othone reputantes, *non poſſe principatum ſcelere quæſitum ſubita modeſtia & priſca grauitate retineri*. Tacit. *lib. I. hiſtor.* Quod autem mala ab imperante Reipubl. illata effectum iuris habeant, id reuera *per accidens* eſſe aliquoties dictum. Quando princeps *per ſe* & *primario* jus tale haberet, aut haberet illud ex *lege naturæ*, ſed hoc negant etiam diſſentientes: aut ex *alia Dei conceſſione*, ſed hoc itidem falſum: aut ex *voluntate ſubditorum*, aſt quis crederet, in hoc eos *primario* conſenſiſſe, cum ei imperium detulerint ad *ſecuritatem* & *pacem* conſeruandam. *An præſumendum erat*, ait clariſſ. Noodt *Orat. de iure ſummi imp. homines mentis ſanæ, qui in ciuitatem ac ſub imperium coibant, ne per aliorum vim atque iniuriam naturæ beneficia amitterent, eo dementiæ veniſſe, vt conſtituta ciuitate atque imperio eius finem euerterent, ac natura bona in ſui honorem magiſtratus proiicerent, ita vt exemplo pecudum ratione carentium, deinde non in ſuum ſed alterius vſum fructus ferre, eiusque arbitrio paſci, agi, mulgeri, tonderi, iugulari, deglubi ac deuorari vellent? Abſit, non id ratio, non communis ſenſus, non lex naturæ patiatur.* Equidem vrgeri ſolet, neceſſario populum conſenſiſſe, quod ſi imperans etiam iniqua eſſet perpetraturus, tamen eidem reſiſtere nollent. Eſto: interim tamen eidem non dederunt facultatem, talia perpetrandi, ſed ſe tantum obligarunt ad *patientiam* & ſubiectionem, quia viderunt, Rempubl. non poſſe eſſe ſaluam, ſi *reſiſtendi ius* ſingulis

§. XIII. Et denique (V.) ſi dicendum quod res eſt, ex mera adulatione (o) erga imperantem

gulis maneat integrum. Vindictam interim & debitam pœnam Deo committentes, *qui non negligit humana, & ſuperbiæ crudelitatisque etſi ſeræ non leues tamen venire ſolent pœnæ*, vti de Appii crudelitate iudicauit plebs R. apud Liuium *lib. III. c. 56.* Quo ipſo recedere cogor a ſententia eruditisſimi Noodtii, qui *cit. l.* ex hac *limitata poteſtate* concludit, *omni iure diuino & humano puniri eum poſſe, quem liquet negligere legem, in quam pro tuenda omnium ſalute & libertate omnes naturali ratione i. e. diuina voluntate conſenſere.* Aſt quis de eo iudicabit? Non *ſinguli*, quia ſingulis non eſt in ſtatu ciuili iudicium de eo permittendum quod totam rempublicam concernit: nec *totus populus*, quia ita imperans a populo dependeret, eiusque tantum adminiſter eſſet. Agnouit hoc Gregorius Turonenſis qui *lib. V. c. 19.* regem Chilpericum ita alloquitur: *Si quis de nobis, o Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt. Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis. Si autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam.*

(o) Hoc adulationis cacoethes, *vetus illud in republ. malum*, vt ait Tacitus *lib. II. annal.*, aptisſimum ſatis eſt ad hanc doctrinam inculcandam, cum omni *adulationi fœdum crimen ſeruitutis inſit*, iudice Tacito *lib. I. Hiſtor. c. 1.* Egregie hoc ipſum depingit Barclaius *in Argenide lib. 3. c. 11.* his verbis: „Quid miremur Principis violenta adulationis procella inclinatos, quo „ſponte iam volunt iis vocibus credere, quas ſolas „accipiunt? Præſertim nemine ruinam ſuſtinente, „ad quam tanta vis impellit: Nam illi ſapientes, quos „negotiis adhibent, ſeu verentur fruſtra monere, ſeu „medicamentum, quamuis infundat ſalubritatem, tamen

rebuspubl. Ariſtocraticis & Democraticis eadem occurrat vis imperandi, licet tales externi ritus inaugurationum deficiant.

§. XXXV. Hæc poteſtas ſumma alias dici ſolet *Maieſtas*, & iura inde dependentia, *Maieſtatica*, quæ nihil aliud ſunt, quam *complexus* (zz) *iurium variorum, quæ imperanti independenter*

venerabilior redderetur. Inde regibus ſolennia inſignia ab antiquis temporibus attributa ſunt, quæ apud quascunque gentes variant, vid. Knichen. *in oper. polit. lib. 2. P. 1. c. 5. th. 4.* Plebis enim ea eſt indoles, vt ſenſibus & imaginatione plus valeat quam iudicio. Nihil autem magis plebem ad venerationem & obſequium incitat, nihil magis autoritatem imperanti apud plebem conciliat, quam externa eiusmodi pompa. Ex hoc fonte quoque reginæ coronantur, quibus tamen nulla imperii poteſtas competit, imo etiam hi, quibus tantum deſtinata eſt futura ſucceſsio, adeoque magis ad *dignitatis regiæ ſplendorem* pertinet, quam vt præciſe ſummæ poteſtatis character ſit. Ex quo fluit, electum regem omnia poſſe iura exercere, etiamſi nondum coronatus ſit, imo etiamſi vel maxime nunquam coronaretur.

(zz) Quot & quænam ſint iura maieſtatica, ſeu ſummi imperii, vno catalogo hic referre non eſt neceſſe, cum ſingulorum naturam *lib. II.* penitius excutere animus ſit. Illuſtrationis tamen gratia paucis adiiciam, quæ Romulus, conditor imperii Romani, ſibi attribuerit. Ita vero Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2.* de eo ait: *Regis quidem hæc munia eximia eſſe iuſſit, primum vt ſacrorum & ſacrificiorum principatum haberet, & omnes res diuinæ & piæ per eum agerentur. Deinde legum & morum patriorum cuſtos eſſet, & omnes iuris naturalis, & ex*

denter & proprio iure in ciuitate competunt ad obtinendum finem reipubl. præfixum.

CAP. V.
De
Limitibus ſummæ in Republica poteſtatis.

§. I.

JUra imperantium duplici modo conſiderari poſſunt: (I.) quoad *externum effectum*, (a) quem produ-

& ex communi hominum conſenſu pactoque ſcripti curam gereret, & de grauiſſimis iniuriis ipſe cognoſceret: leuiorum vero cauſarum cognitionem ſenatoribus permitteret (ita tamen, vt caueret, ne quid interim in iudiciis peccaretur) & ſenatum cogeret, populumque conuocaret, primusque ſententiam diceret, & quæ pluribus viſa fuiſſent, ea faceret. Atque hos honores regi detulit: præterea vero, vt in bello ſummum haberet imperium.

(a) Hæc acceptio *iuris* frequens quoque eſt in iure priuato, vbi illa, quæ *impunita* ſunt & *licita*, *effectum iuris externum* conſequuntur, adeoque eatenus *iuris* eſſe dicuntur, non quod a legibus approbentur, ſed quod impedimentum adſit, quo minus poſſint vindicari. Optime Cicero *Philipp. 13. Nec enim, quod quisque poteſt, id ei licet, nec ſi non obſtatur* (ob impedimentum aliquod iuris vel facti) *ſtatim permittitur* (vel iure ſit optimo, & ſecundum leges naturæ) Interim ſolent potentiores communiter ſuam felicitatem inde metiri, exemplo Syllæ, qui perpetuo felix iudicatus fuit; ſed addit Appianus *lib. 1. d. bell. ciu. p. 693. ſi felicitas dicenda eſt, poſſe quicquid velis.* Sunt itaque magis *iniuſta* quam *iuſta*, ſed tamen pro iuſtis haben-

producunt in Republica, quo ſenſu omnia imperanti *licita* eſſe dicuntur, quatenus eidem reſiſti a ſubditis non poteſt.

§. II. Vel conſiderantur (II.) ſecundum proprie dictam diſpoſitionem iuris naturæ, qua etiam adſtringitur quilibet imperans, quo ſenſu *facultatem legitimam & legibus conformem* (b) deno-

habentur, quod effectum quendam iuris habeant. Videlicet omnia facta regum & imperantium ſunt *licita* & *impunita* hoc ſenſu, vt a nemine diiudicari posſint, quo pertinet illud impudicæ Iuliæ Auguſtæ aſſertum ad Cæſarem: *Si libet, licet. an neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Vell. *lib. 2. c. 100.* Spartian. *in Caracalla c. 10.* Ruſſorum Imperator illimitatam poteſtatem exercet in omnibus, *libere & de voluntate ſua de omnium & vita & bonis, nemine obſtrepente, conſtituit. Conſiliariorum enim nullus eſt, qui diſſuadere aut ſibi in aliqua re, quantumuis iniuſtisſima, reſiſtere audeat. Omnes denique tam proceres quam conſiliarii & totus equeſtris & ſpiritualis ordo fatentur publice, voluntatē principis voluntatem Dei eſſe, & quicquid princeps, quamuis perperam, egerit, ex voluntate Dei agere*, vt ait Alex. Guaguin. *in Sarmatia Europ.* Cum itaque omnia, quæ hoc modo imperans agit, publicum effectum habeant, *iuris* eſſe dicuntur ab effectu externo iuris, quem habent, ſicuti cum prætor iniqua decernit, ius dixiſſe intelligitur, ob effectum rei iudicatæ, quæ ius facit inter partes, licet prætor officio ſuo non bene functus ſit.

(b) Hic ſignificatus etiam in iure priuato primario attenditur. Nam quicquid ſecundum legem naturæ fit, id *iuſte* fieri cenſendum eſt: quicquid autem contra obligationem iuris naturæ fit, id *iniuſte* fit. Imo. rarius

denotant, omne illud agendi, quod ad conſeruationem & tranquillitatem reipubl. facit.

§. III. Si in priori conſideratione iura imperantium intuemur, fruſtra eisdem limites ponimus, (c) quippe limites omnes reſpuentibus & ſua poteſtate inſigniter abutentibus.

§. IV.

rius prior acceptio in *ſubditorum foris* occurrit, cum inter ſubditos ſingula capita iuris naturæ illibata ſint ſeruanda, nec facile quid impunitum relinquendum, niſi corrupta reipubl. facies aliud aliquando poſtulauerit; ſed inter imperantes eſt diuerſa ratio, cum actus eorum ob *ſummitatem* a nemine reſcindi poſſint. Et huc forſan reſpexit antiquorum decantata doctrina *de plenitudine poteſtatis*, ſecundum quam imperantem omnia quæque facere poſſe dixere, etiam durisſima & iniquisſima, quibus floſculis antiquorum JCtorum libri referti ſunt. Sic Baldus in *c. cum ſuper. col. 1. X. de cauſ. propr. & poſſ.* de hac ipſa ita loquitur: *Hoc caſu nemo poteſt dicere, cur ita facis?* (Recte, quia ſubditi reſiſtere nequeunt) *quia tunc eſt ſupra ius, contra ius, & extra ius, & eſt omnia.*

(c) Hoc facile patet exinde, quia ſi illis limites eſſent ponendi, aut hoc foret ab *obligatione interna*, aut a *vi externa:* prius fieri nequit, cum illam negligat, imo ſæpe ne quidem ſentiat, aut ſe obligari intelligat, quin quod hic ſolum reſpiciatur ad *effectum externum licentiæ:* poſterius itidem fieri nequit ob *defectum reſiſtentiæ*, cui ſubditi renunciarunt. Valet ergo abſolute, quod agunt imperantes, licet *duriſſima & iniquisſima* agant. Et huc illud apud Saluſt. *de bell. Iugurth. c. 31.* collimat: *impune quælibet facere, id eſt, regem eſſe,* quemadmodum Caligula apud Suetonium *in vita eius c. 29.* ait: *memento omnia mihi & in omnes licere.* Hanc poteſtatem illimitatam, ſed malo ſuo

§. IV. Et hoc ſenſu commodam interpretationem accipiunt, quæ *1. Sam. VIII. de Iure Regio* (d) Iſraelitis proponuntur, non quod exemplar regii iuris inde peti debeat, ſed quod prædixerit Deus Iſraelitis, quales ſint habituri reges, quæque pati ab illis debeant.

§. V. Ius autem verum regium, pro poteſtate legitime & ſecundum præcepta iuris naturæ

ſuo, quoque affectabat Hieronymus Syracuſanus rex, quam initio ſuperbo admodum apparatu expresſit. *Hunc conuenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam difficiles, libidines nouæ, inhumana crudelitas* &c. Liuius *lib. XXIV. c. 5.* En genuinam imaginem imperantis, illimitata poteſtate vtentis, quem potius peſtem reipublicæ dixiſſes.

(d) Sunt, qui putant, ius *verum regium*, adeoque *omnium Regum* hic deſcribi, & hoc ſenſu ſubditos eſſe ſeruos, quod eo, quem dixi, ſenſu admitti poteſt. Alii *herile imperium* tantum deſcribi arbitrantur, alii aliter. Si rem ipſam ex ſuis circumſtantiis eruimus, res ſatis clara erit. Poſtulabant Iſraelitæ regem humanum, & Monarchiam terreſtrem, quo ipſo Deum, regem Iſraelitarum, imperantem mitisſimum & ſapientisſimum, imo ipſam Theocratiam reſpuebant. In eo fine dubio ſtolide agebant, vti ipſe Deus Samueli conteſtabatur, dicendo: *Non te ſed me reiecere.* Deinde poſtulabant regem, ſicuti vicini populi habebant: ergo ob oculos eis ponere Deus iusſit ſtatum futurum, ne posſent de iniuria ſibi facta conqueri, dicitque *hoc futurum eſſe ius* &c. adeoque non ſimpliciter aſſerit, *ita comparatum eſſe debere ius regium*, ſed quale ſit futurum ſecundum morem regum vicinorum, oſtendit.

(e) In

turæ aliquid faciendi acceptum, hic non deſcribi, vel inde patet, quod Deus prædicat, ſe non exauditurum querelas, quas contra regem ad eum eſſent miſſuri. *(e)*

§. VI. Hoc iure illimitato principem ſuum inſtruere voluiſſe videtur Nicolaus Machiauellus, (f) quod quidem tolerari potuiſſet, ſi ſim-

(e) In verſu 18. dicitur: *Si vel maxime ad me clamabitis de rege veſtro*, quæ verba ſupponunt, legitimas quidem tunc futuras querelas Iſraelitarum, ſed ſe *in pœnam* nullo modo has exauditurum eſſe, cum mala hæc regiminis regii ſponte ambierint. Si itaque iuſtæ ſunt querelæ, reuera rex inique egit, hoc iure vtens, & ſubditos inique opprimens. Deinde in *verſ. 14.* dicitur, quod agros & vineas rex ſubditis ſit ademturus: quod ſi iure ſuo id facere poteſt, nec peccaſſet in Nabothum Achabus, quod ei agrum ademerit, quod facinus tamen Deus grauiter vindicauit *1. Reg XXI.*

(f) Fuit Reipubl. Florentinæ Secretarius, multosque aduerſarios nactus eſt, imprimis Barlæum *in Principe Machiauelli*, Poſſeuinum, Gentillettum, Ribadeneira aliosque. Conringius *animaduerſiones* ſcripſit ad eundem, vbi in præfatione oſtendit, illum tantum dominatui leges dare, non iura imperantibus in genere præſcribere, & hoc ſenſu *honeſtatem principatum & dominatum ſtruenti non amplius ſectandam, quam expedit dominatui, huic autem ſæpe illam nocere & inutilem eſſe*, adeoque iura talia principi ſuo attribuit Machiauellus, quæ itidem habent *effectum externum*, hoc eſt, obligantem ſubditos ad patientiam. Putat deinde non eſſe peccatum a Machiauello, ſi inhoneſta commendauerit, modo commendauerit ſolis iis, quibus commendari debebant. Verum an illa Machiauelli intentio

ſimpliciter talia iura enarraſſet, oſtendendo, quod Tyranni hæc iura ſibi vindicarent, & non ſimul commendaſſet; quamuis Conringium defenſorem acceperit, cuius doctrina fere vnice huc tendit, quod talia conſilia Machiauellica vtilia ſint illis principibus, qui ius fasque omne negligunt.

§. VII. Parum quoque ab hac doctrina recedere videtur Hobbeſius (g) & Adrianus Hou-

tentio fuerit, & annon potius plane crediderit, hæc omnia legitime ſimul fieri poſſe, non certo conſtat.

(g) Hobbeſius doctrinam ſuam clare proponit *de ciue cap. VI. §. 12.* vbi illud ſupponit, quod hactenus dictum eſt, *ſcilicet impune debere eſſe quicquid ab eo factum erit.* Ex quo deinde §. *ſeq.* concludit, poteſtatem hanc eſſe abſolutam, vt quidlibet poſſit facere, idque *iure*; viribus & opibus omnium ſuo arbitrio vti, & cum hoc iure coniunctam eſſe *obedientiam ſimplicem*, adeoque vt quicquid imperauerit, hoc *iure* faciat, quanquam non ſemper obliget ad obedientiam, v. c. ſi princeps ſubditum ſe ipſum interficere iubeat. Porro exinde infert, nemini in republ. proprium quid eſſe quicquam contra illum, qui habet ſummum imperium & quæ ſunt alia, quæ eum in ſenſum vtique admitti poſſunt, quod hæc iure fiant a Principe, quatenus nemo ei reſiſtere poſſit, ſed an ab hac doctrina iura imperantium ſint æſtimanda, poſtea videbimus. Addit quidem *cap. XIII.* quale debeat eſſe officium imperantis, quæ reuera omnia hæc deſtruunt, quæ antea dixerat, non quidem quod hæ doctrinæ contradictionem inter ſe inuoluant, ſed quod videatur nimis ſeiunxiſſe *Officium Principis* a *iure*, de quo nunc agendum.

(h) Si

Houtuynus, (h) iura maieſtatica ex hac doctrina de illimitata poteſtate vnice fere æſtimantes.

§. VIII. Verum hic ſtatim ab initio duæ quæſtiones ſunt ſeparandæ: (1.) an hæc, quæ effectum iuris externum habent, ad iura ſuo modo referri poſſint? quod eo, quo dixi, ſenſu, admitti poteſt. (2.) An doctrina de iuribus maieſtaticis ex his principiis primario ducenda, & princeps inde in regimine inſtruendus ſit? quod abſolute nego. (i)

§. IX.

(h) Si doctrinam Houtuyni intuemur, primo intuitu ſat blanda & optima eſſe videtur, præſertim ſi, quæ de *officio imperantium* adſtricto ad leges naturales §. 14. adſerit, & quæ in calce libri ad errores Hobbeſianos refert, paulo attentius conſideremus. Vbi vero poſtea iura imperii explicat, ita eadem explicat, vt ſui quaſi immemor nullos imperanti limites ponat, & iura talia eidem indulgeat, quæ non poſſunt non fini reipubl. eſſe aduerſa, vti in ſingulis capitibus, occaſione ferente, annotabitur.

(i) Supra dictum Prætorem inique decernentem ius feciſſe intelligi ob autoritatem rei iudicatæ. Quod ſi iam vellem iura Magiſtratus ex legitimis principiis deducere, quis tam ieiunus foret, qui fundamenti loco iniquiſſima quæque poneret, ſub hoc prætextu, quod hæc Prætoris iniquitas ius faceret, id quod tantum *ex accidenti* fit. Sic pater inique verberans liberos, *iure* feciſſe dici poteſt, quoniam filius reſiſtere non poteſt, ſed pati iniuriam debet. Quis vero patriæ poteſtatis primarium fundamentum quæreret in *duritie* & *iniquitate*? Simili modo in iure regio indagando & docendo eiusmodi principia ſunt

§. IX. Nam (I.) ex hiſce principiis iura imperantium primario velle determinare, eſt nihil aliud, quam cum Samuele populo publicas calamitates, miſeriam & quæuis mala annunciare, (k) propter quæ mala tamen reſpublicæ

quærenda, quæ iuri naturæ & ſtatui reip. ſunt conformia, non quæ *ex accidenti* forſan eueniunt & magis ad *mala reipubl.* pertinent. Hoc intuitu Claudius apud Tacitum *lib. 12. annal.* Meherdati, quem legati Parthorum regem ſibi expetebant; præcepta dabat, *vt non dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret, clementiamque ac iuſtitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capeſſeret.* Si cum Hobbeſio infers, hanc doctrinam de limitibus ad *officium* imperantis pertinere, non ad ius ſummum, reſponderem, aut doctrina de *officio imperantis* limites poteſtati eius præſcribit, aut non. Priori caſu ſalua eſt doctrina noſtra; poſteriori vero otioſa eſt doctrina *de officio imperantium*, omni effectu deſtituta, quem tunc demum conſequitur, ſi poteſtatem eius reſtringit. Concludo hanc meditationem dicto Auguſtini *lib. 4. de ciuit. c. 4. Remota iuſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?*

(k) Annunciabat Samuel iura regia, ſeu quæ reges, dominatum exercentes, ſibi tribuere ſolent, non quæ iis ſecundum leges naturales competunt h. e. publica mala, calamitates communes, quas ſub regibus perpeti deberent, vt eo magis populus poſſit conuinci de ſtultitia commiſſa; hæc fuit mens, hæc intentio Dei & Samuelis, non quod voluerint reges inſtruere, quale ius eſſet ſeruandum in regno futuro Judaico, ſed vt populo rebelli erga Deum potius indicarentur mala imminentia ex inordinato appetitu.

publicæ non introductæ, quod adhuc eo miſerius foret, ſi per hanc doctrinam legitimarentur.

§. X. (II.) Fundamentum tale abſolutum pugnat cum lege naturæ. (l) Iam iura regia ex iu-

petitu. Hoc intuitu autor *tr. du gouuernement ciuile c. VI. §. 14.* cenſet, huiusmodi poteſtatem abſolutam pugnare cum ſocietate ciuili. Suboluit Hobbeſius *tr. de Ciue c. 6. §. 13. in not.* hanc obiectionem, quod ſcilicet ſi quisquam tale ius abſolutum haberet, ciuium conditio miſerrima foret, quæ tamen ad felicitatem ciuilem in Republ. eſſet deducenda. Sed reſpondet, *etſi iure i. e. ſine iniuria ſibi illata, non tamen iuſte i. e. ſine violatione legum naturalium & iniuria in Deum faciet.* Verum fluit hæc reſponſio ex principio ſupra reiecto, quod imperans ſubditis non obligetur, & quod in genere inter homines nulla talis obligatio ſupponi debeat.

(l) Lex naturæ obligat *ſingulos* ad pacem ſeruandam & tranquillitatem *totius humani generis*, vel vt eleganter dicit doctiſsimus Clericus *ad Pentateuch. Exod. XXI. ius hominum ſitum eſt in generis humani ſocietate,* quorſum etiam collimat Autor *du gouuernement ciuil c. I. §. 4.* aiens: *Le loi de la nature a pour but la tranquillité & la conſeruation du genre humain.* Hoc poſito, eadem lex quoque obligat quoslibet imperantes, vt *iura* ſua exerceant intra *modum huius vinculi.* Certe iis naturæ imperanti non potuit maiorem attribuere poteſtatem, quam quæ eſſet concluſa intra *obligationem ad pacem ciuilem ſeruandam.* Neque populus plus poteſtatis ei in ſe dediſſe credendus eſt. Exprimam hoc verbis eruditiſsimi ICti Noodtii *Orat. de iure ſummi imper.* aientis: *Liberum habet arbitrium, qui nullis includitur finibus, nec tamen*

 patitur

§. XXXIII. (XIII.) Multo minus exinde diverſitas inducitur, vtrum regnum ſit electivum an ſucceſſiuum, (u) patrimoniale an non patrimoniale, (x) temporarium an perpetuum, (y) quæ quidem in aliis differentiam iurium

— in his vel illis ciuibus nunc maior nunc minor ſit efficacia, vbiq; enim actus imperantium manent independentes ſeu irretractabiles.

(u) Obſtat, quod maior videatur eſſe poteſtas imperantis in ſucceſſiuo quam electiuo, prout legati a Ludouico rege ad Fridericum II. miſſi apud Matth. Paris. philoſophantur, aientes: *Nec nos pulſat ambitio. Credimus enim dominum noſtrum Regem Galliæ, quem linea regii ſanguinis prouexit ad ſceptra Francorum regendum, excellentiorem eſſe aliquo imperatore, quem ſola electio prouehit voluntaria.* Sed nulla conſtat hæc ſententia ratione ſolida. Electio & ſucceſſio ſunt *modi* imperium continuandi, ſed non maior alteri præ altero competit poteſtas: ſaltem hoc certum eſt, quod ſummum imperium ubique idem h. e. non dependens ſit ab alio.

(x) Equidem in non-patrimoniali denegatur poteſtas alienandi, ſed inde imperium non deſinit eſſe ſummum, cum nihilominus adhuc actus imperantis inualidari ab aliis nequeat.

(y) Ratio dubitandi hæc præcipue eſt, quod imperans cogi poſſe videatur ad imperium deponendum, tempore præterlapſo. Sed tamen α) hæc coactio ceſſat, quamdiu ſummum habet imperium, & tunc demum incipit, vbi imperium eius exſpirauit, quo ipſo in priuatorum ſortem redigitur. Hoc Horatius Appio Claudio decemuiratum vltra annum extendenti obiecit, aiens: *Nonne in annum reipubl. adminiſtratio vobis commiſſa fuit? nonne veſtri magiſtratus tempus eſt elapſum? Nonne*

um inducunt, nullo modo quoad ſummitatem imperii.

§. XXXIV. (XIV.) Denique hoc quoque ex natura ſummi imperii fluit, nihil addere vel detrahere ſummæ poteſtati imperantium coronationes, cum illæ quoque ſint arbitrariæ, & ſolenniores declarationes (z) tantum, & in rebus-

Norne ex ipſa lege nunc eſtis priuati? Dion. Halicarnaſſ. *lib. XI.* β) Sufficit, quod interim omnes actus ſummi imperii *independenter* exerceat, nec ad rationes reddendas populo vel alii obſtrictus ſit. γ) temporis itaque diuturnitas vel duratio nec auget nec minuit imperium. Talem poteſtatem olim Dictatores Romani fere habuiſſe videntur, de quibus Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. V.* hæc habet: *In hoc rerum ſtatu Senatus deſpiciens quo pacto effici poſſit, ne quas amplius res moliretur populus, decreuit, conſulari poteſtate in praſens ſublata, alium Magiſtratum creare, penes quem belli paciaque & omnium aliarum rerum plena poteſtas eſſet, & a quo conſiliorum actorumque rationem repoſcere non liceret.* Quamvis Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 8.* ab *initio* exiſtimet, dictatorem tantum nudum commiſſarium fuiſſe, conſ. Hobbes *de ciue c. 7. §. 16.*

(z) Optime Becman. *in Synt. dignit. ill. diſſ. 5. c. 1. §. 1.* inaugurationes nihil aliud eſſe dicit, quam *publicationes regiæ dignitatis, quibus reges non nouum ius acquirunt, ſed ſuſceptam a ſe dignitatem, ſubditi promiſſum eis obſequium ſuum, publice declarant.* Origo harum ceremoniarum quidem ex origine decori in genere petenda eſt, ſpecialiter vero ex duplici cauſa deriuanda eſſe videtur: (1.) vt regiæ dignitatis eo efficacius exſtet indicium, præſertim cum apud Ethnicos reges quandam diuinam venerationem a ſubditis poſtulaſſe videantur. (2.) Vt ſubditis imperans eo vene-

rebuſpubl. Ariſtocraticis & Democraticis eadem occurrat vis imperandi, licet tales externi ritus inaugurationum deficiant.

§. XXXV. Hæc poteſtas ſumma alias dici ſolet *Maieſtas*, & iura inde dependentia, *Maieſtatica*, quæ nihil aliud ſunt, quam *complexus* (zz) *iurium variorum, quæ imperanti independenter*

venerabilior redderetur. Inde regibus ſolennia inſignia ab antiquis temporibus attributa ſunt, quæ apud quascunque gentes variant, vid. Knichen. *in oper. polit. lib. 2. P. 1. c. 5. th. 4.* Plebis enim ea eſt indoles, vt ſenſibus & imaginatione plus valeat quam iudicio. Nihil autem magis plebem ad venerationem & obſequium incitat, nihil magis autoritatem imperanti apud plebem conciliat, quam externa eiusmodi pompa. Ex hoc fonte quoque reginæ coronantur, quibus tamen nulla imperii poteſtas competit, imo etiam hi, quibus tantum deſtinata eſt futura ſucceſſio, adeoque magis ad *dignitatis regiæ ſplendorem* pertinet, quam vt præciſe ſummæ poteſtatis character ſit. Ex quo fluit, electum regem omnia poſſe iura exercere, etiamſi nondum coronatus ſit, imo etiamſi vel maxime nunquam coronaretur.

(zz) Quot & quænam ſint iura maieſtatica, ſeu ſummi imperii, vno catalogo hic referre non eſt neceſſe, cum ſingulorum naturam *lib. II.* penitius excutere animus ſit. Illuſtrationis tamen gratia paucis adiiciam, quæ Romulus, conditor imperii Romani, ſibi attribuerit. Ita vero Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2.* de eo ait: *Regis quidem hæc munia eximia eſſe iuſſit, primum vt ſacrorum & ſacrificiorum principatum haberet, & omnes res diuinæ & piæ per eum agerentur. Deinde legum & morum patriorum cuſtos eſſet, & omnes iuris naturalis, & ex*

denter & proprio iure in ciuitate competunt ad obtinendum finem reipubl. præfixum.

CAP. V.
De
Limitibus ſummæ in Republica poteſtatis.

§. I.

Iura imperantium duplici modo conſiderari poſſunt: (I.) quoad *externum effectum,* (a) quem produ-

& ex communi hominum conſenſu pactoque ſcripti curam gereret, & de grauiſſimis iniuriis ipſe cognoſceret: leuiorum vero cauſarum cognitionem ſenatoribus permitteret (ita tamen, vt caueret, ne quid interim in iudiciis peccaretur) & ſenatum cogeret, populumque conuocaret, primusque ſententiam diceret, & quæ pluribus viſa fuiſſent, ea faceret. Atque hos honores regi detulit: præterea vero, vt in bello ſummum haberet imperium.

(a) Hæc acceptio *iuris* frequens quoque eſt in iure priuato, vbi illa, quæ *impunita* ſunt & *licita*, *effectum iuris externum* conſequuntur, adeoque eatenus *iuris* eſſe dicuntur, non quod à legibus approbentur, ſed quod impedimentum adſit, quo minus poſſint vindicari. Optime Cicero *Philipp. 13. Nec enim, quod quisque poteſt, id ei licet, nec ſi non obſtatur* (ob impedimentum aliquod iuris vel facti) *ſtatim permittitur* (vel iure ſit optimo, & ſecundum leges naturæ) Interim ſolent potentiores communiter ſuam felicitatem inde metiri, exemplo Syllæ, qui perpetuo felix iudicatus fuit; ſed addit Appianus *lib. 1. d. bell. ciu. p. 693. ſi felicitas dicenda eſt, poſſe quicquid velis.* Sunt itaque magis *iniuſta* quam *iuſta*, ſed tamen pro iuſtis haben-

producunt in Republica, quo ſenſu omnia imperanti *licita* eſſe dicuntur, quatenus eidem reſiſti a ſubditis non poteſt.

§. II. Vel conſiderantur (II.) ſecundum proprie dictam diſpoſitionem iuris naturæ, qua etiam adſtringitur quilibet imperans, quo ſenſu *facultatem legitimam & legibus conformem* (b) deno-

habentur, quod effectum quendam iuris habeant. Videlicet omnia facta regum & imperantium ſunt *licita* & *impunita* hoc ſenſu, vt a nemine diiudicari poſſint, quo pertinet illud impudicæ Iuliæ Auguſtæ aſſertum ad Cæſarem: *Si libet, licet. an neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Vell. *lib. 2. c. 100.* Spartian. *in Caracalla c. 10.* Ruſſorum Imperator illimitatam poteſtatem exercet in omnibus, *libere & de voluntate ſua de omnium & vita & bonis, nemine obſtrepente, conſtituit. Conſiliariorum enim nullus eſt, qui disſuadere aut ſibi in aliqua re, quantumuis iniuſtisſima, reſiſtere audeat. Omnes denique tam proceres quam conſiliarii & totus equeſtris & ſpiritualis ordo fatentur publice, voluntatẽ principis voluntatem Dei eſſe, & quicquid princeps, quamuis perperam, egerit, ex voluntate Dei agere*, vt ait Alex. Guaguin. *in Sarmatia Europ.* Cum itaque omnia, quæ hoc modo imperans agit, publicum effectum habeant, *iuris* eſſe dicuntur ab effectu externo iuris, quem habent, ſicuti cum prætor iniqua decernit, ius dixiſſe intelligitur, ob effectum rei iudicatæ, quæ ius facit inter partes, licet prætor officio ſuo non bene functus ſit.

(b) Hic ſignificatus etiam in iure priuato primario attenditur. Nam quicquid ſecundum legem naturæ fit, id *iuſte* fieri cenſendum eſt: quicquid autem contra obligationem iuris naturæ fit, id *iniuſte* fit. Imo rarius

denotant, omne illud agendi, quod ad conſeruationem & tranquillitatem reipubl. facit.

§. III. Si in priori conſideratione iura imperantium intuemur, fruſtra eisdem limites ponimus, (c) quippe limites omnes reſpuentibus & ſua poteſtate inſigniter abutentibus.

§. IV.

rius prior acceptio in *ſubditorum foris* occurrit, cum inter ſubditos ſingula capita iuris naturæ illibata ſint ſeruanda, nec facile quid impunitum relinquendum, niſi corrupta reipubl. facies aliud aliquando poſtulauerit; ſed inter imperantes eſt diuerſa ratio, cum actus eorum ob *ſummitatem* a nemine reſcindi poſſint. Et huc forſan reſpexit antiquorum decantata doctrina *de plenitudine poteſtatis*, ſecundum quam imperantem omnia quæque facere poſſe dixere, etiam durisſima & iniquisſima, quibus floſculis antiquorum JCtorum libri referti ſunt. Sic Baldus in *c. cum ſuper. col. 1. X. de cauſ. propr. & poſſ.* de hac ipſa ita loquitur: *Hoc caſu nemo poteſt dicere, cur ita facis?* (Recte, quia ſubditi reſiſtere nequeunt) *quia tunc eſt ſupra ius, contra ius, & extra ius, & eſt omnia.*

(c) Hoc facile patet exinde, quia ſi illis limites eſſent ponendi, aut hoc foret ab *obligatione interna*, aut a *vi externa:* prius fieri nequit, cum illam negligat, imo ſæpe ne quidem ſentiat, aut ſe obligari intelligat, quin quod hic ſolum reſpiciatur ad *effectum externum licentiæ:* poſterius itidem fieri nequit ob *defectum reſiſtentiæ*, cui ſubditi renunciarunt. Valet ergo abſolute, quod agunt imperantes, licet *durisſima* & *iniquisſima* agant. Et huc illud apud Saluſt. *de bell. Iugurth. c. 31.* collimat: *impune qualibet facere, id eſt, regem eſſe,* quemadmodum Caligula apud Suetonium *in vita eius c. 29.* ait: *memento omnia mihi & in omnes licere.* Hanc poteſtatem illimitatam, ſed malo

ſuo

§. IV. Et hoc ſenſu commodam interpretationem accipiunt, quæ *1. Sam. VIII. de Iure Regio* (d) Iſraelitis proponuntur, non quod exemplar regii iuris inde peti debeat, ſed quod prædixerit Deus Iſraelitis, quales ſint habituri reges; quæque pati ab illis debeant.

§. V. Ius autem verum regium, pro poteſtate legitime & ſecundum præcepta iuris naturæ

ſuo, quoque affectabat Hieronymus Syracuſanus rex, quam initio ſuperbo admodum apparatu expresſit. *Hunc conuenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam difficiles, libidines nouæ, inhumana crudelitas* &c. Liuius *lib. XXIV. c. 5.* En genuinam imaginem imperantis, illimitata poteſtate vtentis, quem potius peſtem reipublicæ dixiſſes.

(d) Sunt, qui putant, ius *verum regium*, adeoque *omnium Regum* hic deſcribi, & hoc ſenſu ſubditos eſſe ſeruos, quod eo, quem dixi, ſenſu admitti poteſt. Alii *herile imperium* tantum deſcribi arbitrantur, alii aliter. Si rem ipſam ex ſuis circumſtantiis eruimus, res ſatis clara erit. Poſtulabant Iſraelitæ regem humanum, & Monarchiam terreſtrem, quo ipſo Deum, regem Iſraelitarum, imperantem mitisſimum & ſapientisſimum, imo ipſam Theocratiam reſpuebant. In eo ſine dubio ſtolide agebant, vti ipſe Deus Samueli conteſtabatur, dicendo: *Non te ſed me reiecere.* Deinde poſtulabant regem, ſicuti vicini populi habebant: ergo ob oculos eis ponere Deus iusſit ſtatum futurum, ne posſent de iniuria ſibi facta conqueri, dicitque *hoc futurum eſſe ius* &c. adeoque non ſimpliciter aſſerit, *ita comparatum eſſe debere ius regium*, ſed quale ſit futurum ſecundum morem regum vicinorum, oſtendit.

(e) In

turæ aliquid faciendi acceptum, hic non deſcribi, vel inde patet, quod Deus prædicat, ſe non exauditurum querelas, quas contra regem ad eum eſſent miſſuri. (e)

§. VI. Hoc iure illimitato principem ſuum inſtruere voluiſſe videtur Nicolaus Machiauellus, (f) quod quidem tolerari potuiſſet, ſi ſim-

(e) In verſu 18. dicitur: *Si vel maxime ad me clamabitis de rege veſtro*, quæ verba ſupponunt, legitimas quidem tunc futuras querelas Iſraelitarum, ſed ſe *in pœnam* nullo modo has exauditurum eſſe, cum mala hæc regiminis regii ſponte ambierint. Si itaque iuſtæ ſunt querelæ, reuera rex inique egit, hoc iure vtens, & ſubditos inique opprimens. Deinde in *verſ. 14.* dicitur, quod agros & vineas rex ſubditis ſit ademturus: quod ſi iure ſuo id facere poteſt, nec peccaſſet in Nabothum Achabus, quod ei agrum ademerit, quod facinus tamen Deus grauiter vindicauit *1. Reg XXI.*

(f) Fuit Reipubl. Florentinæ Secretarius, multosque aduerſarios nactus eſt, imprimis Barlæum *in Principe Machiauelli*, Poſſeuinum, Gentillettum, Ribadeneira aliosque. Conringius *animaduerſiones* ſcripſit ad eundem, vbi in præfatione oſtendit, illum tantum dominatui leges dare, non iura imperantibus in genere præſcribere, & hoc ſenſu *honeſtatem principatum & dominatum ſtruenti non amplius ſectandam, quam expedit dominatui, huic autem ſæpe illam nocere & inutilem eſſe*, adeoque iura talia principi ſuo attribuit Machiauellus, quæ itidem habent *effectum externum*, hoc eſt, obligantem ſubditos ad patientiam. Putat deinde non eſſe peccatum a Machiauello, ſi inhoneſta commendauerit, modo commendauerit ſolis iis, quibus commendari debebant. Verum an illa Machiauelli intenti-

ſimpliciter talia iura enarraſſet, oſtendendo, quod Tyranni hæc iura ſibi vindicarent, & non ſimul commendaſſet; quamuis Conringium defenſorem acceperit, cuius doctrina fere vnice huc tendit, quod talia conſilia Machiauellica vtilia ſint illis principibus, qui ius fasque omne negligunt.

§. VII. Parum quoque ab hac doctrina recedere videtur Hobbeſius (g) & Adrianus Hou-

tentio fuerit, & annon potius plane crediderit, hæc omnia legitime ſimul fieri poſſe, non certo conſtat.

(g) Hobbeſius doctrinam ſuam clare proponit *de ciue cap. VI. §. 12.* vbi illud ſupponit, quod hactenus dictum eſt, *ſcilicet impune debere eſſe quicquid ab eo factum erit.* Ex quo deinde *§. ſeq.* concludit, poteſtatem hanc eſſe abſolutam, vt quidlibet poſſit facere, idque *iure*; viribus & opibus omnium ſuo arbitrio vti, & cum hoc iure coniunctam eſſe *obedientiam ſimplicem*, adeoque vt quicquid imperauerit, hoc *iure* faciat, quanquam non ſemper obliget ad obedientiam, v. c. ſi princeps ſubditum ſe ipſum interficere iubeat. Porro exinde infert, nemini in republ. proprium quid eſſe quicquam contra illum, qui habet ſummum imperium & quæ ſunt alia, quæ eum in ſenſum vtique admitti poſſunt, quod hæc iure fiant a Principe, quatenus nemo ei reſiſtere poſſit, ſed an ab hac doctrina iura imperantium ſint æſtimanda, poſtea videbimus. Addit quidem *cap. XIII.* quale debeat eſſe officium imperantis, quæ reuera omnia hæc deſtruunt, quæ antea dixerat, non quidem quod hæ doctrinæ contradictionem inter ſe inuoluant, ſed quod videatur nimis ſeiunxiſſe *Officium Principis a iure*, de quo nunc agendum.

(h) Si

Houtuynus, (h) iura maieſtatica ex hac doctrina de illimitata poteſtate vnice fere æſtimantes.

§. VIII. Verum hic ſtatim ab initio duæ quæſtiones ſunt ſeparandæ: (1.) an hæc, quæ effectum iuris externum habent, ad iura ſuo modo referri posſint? quod eo, quo dixi, ſenſu, admitti poteſt. (2.) An doctrina de iuribus maieſtaticis ex his principiis primario ducenda, & princeps inde in regimine inſtruendus ſit? quod abſolute nego. (i)

§. IX.

(h) Si doctrinam Houtuyni intuemur, primo intuitu ſat blanda & optima eſſe videtur, præſertim ſi, quæ de *officio imperantium* adſtricto ad leges naturales §. 14. adſerit, & quæ in calce libri ad errores Hobbeſianos refert, paulo attentius conſideremus. Vbi vero poſtea iura imperii explicat, ita eadem explicat, vt ſui quaſi immemor nullos imperanti limites ponat, & iura talia eidem indulgeat, quæ non posſunt non fini reipubl. eſſe aduerſa, vti in ſingulis capitibus, occaſione ferente, annotabitur.

(i) Supra dictum Prætorem inique decernentem ius feciſſe intelligi ob autoritatem rei iudicatæ. Quod ſi iam vellem iura Magiſtratus ex legitimis principiis deducere, quis tam ieiunus foret, qui fundamenti loco iniquisſima quæque poneret, ſub hoc prætextu, quod hæc Prætoris iniquitas ius faceret, id quod tantum *ex accidenti* fit. Sic pater inique verberans liberos, *iure* feciſſe dici poteſt, quoniam filius reſiſtere non poteſt, ſed pati iniuriam debet. Quis vero patriæ poteſtatis primarium fundamentum quæreret in *duritie* & *iniquitate*? Simili modo in iure regio indagando & docendo eiusmodi principia ſunt

 quæren-

§. IX. Nam (I.) ex hiſce principiis iura imperantium primario velle determinare, eſt nihil aliud, quam cum Samuele populo publicas calamitates, miſeriam & quæuis mala annunciare, (k) propter quæ mala tamen reſpublicæ

quærenda, quæ iuri naturæ & ſtatui reip. ſunt conformia, non quæ *ex accidenti* forſan eueniunt & magis ad *mala reipubl.* pertinent. Hoc intuitu Claudius apud Tacitum *lib.12. annal.* Meherdati, quem legati Parthorum regem ſibi expetebant; præcepta dabat, *vt non dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret, clementiamque ac iuſtitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capeſſeret.* Si cum Hobbeſio infers, hanc doctrinam de limitibus ad *officium* imperantis pertinere, non ad ius ſummum, reſponderem, aut doctrina de *officio imperantis* limites poteſtati eius præſcribit, aut non. Priori caſu ſalua eſt doctrina noſtra; poſteriori vero otioſa eſt doctrina *de officio imperantium*, omni effectu deſtituta, quem tunc demum conſequitur, ſi poteſtatem eius reſtringit. Concludo hanc meditationem dicto Auguſtini *lib. 4. de ciuit. c. 4. Remota iuſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?*

(k) Annunciabat Samuel iura regia, ſeu quæ reges, dominatum exercentes, ſibi tribuere ſolent, non quæ iis ſecundum leges naturales competunt h. e. publica mala, calamitates communes, quas ſub regibus perpeti deberent, vt eo magis populus poſſit conuinci de ſtultitia commiſſa; hæc fuit mens, hæc intentio Dei & Samuelis, non quod voluerint reges inſtruere, quale ius eſſet ſeruandum in regno futuro Judaico, ſed vt populo rebelli erga Deum potius indicarentur mala imminentia ex inordinato appetitu,

publicæ non introductæ, quod adhuc eo miſerius foret, ſi per hanc doctrinam legitimarentur.

§. X. (II.) Fundamentum tale abſolutum pugnat cum lege naturæ. (l) Iam iura regia ex iu-

petitu. Hoc intuitu autor *tr. du gouuernement ciuile c. VI. §. 14.* cenſet, huiusmodi poteſtatem abſolutam pugnare cum ſocietate ciuili. Suboluit Hobbeſius *tr. de Ciue c. 6. §. 13. in not.* hanc obiectionem, quod ſcilicet ſi quisquam tale ius abſolutum haberet, ciuium conditio miſerrima foret, quæ tamen ad felicitatem ciuilem in Republ. eſſet deducenda. Sed reſpondet, *etſi iure i. e. ſine iniuria ſibi illata, non tamen iuſte i. e. ſine violatione legum naturalium & iniuria in Deum faciet.* Verum fluit hæc reſponſio ex principio ſupra reiecto, quod imperans ſubditis non obligetur, & quod in genere inter homines nulla talis obligatio ſupponi debeat.

(l) Lex naturæ obligat *ſingulos* ad pacem ſeruandam & tranquillitatem *totius humani generis*, vel vt eleganter dicit doctisſimus Clericus *ad Pentateuch. Exod. XXI. ius hominum ſitum eſt in generis humani ſocietate*, quorſum etiam collimat Autor *du gouuernement ciuil c. I. §. 4.* aiens: *Le loi de la nature a pour but la tranquillité & la conſeruation du genre humain.* Hoc poſito, eadem lex quoque obligat quoslibet imperantes, vt *iura* ſua exerceant intra *modum huius vinculi.* Certe ius naturæ imperanti non potuit maiorem attribuere poteſtatem, quam quæ eſſet concluſa intra *obligationem ad pacem ciuilem ſeruandam.* Neque populus plus poteſtatis ei in ſe dediſſe credendus eſt. Exprimam hoc verbis eruditisſimi ICti Noodtii *Orat. de iure ſummi imper.* aientis: *Liberum habet arbitrium, qui nullis includitur finibus, nec tamen*

 patitur

ex iure naturæ deducere velle, quæ eſſent contra ius naturæ, inſigni haud careret abſurditate.'

§. XI. Imo (III.) cum iura ſocietatum omnium, & ſic etiam ciuilium, potiſſimum ſint æſtimanda ex fine & ſcopo ſocietatis primario, (m) inconueniens videtur, fundamenti loco

patitur humani ratio conſilii, vt ius probri ſceleris ac flagitii princeps accepiſſe eo exiſtimetur, quod de eo bene ſperauit populus, qui eum quaſi virum bonum publicæ priuatæque vtilitatis diſceptatorem elegit, nec opus eſſe putauit, quem tanta tamque libera poteſtate ornabat, pactis adſtringi ad id, quod vltro facturus videbatur. Magis populus cum non expreſſis ac diſertis verbis ei infrenatam dedit poteſtatem, tacite pactus videtur, vt, quam habet Princeps, non ad ſuam libidinem, ſed ad naturæ legem componat.

(m) In omni ſocietate *formam* ex *fine* deſumendam eſſe recte aſſerunt eruditi, quia exinde totum negotium *ſocietatis* diiudicatur. Iam omnis ſocietas conſiſtit in *vnione* plurium ad certum finem; neceſſario itaque poteſtas eius ſocietatis debet concluſa eſſe *intra terminos finis illius.* Supra vero latius dictum eſt, finem imperiorum eſſe ſatis bonum, nempe eundem, qui eſt iuris naturæ, ſcilicet, *vt publica adſit tranquillitas & pax eo magis corroboretur*, quæ ſatis lubrica erat in ſtatu naturali. Quod ſi imperanti abſolutam poteſtatem tribuis, etiam ſimul ſubditorum ſaluti, quæ ſuprema lex eſſe debebat, male conſulis, & reuera tollis illam vnionem, quæ debebat eſſe inter imperantem & ſubditos, imo illud ipſum iis adimis, propter quod vnius imperio ſe ſubiecerunt. *Nec vnquam ſatis fida potentia, vbi nimia eſt*, ait Tacitus *lib. II. hiſtor.* Aiunt quidem, *per contrariam doctri-*

loco in iuribus imperantium aſſerendis illud ponere, quod finem omnem ſocietatis deſtruit & conculcat, & quod *ex accidenti* tantum pro iure habetur.

§. XII. Praeterea (IV.) quae de iure abſoluto & illimitato vulgo afferuntur, ab hoc loco, vbi de fundamentis legitimae poteſtatis quaeritur, alieniſſima ſunt, cum potius referri debeant ad caput *de obligatione & patientia ſubditorum*; hoc enim intuitu demum iuris effectum habent, quatenus ſubditi patienter omnia mala ferre debeant: *per ſe* (n) itaque non

doctrinam imperantes non reduci ad officium ſuum. Verum an propterea praecepta iuris naturae ſunt euertenda, & ad palatum Tyrannorum accommodanda, quod homines per *doctrinam iuris naturae* non viuant ſecundum leges? An ius naturae ex hominum deprauatis affectibus deducendum, quod iis indulgeant. Concedo *ſuadere Principi, quod oporteat, multi laboris eſſe*, vt recte Galba apud Tacitum *lib. I. hiſt.*, non tamen propterea veritas diſſimulanda, vel ad palatum imperantis accommodanda. *Imo*, dicis, *finis Reip. magis euertitur, ſi imperanti leges ponimus.* Id vero falſum eſſe poſtea apparebit, cum per hanc doctrinam magis eleuetur. Aliud eſt, *quid ſubditi pati debeant*, & aliud, *quid imperans facere ex iure ſummo poſſit.* Finis dat menſuram mediis, media ad finem in Republ. obtinendum ſunt ſummum imperium, & inde deducta ſumma poteſtas, ergo huic quoque menſuram dare debet.

(n) Quod *per ſe* & *primario* iura imperantis non ſint aeſtimanda ex *illimitata poteſtate*, patet ex fundamento co-

non pertinent ad iura imperantis, ſed plane *per accidens*, quatenus imperanti reſiſti non poteſt.

§. XIII.

to eorundem, videlicet, *iure naturæ*, quod tantam imperantibus non tribuit poteſtatem. Quin quod *peſſimi* imperantes tantum ita agant, ſecum cum Othone reputantes, *non poſſe principatum ſcelere quæſitum ſubita modeſtia & priſca grauitate retineri.* Tacit. *lib. I. hiſtor.* Quod autem mala ab imperante Reipubl. illata effectum iuris habeant, id reuera *per accidens* eſſe aliquoties dictum. Quando princeps *per ſe* & *primario* ius tale haberet, aut haberet illud ex *lege naturæ*, ſed hoc negant etiam diſſentientes: aut *ex alia Dei conceſſione*, ſed hoc itidem falſum: aut ex *voluntate ſubditorum*, aſt quis crederet, in hoc eos *primario* conſenſiſſe, cum ei imperium detulerint ad *ſecuritatem* & *pacem* conſeruandam. *An præſumendum erat*, ait clariſſ. Noodt *Orat. de iure ſummi imp. homines mentis ſanæ, qui in ciuitatem ac ſub imperium coibant, ne per aliorum vim atque iniuriam naturæ beneficia amitterent, eo dementiæ veniſſe, vt conſtituta ciuitate atque imperio eius finem euerterent, ac naturæ bona in ſui honorem magiſtratus proiicerent, ita vt exemplo pecudum ratione carentium, deinde non in ſuum ſed alterius vſum fructus ferre, eiusque arbitrio paſci, agi, mulgeri, tonderi, iugulari, deglubi ac deuorari vellent? Abſit, non id ratio, non communis ſenſus, non lex naturæ patiatur.* Equidem vrgeri ſolet, neceſſario populum conſenſiſſe, quod ſi imperans etiam iniqua eſſet perpetraturus, tamen eidem reſiſtere nollent. Eſto: interim tamen eidem non dederunt facultatem, talia perpetrandi, ſed ſe tantum obligarunt ad *patientiam* & ſubiectionem, quia viderunt, Rempubl. non poſſe eſſe ſaluam, ſi *reſiſtendi ius* ſingulis

§. XIII. Et denique (V.) ſi dicendum quod res eſt, ex mera adulatione (o) erga imperantem

gulis maneat integrum. Vindictam interim & debitam pœnam Deo committentes, *qui non negligit humana, & ſuperbiæ crudelitatisque etſi ſeræ non leues tamen venire ſolent pœnæ*, vti de Appii crudelitate iudicauit plebs R. apud Liuium *lib. III. c. 56.* Quo ipſo recedere cogor a ſententia eruditisſimi Noodtii, qui *cit. l.* ex hac *limitata poteſtate* concludit, *omni iure diuino & humano puniri eum poſſe, quem liquet negligere legem, in quam pro tuenda omnium ſalute & libertate omnes naturali ratione i. e. diuina voluntate conſenſere.* Aſt quis de eo iudicabit? Non *ſinguli*, quia ſingulis non eſt in ſtatu ciuili iudicium de eo permittendum quod totam rempublicam concernit: nec *totus populus*, quia ita imperans a populo dependeret, eiusque tantum adminiſter eſſet. Agnouit hoc Gregorius Turonenſis qui *lib. V. c. 19.* regem Chilpericum ita alloquitur: *Si quis de nobis, o Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt. Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis. Si autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam.*

(o) Hoc adulationis cacoethes, *vetus illud in republ. malum*, vt ait Tacitus *lib. II. annal.*, aptisſimum ſatis eſt ad hanc doctrinam inculcandam, cum omni *adulationi fœdum crimen ſeruitutis inſit*, iudice Tacito *lib. I. Hiſtor. c. 1.* Egregie hoc ipſum depingit Barclaius *in Argenide lib. 3. c. 11.* his verbis: „Quid miremur Principis violenta adulationis procella inclinatos, quo „ſponte iam volunt iis vocibus credere, quas ſolas „accipiunt? Præſertim nemine ruinam ſuſtinente, „ad quam tanta vis impellit: Nam illi ſapientes, quos „negotiis adhibent, ſeu verentur fruſtra monere, ſeu „medicamentum, quamuis infundat ſalubritatem, tamen

tem hæc inuerſa docendi ratio orta, quo ampliora enim iura imperantibus quis adſcribere poteſt,

„men ingratum eſſe ſcient; his vulneribus non adhi„bent manum aut certe vitia diſtinguunt, quibus ſe „ipſum Rex maculat, ab iis quibus perdit Rempubli„cam. Et contenti vtcunque mederi publicis, non „reſtituunt Principi oculos, quibus ipſe ſuam ſortem „& blandientium fallaciam damnet. Quis familiari„um ſapienter Reges admonuit, ſi auiditate æris in„fames ſunt, ſi nimio venationum ſtudio amittunt „reipublicæ curam, aut cum libidinis exemplis infi„ciunt ſeculum, vel inconſultis amicitiis publicam „inuidiam concitant? Laboramus etiam virtutum no„mina his cupiditatibus fœdare. Cura futuri, labo„rum aſſuetudo, comitas, liberalitas appellantur. Nec „vitia illa tantum, ſed etiam leuiora in his adole„ſcunt mendaciis. Imo cum recte quid ſapiunt, adeo „fictos inueniunt & nimios plauſus, vt ſæpe (cre„dite amici) pudore, qui ceteris aberat, onerati o„culi multum mihi tremuerint: Videbam neque pu„dere iſtos effuſisſimæ fraudis, neque Principes indi„gnari, quod ſibi tam procaciter illuderetur. Quan„tum à comœdia diſtat hic ludus; cum vtrobique in „os laudes, quos apud te proteruo contemtu tan„quam vanos aut pueriliter captos derides? Quod „niſi maiorem regibus genium, quam qui populum „informat, Dii dediſſent, quotusquisque ex his pla„gis euaderet, quæ vel ipſa conſuetudine placent, „quia naſcentium cunas circumdant nec eas memi„nerunt ſibi poni? ſed neque his periculis ſoli Reges „infeſti ſunt: plerique regiis malis in priuata fortuna „laboramus. Reges ſumus ſupplicibus, rurſusque „Rex nobis in cuius eſt manu, quod petimus. Hunc „tentamus blanditiis, hunc illa vanitate conficimus; „Ultro amantem tela quibus percelli Reges ſolent.

Qui

poteſt, eo gratiorem apud Principem ſe futurum credit, atque inde *omnia principum honeſtà & inhoneſta laudat.*

§. XIV. Neque vero aſſeri poteſt, hanc doctrinam eſſe periculoſam (p) ſtatui Reipubl.; nam & veritati ſuus dandus in Republ. locus; nec eo ipſo ſubditis abiudicamus patientiam, quo imperantium iura ſuis includimus cancellis.

§. XV. E contrario a fortiori defendi poteſt ver-

Qui vero hoc adulandi ſtudium damnant, tales limites imperantibus ſuis præſcribunt, quos ius naturæ poſtulat. Non poſſum facere, quin adulatoribus exemplum *Heluidii Priſci* opponam, de quo Epictetus *lib. I. diſſ. c. 2.* ita: *cum præmiſiſſet ad eum Veſpaſianus, ne ingrederetur ſenatum; reſpondit: penes te eſt, ne me ſenatorem patiaris, quamdiu vero ſum, oportet me eo ingredi. Eſto: ſed cum ingreſſus fueris, ait Domitianus, taceas. H. ne me roga, & tacebo. D. ſed me oportet rogare. H. & me dicere, quod videtur iuſtum. D. ſed ſi dixeris, te occidam. H. quando ergo tibi dixi, me eſſe immortalem?*

(p) Concedo hanc doctrinam inimicam eſſe *dominatui* & *tyrannidi*, ſed huic non ſcribo leges, ſed Reipubl. ſecundum leges naturæ conſideratæ. Neque vero quis mihi hoc ipſo imputabit, quod methodo Platonica mihi in idea fingam rempublicam, qualis non datur, id ipſum enim ex hactenus adductis concludi nequit. Explico iura naturæ publica, non mala publica, neque tamen his, ſi eueniunt, ſuos denego effectus, interim in fundamentis ab his abſtinendum duxi, ſimulque credidi, totum hoc caput potius referendum eſſe ad doctrinam *de obligatione ſubditorum.*

vergere doctrinam contrariam in ſummum Reipubl. præiudicium. Si enim Principi talem illimitatam adſcribimus poteſtatem, putant ſe omnia iuſte agere, ſe plane nullis limitibus circumſcriptam habere poteſtatem, (q) ex qua doctrina tot publicæ calamitates oriuntur.

§. XVI.

(q) Imperantes omnia ſibi licere exiſtimant, quæ ſuo palatui grata eſſe ſentiunt, quia eo magis affectibus indulgent, quo minus pœnam aliquam humanam vel reluctantiam timere debent, ſed libere agunt & ſuarum actionum ſoli ſunt iudices. Rarius hi, qui ferocius agunt, ad officium & ſanam mentem redeunt, niſi forſan Dei iudicio per calamitates & ægritudinem corporis in ſe deſcendere cogantur, exemplo Tulli Hoſtilii, de quo Liuius *lib. I. c. 31.* ita: *Ipſe* [Tullus] *longinquo morbo eſt implicitus, tunc adeo fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces, vt qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repente omnibus magnis paruisque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibus etiam populum impleret vulgo iam homines vnam opem ægris corporibus relictam, ſi pax veniaque ab Diis impetrata eſſet, credebant.* Priuati vt plurimum affectus ſuos ſupprimere debent, & quidem *metu pœnæ*, qui a Principe abeſt. Eo proniores itaque ſunt in omnia mala, quo magis hæc legitimantur ſub ſpecie *iuris* alicuius, quia licet per ſe libere ad talia inclinent, tamen ambitionis ratio facit, vt eo citius talia agant, quando habent *prætextum iuris*, a quo abſtinuiſſent, ſi iniquitas illis ob oculos poſita fuiſſet. Si *ambitioni* indulget, iura ſua exinde diiudicabit. Si *auaritiæ*, ſubditorum opes ad ſe rapiet, eos ſervos eſſe credet. Si *luxurioſus*, & tunc luxuriæ iura ſua accommodabit. Sed quæ inde calamitates publicæ! Germania in prouinciam eſſet redacta, ſi barbari, inquit Florus *lib. 4.*

c. 12.

§. XVI. Et cum tam ampliſſimam poteſtatem non adſcribant imperantibus in aliis rei-publ. formis, (r) inconueniens foret, ſoli Monar-

c. 12. n. 22. *tam noſtra vitia quam imperia ferre potuiſſent.* Idem de Britannis aſſerit. Tacitus *in Agric. c.* 13. *Ipſi Britanni delectum & tributa & iniuncta imperii munera impigre obeunt, ſi iniuria abſint. has aegre tolerant.* Porro de Friſiis id. *lib.* 4. *annal. c.* 74. notanter ait: *Friſii pacem exuere, noſtra magis auaritia, quam obſequii impatientes.* Sane quando Doctores tam illimitatam poteſtatem principi tribuunt, haud memores ſunt, ſibi cum eiusmodi perſonis rem eſſe, qui hac doctrina abuti ordinarie ſolent: Depingam hoc verbis Caeſarini Furſtenerii, qui *de ſuprematu c.* 11. *in f.* ita ait: „Imperia ergo Hobbiana neque apud moratiores gentes „neque apud Barbaros extare arbitror, neque poſſibilia neque optanda cenſeo, niſi illi, penes quos „ſumma rerum eſſe debet, angelicis virtutibus polleant; tamdiu enim homines retinendam indicabunt „propriam voluntatem, ſuaeque ſaluti, prout optimum „videbitur, conſulent; quamdiu de Rectorum ſumma „ſapientia & potentia perſuaſi non erunt, quod ad perfectam voluntatis reſignationem neceſſe eſſe. Locum ergo demonſtrationes Hobbianae in ea tantum „Republica habent, cuius Rex Deus eſt, cui ſoli tuto „per omnia confidi poteſt. Idem confirmat Autor *du gouuernement ciuil,* aiens: *la Monarchie abſolue qui ſemble eſtre conſiderée par quelques vns comme les ſeul gouuernement, qui doiue auoir lieu dans le monde, eſt, à vray dire, in compatible auec la ſocieté ciuile, & ne peut nullement eſtre reputée vne forme de gouuernement ciuil,* quod de regulari & ſana republ. intelligendum eſſe credo.

(r) Differentiae rationem ſolidam exinde petunt, quod *Regnum* omne ſit *imperium herile*, imperans *dominus* & ſubditi

narchæ illimitatam poteſtatem adſcribere velle.

§. XVII. Facile autem euitabimus obiectionem Hobbeſii, quam habet *tr. de Ciue c. VI. §. 18.* quod ſcilicet, ſi poteſtas imperantium limitaretur, (s) neceſſe eſſet, vt id fieret a maiori pote-

ſubditi *ſerui*, quemadmodum hoc ſenſu Romani Porſennæ obiiciebant, *non in regno populum Romanum, ſed in libertate eſſe* Liuius *lib. II. c. 15.* Sed hoc petit id, quod eſt in principio. Salomonis imperium certe non erat herile, quod autem regna degenerent in conditionem herilem, fit *ex accidenti*. Fatetur ipſe Hobbes *tr. de Ciue c. 10. §. 8.* libertatem ſingulorum non minorem eſſe ſub Monarchia, quam ſub populo, quæ ſi de eo, *quod fieri debebat*, capiuntur, bene ſeſe habent, ſi vero de *praxi communi*, dubia ſunt. Nam non raro idem vitium, quod in *illimitata poteſtate* vnius deprehenditur, in populari quoque deprehendimus. Eleganter Liuius *lib. XXIV. c. 25.* plebis mores depingit. *Hac natura*, inquit, *multitudinis eſt, aut ſeruit humiliter, aut ſuperbe dominatur. libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modice, nec habere ſciunt: & non ferme deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui auidos & intemperantes plebeiorum animos ad ſanguinem & cædes irritent.* Sed ſicuti hæc in multitudine indomita omnes reprobant, non pro *iure vero* habent, nefas foret, ad iura imperantium talia proprie referre.

(s) Tota vis argumenti dependet ex illuſtratione eius, quid ſit *limites ponere*. Scilicet denotat poteſtatem alicuius ita circumſcribere & reſtringere, ne nimium poſſit excedere. Sic poteſtas dominorum in ſeruos conſtricta eſt ex conſtitutione Antonini Pii *in §. 2. de his qui ſui vel al. iur. ſunt.* Reſtringitur autem poteſtas alicuius vel *lege* vel *pacto*, eoque vel *expreſſo* vel *tacito*,

poteſtate: nam id vtique negari nequit, cum legis naturæ autor eisdem limites ponat: Et deinde

tacito; illa vel *naturali* vel *ciuili* & *humana*. Vtroque modo limites recipit poteſtas regia: (1.) *pacto* cum ſubditis inito, quo pertinent leges fundamentales, quibus ſæpe imperans promittere debet, *quid facere non poſſit*, imo & huc pertinet ipſum *pactum primaeuum*, per quod ſubditos in ſuam recepit ſubiectionem, & eis ipſo facto tranquillitatem & ſecuritatem promiſit, quo ipſo ſibi ipſi limites poſuit, imo ponere debuit. Quod pactum licet ſemper in ipſa imperii ſuſceptione lateat, tamen quibusdam populis ſolenne fuit etiam imperantes ſuos iuramento ad hoc adſtringere. De Tartarorum regum renunciatione ſolenni ſingularia adducit Bodinus *de republ. lib. 1. c. 8.* Antiqui reges Francorum iurare debebant hoc modo: *iuro ego per Deum omnipotentem ac promitto, me iuſte regnaturum, iudicium æquitatem ac miſericordiam facturum.* Bodin. *cit. l.* In hac formula illud ipſum promiſerunt, quod tacite omnes imperantes in ſuſceptione imperii promittunt. (2.) *Lege* non quidem humana ſed natutali. Argumentum Hobbeſii tantum oſtendit, quod non poſſit limites accipere ex *lege* humana *proprie dicta*, quod concedimus, ſed ſupereſt *lex naturæ*, a qua limites accipit. Dicis, tales limites deſtituti ſunt *obligatione coactiua*, ergo inutiles: ſed hoc eſt quod nego. Nam licet illud, quoad ſubditos hoc ſenſu verum ſit, vt principis poteſtatem per reſiſtentiam non poſſint reducere ad ſuos limites, tamen quando doctrinam de *poteſtate principis* ſecundum fundamenta iuris examinamus, omnino hi limites oſtendunt, quid princeps facere poſſit, & ſic in hac limites tales non ſunt diſſimulandi, ne principes plane exleges faciamus. Sic quando imperans conſulit peritos, an hoc facere

deinde ex nuda promiſſione & pacto poſſunt quoque huiusmodi limites oriri, licet paciſcentes ſint impares.

§. XVIII. Neque iuuant Hobbeſium dicta S. Scripturæ (t) pro abſoluto imperio adducta, in c.

facere poſſit? iniquum foret, ſi ex principio de abſoluta poteſtate quis vellet reſpondere, principem hoc facere poſſe, quod tamen ex Hobbeſianiſmo fluit.

(t) Adducit (1.) locum Matth. XXIII. 2. vbi captat verba: *Omnia itaque, quæcunque dixerint vobis, ſeruate.* Verum hic locus non agit de *imperio ciuili*, ſed tantum de *obſequio erga doctores*, quales erant Scribæ & Phariſæi. Deinde ſub voce, *omnia*, complectuntur illa, quæ *in lege Moſaica* erant comprehenſa, & ita hæc obedientia erat reſtricta ad terminos legis Moſaicæ. Neque obſtat, quod dicatur, quia ſedent *ſuper Cathedram Moyſis* h. e. *principis Ciuilis*, nam *cathedra Moyſis* vel denotat *officium Doctoris*, qualis etiam fuit Moyſes; vel *principis* ſeu *legislatoris*, qualem etiam repræſentauit. Iam ex ipſo contextu conſtat, Phariſæos & Scribas cathedram Moyſis tanquam *doctores*, non vero tanquam *iudices ciuiles*, obtinuiſſe. Et poſito, quod loquatur Chriſtus de imperio ciuili, tamen ex voce *Omnia* non euincitur abſolutum imperium, nam Saluator ſubiungit ſtatim: *ſed ſecundum opera eorum ne agatis.* Deinde allegat locum *Rom. XIII. 1.* ex quo infert, poteſtates, quæ erant tempore Pauli fuiſſe approbatas a Deo, omnes autem imperantes eo tempore fuiſſe abſolutos. Verum reſpondeo (1.) Paulus vnice loquitur *de obligatione ſubditorum*, non *de illimitata poteſtate* imperantium, (2.) loquitur *in theſi* de poteſtate diuinitus ordinata, quæ non alia eſſe poteſt, quam quæ ordini Dei inſeruit (3.) non in genere de poteſtate *ſumma* agit, ſed etiam de *ſubalterna*, quam

in c. XI. §. 6. quæ partim de obligatione ſubditorum ad iniqua etiam ferenda obſtrictorum, partim de poteſtate legitime & intra terminos exercita intelligi poſſunt, partim etiam aliena ſunt.

§. XIX. Neque denique doctrinam de *legitima poteſtate imperantium* euertere poteſt inductio tot exemplorum (u) a Monarchiis abſolutis

quam illimitatam fuiſſe, nemo aſſeret. Eundem in ſenſum accipit locum ad *Tit. III. 1. Matth. XXII. 21.* Illud vero ſane ridiculum eſt, quod putet, Chriſtum quoque talem abſolutum Regem ſe gesſiſſe, *Matth. XXI. 2.* dum præcepit diſcipulis, vt aſinam ad ſe adducerent, quod *iure dominii* ſiue *regis iudæorum* feciſſe videretur, cum *tollere ſubditis bona ſit regis abſoluti.* Quomodo vero in ſtatu humilitatis agere potuit regem? & deinde nequidem abſtulit aſinam domino inuito, ſed commodato ſine dubio habuit. Ex V. T. loca quæ allegat, itidem valde contorta ſunt, vbi pleraque ſe reſoluunt in obligationem ſubditorum, de qua hic non eſt quæſtio. & huc pertinet locus *Joſ. I. 16. Deut. V. 27.* & rurſus quoque captat verba: *Omnia*, *cuncta*, quæ tamen iuſta interpretatione adiuuanda ſunt, ne ad iniqua trahantur, alioquin enim cum Apoſtolis potius Deo eſt obediendum quam hominibus. De iure regio *1. Sam. VIII.*, quod itidem pro ſe allegat, ſupra iam actum.

(u) Video ſæpe Hobbeſium ad *mores plerorumque regum* prouocare: neque in eo errat, cum ſupra iam dictum, reges non raro magis afflixiſſe ipſam Rempubl., quam in alia forma fieri ſolet. Nemo inter imperantes ad mentem Hobbeſii iura imperii ſui illimitati tueri rectius videtur, quam Muſcouitarum imperator, ita enim Reinold. Heidenſtein *lib. I. de bello Muſco-*

lutis petitorum, cùm exempla factum non legitiment, ſed tantum oſtendant, miſerrimam fuiſſe non raro ſubditorum conditionem [illegible] ſub

Muſcouit. Muſcouitæ, ait, *leges quibus vtuntur, paucas admodum habent, eamque fere ſolam, vt principis voluntatem pro lege obſeruent, de eo ita illis perſuaſum eſt, per principem tanquam interpretem Deum ſecum coniungi, ac prout de Deo meriti ſint, ita principem vel benignum vel aſperum in ſe eſſe, itaque voluntati eius non ſecus ac diuinæ, ſeu turpia ſeu honeſta, ſeu mala, ſeu bona iubeat, omnibus in rebus parendum pro fidei decreto habent, illeque vitæ & necis omniumque rerum ſummam in ſuos poteſtatem obtinet, vnus omnibus rebus ſumma cum poteſtate præeſt, ſolus omnia imperia adminiſtrat &c.* Huiusmodi imperanti non lex naturæ, ſed voluntas pro lege eſt. Quid dicam de aliis imperiis? De rege Perſarum Plutarchus *ad præfect. indoct.* refert, *quod omnes per ſeruis habuerit, excepta ſua vxore, cuius maxime debuit eſſe dominus.* Exempla probant mores, ſed ius ſecundum leges naturæ conſideratum non probant. Si excipias, regnum Dauidis & Salomonis & nonnullorum aliorum, reliquorum poteſtas præſertim orientalium plerumque fuit Tyrannica. & inde forſan eueniſſe credo, quod quidam inanem crediderint differentiam inter *Tyrannum* & *regem*. Si cauſam quæris, quod plerique tam male regnauerint, recte reſpondent prudentiores, quod obedire&parere antea haud didicerint. Sic enim Solon apud Laertium *lib.1.c.60. Impera, vbi prius didiceris parere. Regi enim cum didiceris, ſcies regere*, & Iſocrates *in Nicoc. vbi didicerint obedire, multo commodius poterunt imperare.* Vnde Plutarchus de Ageſilao prædicat, hoc ei profuiſſe ad rem in republ. bene gerendam, *veniſſe ad imperium non indoctum ſub imperio eſſe.* Denique & Cicero *lib. 3. de LL* hoc etiam confirmat aiens: *Qui bene impe-*

rat

ſub Monarchis, nec tantam ineſſe regnis excellentiam præ aliis Rerumpubl. formis, quam ſibi ſuauiter fingere ſolent.

§. XX. Cum itaque illi ipſi, qui pro illimitata poteſtate pugnant, concedere neceſſum habeant, imperantem ligari lege naturali, neceſſario quoque concedere debent, poteſtatem eius eſſe concluſam intra terminos iuris naturalis, (x) adeoque illa omnia agere non poſſe, quæ iuri naturæ repugnant.

§. XXI.

rat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe. Qui nunquam paruit, nunquam ſibi limites præſcribi paſſus eſt, & ita inſtar indomiti equi poſtea agit, quod exempla tot Tyrannorum docent.

(x) Concedit id quoque Hobbes *de Ciue c. 13. §. 2.* quod *officii eorum ſit, legi naturæ obedire*, ex quo recte concludit, *ſalutem ſubditorum ſummam debere eſſe legem.* Verum ita *illimitata poteſtas* corruit vel ſaltem ex *iniquitate imperantium* ortum trahit. Veſpaſianus *inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud obſtinatus erat, donec indulgentia fortunæ & prauis magiſtris didicit auſusque eſt.* Tacitus *lib. II. hiſtor.* En effigiem genuinam illimitatæ poteſtatis *a prauis magiſtris* & *iniquitate* depictam! Equidem pergit Hobbes: aliud eſt *ius imperantis*, aliud *officium eius*; illud, quid facere *poſſit*, hoc, quid *debeat*, oſtendit. Neque in hoc contradico, ſicuti ab initio ſtatim dictum. In eo tamen remanet cardo controuerſiæ, *vtrum poteſtas imperantis in doctrina de iure publico ſit attemperanda magis ad officium eius*, h. e. *obligationem*, *an vero abſque obligatione conſideranda?* Prius vtique aſſerendum: cum enim maneat adhuc *vinculum humanitatis*

T inter

§. XXI. Atque in eo nunc concordant aperte ſacræ litteræ, quæ *Deut. XVII. 14. ſeqq. ius regium* (y) plane diuerſum deſcribunt ab illo, quod habe-

inter ſubditos & imperantem, poteſtas eius magis conſideranda erit ſecundum obligationem *iuris naturæ.* Rara quidem hæc virtus imperantium, ſed eo magis vrgenda, *vt non minus homines ſe, quam hominibus praeeſſe meminerint*, id quod in Traiano laudat Plinius ſecundus *in paneg. ab init.* Licet vero hæc *obligatio interna*, & ita a *ratione iuſti* ſeparanda videatur; hæc tamen eſt alius indolis, ex ipſo iure naturæ deſcendens, & *ex accidenti* tantum *imperfecta.* Bene autor *tr. du gouuernement ciuil. c. VI. §. 15.* philoſophatur: *Vn tel homme, quoy qu'il s' appelle Czar ou grand Seigneur, ou de quelque autre maniére, qu'on voudra, eſt auſſi bien dans l' eſtat de nature auec tous ceux, qui ſon ſous ſa domination, qu'il y eſt auec tout le reſte du genre-humain.*

(y) In *alleg. textu* Moſes quaſi e longinquo præuidens, quod ſibi populus regem ſit poſtulaturus, regulas præſcribit, quomodo *iura regia* eſſe comparata debeant: (1.) *non alium eſſe eligendum, quam quem Deus electurus ſit.* Deus voluit ſalutem omnium, & imprimis populi Iſraelitici. Optimum ergo erat, ab eo petere regem, qui prodeſſe volebat populo. Ceteri reges plerumque per iniquiſſimas vias thronum occupauerant: & proinde magis Tyranni, quam legitimi reges erant, adeoque hoc præcauere voluit Moſes. (2.) Præcepit, *ne eligeretur extraneus*, qui populum poſſet a Deo abducere, ſed potius ex populo Iſraelitico, qui ſcita, populo Iudaico præſcripta, ſancte conſeruaret & in praxin reduceret. Deinde §. 16. ſpecialia præcepta, tria vitia, per quæ omnia regna corrumpuntur, reſpicientia ſuggeruntur, (α) *ne multos aleret equos* ad nudam pompam; quo præcauere voluit nimiam

habetur *1. Sam. VIII.*, cum hic limites poteſtatis exacte ponantur, ex quibus iudicari poſſit, an poteſtas legitime exerceatur, nec ne?

§. XXII. Et hoc intuitu imperantes in ſacris dicuntur vicarii Dei, *Sap. VI. 5. Pſ. LXXXII. 6.* imo Dei *Ioh. X. 34.* (z)

§. XXIII.

am potentiam ambitioni obnoxiam. (β) Deinde voluptatem præcauere voluit eo præcepto, *ne multas uxores duceret*: & denique (γ) auaritiæ obicem poſuit eo ipſo, dum vetuit, *ne argenti aurique copiam colligeret multam*, optime cognoſcens, regum mores corrumpi hiſce tribus vitiis, quibus & Salomoneum regnum tandem corruptum eſt. Subinde v. *18. ſeqq.* limites eidem ponit, quæ omnia ſimul ad officium regum iudæorum, & ad eorum poteſtatem limitatam recte referri poſſunt.

(z) Inde etiam recte vocantur *Patres patriæ*, cum, iudice Cyro, *nihil inter principem bonum & patrem bonum intersit.* Xenoph. *lib. 8. de inſtit. Cyr. ab init.* Notabile exemplum eſt in Hiſtoria Theodorici Marchionis Brandenb. adducta *tom. VIII. obſeru. Hall. obſ. 16.*, qui cum a Vandalis, quibus imperitabat, tandem eſſet deiectus in miſeriam, dixiſſe fertur: *Excitaui ego iram Dei aduerſus me, cum impoſui nimium operis populo meo, cuius me curatorem, non afflictorem Deus conſtituerat.* Longe aliter Dio, qui apud Plutarchum *in Dione p. 962. lit. b.* tale voluit eſſe Dionyſii regnum, *in quo moderatione & iuſtitia velut parenti præſtanda beneuole illi ſubiecti præſtarent.* Idem Plutarchus *tom. 2. Apophthegm. p. 182. lit. c.* refert: *dicente quodam, omnia honeſta & iuſta eſſe regibus, ſubieciſſe Antigonum, omnino, barbarorum quidem regibus, nobis ſola honeſta pro honeſtis, ſola iuſta pro iuſtis habenda ſunt.* Tullius de ſe prouocatione ad ipſum populum facta, apud

§. XXIII. Et huc redit quoque intentio eorum, qui in ciuitatem coiuere, & obſequium promiſere, quod non illimitata, ſed ad ſalutem & tranquillitatem populi attemperata (a) poteſtas eſſe debeat.

§. XXIV.

Dionyſium Halicarnaſſ. *lib. IV. p. 239* profitetur, *quod verſetur in populo non ſecus ac pater inter filios fuerit.* Herodotus in *Thalia* refert, Perſas dixiſſe *Darium regem, quoniam res omnes quæſtui habebat, & conſtituit tributi ordinationem, fuiſſe inſtitorem: Cambyſem dominum, quia aſper & moroſus erat: Cyrum vero patrem, quoniam mitis erat, & omni ratione de iis mereri ſtudebat.* Vnde & Eraſmus *de inſtit. princ.* huc reſpexit, aiens: *Bonus princeps non alio animo debet eſſe in ſuos ciues, quam bonus paterfamil. in ſuos domeſticos. Quid enim aliud eſt regnum, quam magna familia, quid rex, niſi plurimorum pater?* & Libanius *Orat.* 12. idem confirmat, aſſerens: *Oportet regem patri ſimilem eſſe.* Expreſſius Seneca *lib. I. de clement. c. 14. Hoc quod parenti, ait, etiam principi faciendum eſt, quem appellamus patrem patriæ, non adulatione vana adducti - - patrem quidem patriæ appellauimus, vt ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens &c.* Hinc Ouidius Auguſtum eleganter admonet *lib. 2. Triſt.*

Tu quoque cum patriæ rector dicare, paterque,
Vtere more Dei, nomen habentis idem.

Propterea huius appellationis honor apud Romanos in magno pretio habitus fuit, vt non quibusuis imperatoribus, ſed *dignis* tantum tribueretur, & quidem *publico decreto, vt abſolutæ virtutis teſtimonium,* teſte Appiano *lib. II. de bello ciuil. p. 715.*

(a) Apprime Seneca *lib. 1. de Clement. c. 18. Ciuium non ſeruitus, ſed tutela principi tradita eſt.* Seruitus illimitatam; tutela bene moderatam poteſtatem ſupponit.

(b) Opti-

§. XXIV. Generatim autem ex lege naturæ tantum illa imperans poteſt, quæ non aduerſantur ſaluti totius corporis ciuilis, (b) iuxta vulgatum: Salus populi ſuprema lex eſto. Quæ autem huic aduerſantur, ad illa agenda ius nullum habet.

§. XXV. In quo autem ſalus Reipubl. ſita ſit, de eo quidem naturaliter ipſi imperantes iudicant, interim tamen iudicium ita comparatum eſſe debet, vt non primario priuata commoda quærant, ſed vt toti reipubl. quoque bene ſit, (c) in cuius gratiam imperium exercent.

§. XXVI.

(b) Optime Cicero *lib. 8. epiſt. 11. ad Attic.* vbi ita: *Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoriæ: ſic huic moderatori reip. beata ciuium vita propoſita eſt; vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum eſſe effectorem volo.* Expreſſius vero idem *lib. I. de Offic.* hoc ex doctrina Platonis illuſtrat, aiens: *Omnino, qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant, vt quicquid agunt, ad eam referant obliti commodorum ſuorum; alterum, vt totum corpus reipubl. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.*

(c) Equidem omnes homines ita comparati ſunt, vt priuatam quærant vtilitatem: quid ergo mirandum, ſi etiam in imperante valeat illud Taciti: *Priuata cuique ſtimulatio, vile decus publicum.* Aſt hoc ſi admittimus, non poteſt non reſpublica peſſime ſe habere. Nam, (1.) vt ait Liuius *lib. 20. priuatæ res ſemper offecere. officientque publicis conſiliis.* & proinde recte monet Claudianus in *Honor.*

§. XXVI. Cum autem ſalus populi in eo conſiſtat, vt posſint ducere vitam tranquillam & beatam, hinc (1.) imperanti commendata eſſe debet *cura circa diſciplinam publicam*, (d) vt bonis

- - - *Conſule cunctis,*
Non tibi: nec tua te moueant, ſed publica vota.

Plutarchus *in Galba p. 1062.* idem exemplo confirmat: *At Galba præ ſe tulerat, ſemper rempubl. ſe priuatis anteferre rationibus ſuis.* Non itaque exemplis, ſed legibus iudicandum erit. (2.) Poſſunt homines, qui aliis ſpeciatim *iure perfecto* non ſunt obligati, intereſſe proprium ſequi, vt aliis iniuriam non faciant, ſed principes ſunt peculiariter per *pactum*, & ita *lege naturali* obligati, vt communis vtilitatis rationem habeant, adeoque illam negligere nequeunt. Et hoc intuitu Hadrianus ſæpe in ſenatu dixit: *ita ſe rempublicam geſturum, vt ſciret populi rem eſſe, non propriam.* Spartianus *in Hadr. c. 8.* Et denique (3.) licet nulla respubl. ſit, in qua priuata commoda ceſſent, tamen ad minimum hoc quoque curandum, ne cura ſalutis publicæ plane abiiciatur. Nam *eſt non modo eius, qui ſociis & ciuibus, ſed etiam qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit eorum quibus præſit, commodis vtilitatique ſeruire*, vt ait Cicero *lib. I. ad Q. fratr. epiſt. I.* Dum publico bene eſt, imperans quoque felix eſt, contra ſi patitur publicum, imperans quoque patitur. Hoc optime præuidit Salomo, & hunc in finem in regni ſui primordiis preces vnice ad Deum fundebat, vt ipſius gratia populum ſibi commiſſum regere poſſet ſapientia & ſingulari cura, *1. Reg. III. 7. ſeqq.*

(d) Curam circa diſciplinam eo magis ſibi princeps vindicabit, quo ineptiores plerumque homines ſunt ad vitam ciuilem. Theodoſius & Valentinianus in *epiſt. ad Cyrillum*, a Richerio *lib. 1. Hiſt. concil. gen. c. VII. 1. 2.* relata

bonis moribus imbuantur, & apti reddantur ad vitam ciuilem.

§. XXVII.

relata hanc rem ſibi curæ cordique eſſe teſtantur. *In omnibus fere*, aiunt, *ſubditorum noſtrorum commodo intenti, vnum hac perpetuo vrgemus, contendimusque ſedulo, vt pie religioſeque priuatim viuant omnes, & vt pios decet in republica verſentur vniuerſi.* Hinc eſt cura circa Scholas, Eccleſias, inſpectio in eos, qui Eccleſiis præſunt, & ex hac *cura* ſeu *obligatione* iura plura naſcuntur ſuo loco plenius tradenda. Quocirca prohibere & impedire illa debet, quibus mores corrumpi poſſunt: multum enim in bene formatis moribus ciuium ſitum eſſe conſtat. In hunc finem in pluribus rebuspubl. *cenſura morum* introducta eſt, maxime in iis næuis neceſſaria, qui pœnis nequeunt euelli, & *tamen velut diutinis morbis ægra corpora ex ſeſe gignunt*, vt ait Liuius *lib. XXIV. c. 18.* De Ageſilao, refert Xenophon in *Orat. de illo p. m. 668. quod Græciam tunc demum potentem fore exiſtimauerit, ſi Græci frugi eſſent.* Plaut. *in Perſ. Act. IV. Sc. 4. Si incolæ bene morati ſunt, pulcre munitum* (oppidum) *arbitror.* Eundem in ſenſum Mæcenas ad Auguſtum apud Dionem *lib. 55.* diſſeruit: *Neque timueris, ne quis bene educatus inſtitutusque conſilium conuellendi ſtatus publici ſit initurus, quinimo id a nulla diſciplina formatis & a flagitioſis id timendum eſt. Hi enim facillime eo adducuntur, vt turpiſſima & peſſima quæque in ſe & alios ſtatuant.* Cum itaque ab integra educatione puerorum ſalus reip. dependeat, iuuat inprimis exemplo integræ vitæ illos docere, quod Lacædemonii obſeruaſſe leguntur apud Xenophon. *de republ. Spartan. Lacædemonii*, ait, *vitæ inculpatæ exemplo pueros ſuos docebant:* quod in *ſeqq.* declarat. Ab hanc cura ſingulari circa diſciplinam & mores ſubditorum laudat Xenophon *lib. I. Cyropæd. p. 3. lit. c.* leges Perſicas, aiens: „Legum Perſicarum

„principalis cura eſſe videtur, id efficere, quod bo-„no publico maxime conducat. Non enim inde fa-„ciunt initium, vnde quam plurimis in ciuitatibus le-„ges exordiuntur. Nam pleræque ciuitates cuiuis e-„ducandi liberos ſuos, qua ipſa viſum ratione fuerit, „poteſtatem faciunt, atque ipſis etiam prouectiori-„bus viuere ſui ex animi ſententia permittunt: Dein-„de edicunt, ne quis clepat, ne rapiat, ne per vim „domum in aliquam irrumpat, ne quem per iniuriam „pulſet, adulterium ne committat, magiſtratus im-„perio parere ne detrectet, atque his itidem alia con-„ſimilia. Quod ſi quis horum aliquid transgredia-„tur, pœnæ propoſitæ ſunt. At vero Perſicæ leges „hoc anteuertentes primum procurant, ne prorſus e-„iusmodi ciues ſint, qui praui alicuius fœdiue faci-„noris libidine ducantur. Atque hoc huiusmodi „quadam ratione procurant. Eſt apud eos forum, „quod liberum vocant, in quo quum regia, tum cu-„riæ magiſtratuum ceteræ ſunt exſtructæ. Hinc & „res venales, & nundinatores, & clamores horum „ac inſolentiæ alium in locum reiectæ ſunt, ne ho-„rum turbulenta confuſio cum decoro illorum ordi-„ne, qui ſunt inſtituendi, permiſceatur. Forum „hoc ad curias ſitum, quatuor in partes eſt diuiſum. „Earum prima pueris eſt attributa, puberibus altera, „tertia plenam adeptis ætatem viris, quarta militares „annos egresſis. Et ex lege ſinguli ſuis in locis ad-„ſunt, pueri quidem, & ætatis maturæ viri, primo „diluculo: Seniores vero vbique commodum eſt ex-„tra ſtatos dies, quibus oportet eos adeſſe. Puberes „etiam propter curias cum armis gymnicis exilibusue „dormiunt, maritis exceptis, quorum præſentia ne „quidem requiritur, niſi denunciatum fuerit, vt ad-„ſint; nec honeſtum, hos abeſſe ſæpius. Harum par-„tium cuique duodecim ſunt præſides, quod Perſarum „natio totidem in tribus ſit diſtincta. Præſunt autem „pueris delecti quidam ex Senioribus, qui eos effe-

cturi

„ſturi quam optimos videantur. Ephebis item de vi-
„rorum ætatis integræ numero lecti quidam, qui hos
„reddituri optimos exiſtimentur. Viris etiam matu-
„ræ iam ætatis præficiuntur, qui tales reddituri pu-
„tentur, vt potiſſimum ſibi præſcripta, & a magi-
„ſtratu ſummo imperata præſtent. Ne ſenioribus qui-
„dem ſui præfecti deſunt, quippe quod his etiam
„qui præſint, deligantur, vt & ipſi officium faci-
„ant. Ita nos etiam illa commemorabimus, quæ cu-
„ilibet ætati præſtanda legum ex præſcripto ſunt, vt,
„qua cura ſtudioque efficiant, quo ciues optimi ſint,
„magis etiam pateat. Pueri ergo magiſtrorum do-
„mos frequentando in diſcenda iuſtitia verſantur, &
„aiunt, ad hoc ſe non aliter itare, atque ſoleant a-
„pud nos, qui literis operam daturi ſunt. Horum
„autem præſides maximam diei partem iure dicendo
„conterunt. Nam & inter hos pueros nihilominus
„ac inter viros, mutuæ criminum accuſationes exi-
„ſtunt furti, rapinæ, vis illatæ, doli, conuitii & alio-
„rum, quæ accuſari ſolent. In illos autem, quos in-
„telligunt talis alicuius iniuriæ reos, animaduertunt.
„Eos etiam plectunt, quos per iniuriam accuſare
„comperiunt, iudicem vero dant de illo quoque cri-
„mine, propter quod inter homines odia mutua po-
„tiſſimum exiſtunt, quum poſtulationes in iudiciis
„de eo minime fiant, nempe de ingratitudine. Itaque
„ſi quem intellexerint gratiam non referre, quum
„poſſit, in eum etiam valde animaduertunt. Nam
„ingratos homines inprimis nulla deorum cura, nulla
„parentum patriæ amicorum adfici arbitrantur. Quia
„& impudentia potiſſimum ingratitudinem comitari
„creditur, quod hæc vna omnium eſſe maxima dux
„ad turpiſſima quæque videatur. Præterea pueros ad
„temperantiam condocefaciunt. Plurimum vero ad
„hanc diſcendam confert, quod ipſos etiam ſeniores
„toto die temperantes ac moderate vitam agere vi-
„dent. Addunt præcepta de præſtanda magiſtrati-

§. XXVII. (II.) Facultates ciuiũ magis promovendæ, (e) quam diminuendæ & omni ſtudio curandum, vt ſemina odii & diſcordiarum tollantur. (f)

§. XXVIII.

„bus obedientia, quam ad rem multum confert, quod „& ſeniores enixe vident magiſtratibus obtemperare. „Docent eos & ventris ac potus abſtinentiam, nec „parum ad hoc adfert adiumenti, tum quod ſeniores „quoque prius ventris cauſa diſcedere vident, quam „ſuis a præſidibus dimittantur, tum etiam, quod a„pud matrem pueri non paſcuntur, ſed apud magi„ſtrum, poſtquam id præſides eis ſignificant. Adfe„runt autem domo panes quidem ad cibum, naſtur„tium vero ad obſonium, itemque ampullam, vt ſi „quis ſitiat, e præterfluente hauriat. Ad hæc ar„cum tendere, ſagittis & iaculis ferire diſcunt. Exer„cent autem in his ſe pueri vſque ad ſextum ſepti„mumue ac decimum ætatis annum, a quo iam tem„pore ad ephebos abeunt, qui hoc rurſum modo „viuunt. Decem annis poſtquam e pueris exceſſe„runt, ad curias ſomnum capiunt, vt dictum eſt, „quum ciuitatis cuſtodiendæ tum exercendæ tempe„rantiæ gratia: nam hæc potiſſimum ætatis requi„rere curam videtur. Iidem interdiu quoque magi„ſtratibus vtendos ſe præbent, ſi qua in re ipſorum „opera publice deſideretur. &c.

(e) Recte Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2. H. R.* cenſet, *omnem ciuitatem, quæ ex multis familiis conſtat, tunc florere, cum priuatorum res florent, & contra magnis tempeſtatibus agitari, cum res vniuscuiusque priuati ſe male habent.*

(f) Hoc inprimis in legibus attendendum. Tyrannorum eſt, nutrire odia ciuium, ne poſſint contra eos conſpirare. De Iuliano refert Ammianus Marcellinus *lib. 22. c. 7.* quod ſtudio diſſenſiones Chriſtianorum aluerit, *quod*

§. XXVIII. (III.) Ab externis hoſtium inſultibus legitime ſunt defendendi: interim pax, quantum fieri poteſt, magis ſeruanda, quam tot ſubditorum ſanguine paranda. (g)

§. XXIX. (IV.) Permittendum, vt ſubditi innoxia vtantur & fruantur libertate, (h) quantum ſalus publica hoc permittit.

§. XXX. (V.) Non eſt extendendum imperium ad illa, quæ imperium non recipiunt, quæ magis ſuadenda (i) quam imperanda.

§. XXXI.

---

quod ideo, ait, agebat obſtinate, diſſenſiones augente licentia, ne timeret, vnanimantem poſtea plebem.

(g) De hoc dicetur plenius *capite ſeq.*

(h) Hoc etiam agnoſcit Hobbes *de Ciue c.13. §.6.* ne ſcilicet plane in ſeruilem detrudantur conditionem. Ducuntur & trahuntur homines ordinarie ad aliquam libertatem, quám ſi in totum amittunt per tot legum reſtrictiones, maximis obnoxia eſt periculis respubl. Nitimur omnes in vetitum. *Malum ergo eſt habere principem, ſub quo nihil vlli liceat, peius tamen eum, ſub quo omnia omnibus*, Dio *in Nerua lib.68.* Miſerrima erat populi Judaici conditio ſub Ægyptiorum regibus, ſub quibus duriſſime premebantur, qui proinde in reprobum ſenſum dati iuſtiſſimas dabant pœnas. Huc pertinet etiam ambitioſa reſponſio Ieroboámi ád populum Iudaicum *1. Reg. XII. 4. ſeqq.* ex qua ſane inſignis imprudentia eluceſcit. Optime Seneca *lib. 1. de clement. c.24. remiſſius imperanti melius paretur.* E contrario *nulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu, poſſit eſſe diuturna*, vt ait Cicero *lib.2. Offic.*

(i) De hoc agetur *cap. 10.*

(k) Ægre

§. XXXI. Præterea etiam reſtringi poteſt poteſtas imperantis per pacta (k) inita cum ſubditis, tempore delati imperii, ad quæ ſeruanda obligantur ex lege naturæ. Hinc origo *Legum fundamentalium.* (l)

§. XXXII. Ex his pactis fundamentalibus oritur *obligatio*, vt ſecundum illa imperans regimen inſtituat, quamuis ſubditis exinde nullum ius naſcatur, exigendi perfecte (m) id a principe, ſi contra faciat.

§. XXXIII.

(k) Ægre hæc admittit Hobbes, putans, principem non obligari poſſe, cum non adſit cui obligetur; populum enim, ſtatim ac ſe poteſtati imperantis ſubiicit, deſinere eſſe *perſonam moralem* ait. Verum, deſinit quidem populus eſſe *libera* perſona *inter gentes*, cum e ſtatu *naturali* in *ciuilem* tranſeat, ſed inde non ſequitur, populum ita fieri *non ens*, vti ſerui apud Romanos: manet populus perſona moralis intuitu imperantis, ſed intuitu aliarum gentium princeps populum & totam rempubl. repræſentat. Sed ſicuti in priuatis promiſſionibus, ita quoque huiusmodi pactis tacita ſemper ſubeſt conditio: *rebus ſic ſtantibus. Omnia eſſe debent eadem*, inquit Seneca *lib. IV. de benef. c. 35. qua fuerant, cum promitterem, vt promittentis fidem teneas.* conf. Id. *cit. l. n. 39.*

(l) Ex his pactis originem trahunt *leges* rerumpubl. *fundamentales*, ex quibus deinceps conſtruitur *ius publicum particulare*, quod proinde in eis quoque rebuspubl. eo magis excoli ſolet, vbi huiusmodi leges plurimæ occurrunt, vti Germani ſuo exemplo teſtantur. Hæc vbi deficiunt, ſolum *ius publicum vniuerſale* negotia publica dirigit.

(m) Non itaque cum nonnullis inferendum, ac ſi imperans contra

§. XXXIII. Neque effectus nullitatis ſemper ſequi poteſt, quia annullandi ius ſubditis non eſt relictum, (n) quamuis ſucceſſor illud recte pro nullo declarare poſſit, tanquam contra leges actum, ſiue clauſula annullatoria ſit adiecta, ſiue non.

§. XXXIV. Non tantum autem illa ad leges fundamentales referenda, quæ expreſſo pacto ſtabilita, in ſcriptis conſeruantur; ſed etiam quæ antiquitus conſtituta per traditionem conſtantem (o) ad poſteros translata, & vſu con-

contra pacta agens ſuo imperio cadat, neque enim eſt, qui eum priuare poſſit imperio. Neque poteſt a ſubditis adigi, vt pactum ſeruet, ſed ſi frangat fidem, præter tolerantiam ſubditis nihil ſupereſt.

(n) Patet hoc per ſe ex defectu iuris reſiſtendi. Aliud in fœdere ſyſtematico, vbi ſupereſt æqualitas inter confœderatos, & ita quoque *ius reſiſtendi.*

(o) Sicuti lex quælibet, ita pactum quoque ad ſui naturam non præciſe requirit *ſcripturam*, ſed ſufficit, ſi aliter de eo conſtet, quamuis ſecurior modus pacta ſeu leges fundamentales conſeruandi ſcriptura ſit, præſertim ſi pacta perpetuum ſint habitura valorem, vti leges fundamentales. Inter illos modos *memoriam antiquorum inſtitutorum conſeruandi* eſt quoque *traditio* conſtans, ſi quaſi de manu in manum illa a maioribus poſteris tradita fuere, qualis modus tunc præſertim obtinere debuit, vbi nullus adhuc ſcripturæ vſus fuit, quem demum tempore Moſis cœpiſſe multi arbitrantur. Apud Germanos antiquos ſerius eundem inualuiſſe conſtat, atque adeo leges ſcriptas haud agnouerunt, ſed ad exemplum Lacædemoniorum magis ea, quæ pro legibus obſeruabant, memoriæ

conſtanti obſeruata fuere, licet certa ſcriptura non conſtent.

§. XXXVI. Quin etiam nonnulli ſunt, qui putant, per *pacta tacita* cum ſubditis inita poſſe inſtituta quædam determinari in republ., quæ inde colligunt, ſi per longam obſeruantiam aliquid diu eodem ſemper modo obtinuit, de quo tamen merito dubito. (p)

PARTIS

riæ *per carmina* mandabant, donec cognito vſu ſcripturæ, leges quædam ſcriberentur, quo ipſo tamen omnia vetera inſtituta in ſcripturam haud fuerunt redacta, ſed potius *continuata traditione* in poſteros deriuata, tum quæ priuata, tum quæ publica negotia reſpexere. Inde Radevicus *lib. I. de geſt. Frider. c* 16. ait: *Duo ſunt, quibus noſtrum regi debet imperium: leges ſanctæ imperatorum, & vſus prædeceſſorum & patrum noſtrorum.* Atque huiusmodi leges publicas *traditas* adhuc hodie in noſtro imperio deprehendere licet, & quamuis alii pactum *tacitum* hic ſupponere malint, tamen iuxta indolem reipubl. antiquæ Germaniæ conuenientius videtur, *inſtitutum expreſſum* ibid. ſupponere, licet de modo & autore ſeu prima origine non ſemper conſtet; ipſa vero traditio antiqua non eſt modus leges eiusmodi publicas introducendi, ſed *medium* tantum aliquod easdem conſeruandi. Vocari alias ſolet, *das alte Herkommen*, vel etiam *das Reichsherkommen.* Vnde etiam vulgo *obſeruantiæ* nomine venit. Rectius *traditionis* voce vtitur Carol. IV. in *A. B. c.* 28. §. 5. his verbis: *Ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum illud a tempore, cuius contrarii iam non habetur memoria, per eos qui præceſſerunt feliciter, eſſe iugiter obſeruatum.* vid. diſſ. *de obſeru. eccleſ.* & *differt. prælimin.* ad Petrum de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp.*

(p) Equidem illud non nego, poſſe etiam imperantem tacite

cite ſuum conſenſum ipſo facto declarare, ſed an ex conſtanti obſeruantia & exercitio ſe ipſum adſtringere voluiſſe credendus ſit, ad hæc vel illa negotia eodem modo in poſterum exercenda, illud ipſum eſt, de quo merito dubito. Omnia, quæ imperans in republ. reſpectu ſuorum ſubditorum agit, ex *mera libertate* vel *iure imperii* agit. Nec credendum eſt, quod ſe facile ad certa inſtituta proprio marte alligare voluerit, id quod communiter inclinationi eorum, qui imperant, aduerſatur. *Prudentiæ regulæ* quandoque vtique a principe prudente poſtulant, vt ſe ad mores ſubditorum ſuorum accommodet, quo magis amorem populi, cui præficitur, ſibi conciliet atque adeo inſtituta ab anteceſſoribus recepta continuet. Animos Parthorum a ſe alienauit Vonones, quod, repudiatis patriis moribus, ſecundum Romanos viueret, *diuerſus a maiorum inſtitutis, raro Venatu, ſegni equorum cura; quotiens per Vrbem incederet, lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epulas. Irridebantur & Græci comites ac viliſſima Vtenſilium anulo clauſa, ſed prompti aditus, obuia comitas, ignotæ Parthis Virtutes, noua Vitia, & quia ipſorum moribus aliena, perinde odium prauis & honeſtis.* Tacit. *lib.* 2. *annal, ab init.* Neutiquam tamen ex *iuſtitiæ regulis* ad hoc ipſum obſtrictus erit, nec ſtatim ex hoc vel illo *ordine* ex libertate mera recepto & inſtituto imperans ſe ſubditis obligaſſe dici poteſt. Loquor vero de meris ſubditis: alias ſicuti in aliis collectionibus hominum, ita quoque inter eos, qui nexu ſyſtematico vel *expreſſo* vel *tacito* continentur, ex diuturna & conſtanti obſeruantia ius naſci poſſe, perſuaſiſſimum habeo.

PARTIS SPECIALIS LIBER II. DE IVRIBVS SVMMI IMPERII.

CAP. I. De Iuribus imperantium circa publicam ſecuritatem externam.

§. I.

SEcuritas publica conſtituitur, ex pace *externa* & *interna.* (q) Cum vero pax externa per vim hoſtium, & bella maxime turbetur, vnicum fere medium illam redintegrandi quærendum in legitima defenſione.

§. II.

(q) Interna conſiſtit in optima vnione ciuium inter ſe; externa reſpicit *ceſſationem omnis hoſtilitatis*, a vicinis populis metuendæ, quæ extra ciuitates raro habetur, per respublicas autem optime conſeruatur & redintegratur. *In hæc enim principatus conſtituti ſunt, vt ſaluti ſubditorum conſulatur, ne inuicem aut ab exteris iniurias accipiant*, ait Liuia ad Auguſt. apud Dion. *lib. 55.* Quorſum etiam reſpexit Ariſtot. *Polit. 6. Duo ſunt*, aiens, *quibus omnis reſpubl. ſeruatur, in hoſtes fortitudo & domi concordia.* Et Claudius apud Tacitum *lib. XI. annal.* felicitatem reipubl. ex eo prædicat, quod *ſolida domi quies* (ſeu pax interna) *& aduerſus exter-*

na

§. II. Vim itaque externam imminentem, vi oppoſita, iuſte imperans repellit, ex quo IVS BELLI (r) hoc quoque ſenſu fluit: nam alias imperans illud quoque habet, intuitu aliarum gentium ex ratione *ſtatus naturalis* & *libertatis*, in quo eſt conſtitutus.

§. III. Verum, ne iura inter gentes locum habentia confundamus cum iuribus publicis vni-

na floruerit. De Numa Pompilio refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. II. in f. quod ejus opera & induſtria neque inteſtina ſeditio ciuium concordiam diſſoluerit, neque bellum externum de præſtantiſſimis illis & maxime admirandis inſtitutis ciuitatem dimouerit.*

(r) Debent imperantes ſubditis præſtare vitam tranquillam & ſecuram, & hoc ſenſu id Deo gratum eſſe aſſeritur *1. Tim. II. 1. 2 3.* & inde, ſi quæ eſt belli inter Chriſtianos juſtitia, hæc ratio primario aſſumenda eſt. Cum enim Chriſtus magiſtratus & imperia non ſuſtulerit, defenſionem quoque eisdem demandatam & pro ſalute ſubditorum exercendam tollere haud voluit. Quamuis itaque Chriſtus patientiam inculcauerit ſingulis, volueritque, vt non reſiſteretur malo, tamen aliud eſt, annon *ſinguli* iniurias ſibi illatas patienter ferre debeant? quod affirmatur: aliud vero, annon imperans, cuius a ſingulis iam diuerſa ratio eſt, commiſſum ſibi a Deo populum defendere debeat, vt poſſint ducere vitam tranquillam & quietam? quod itidem affirmo: id quod ſi abſque bello fieri non poſſit, ita neceſſitas imperanti ad hoc jus tribuit. Bellum enim vnice propter pacem. *Ita,* ait Cicero *lib. I. de offic. c. 23. bellum ſuſcipiatur, vt nihil aliud, quam pax quæſita videatur.* *Paratur enim,* vt ait Epaminondas; *pax bello, & qui ea diutina volunt frui, bello exercitati eſſe debent.* Cornel. *in Epamin.*

 (s) Fluit

vniuerſalibus, & aliena hic immiſceamus, notandum, aliter ius belli conſiderari *reſpectu aliarum gentium*, aliter *reſpectu ſubditorum & reipubl.*, cui imperans præeſt. (s)

§. IV. Secundum priorem conſiderationem ius belli ad ius gentium (t) ſpectat, & ex ſtatu

(s) Fluit hæc duplex conſideratio ex duplici reſpectu imperantis. Conſideratur quippe tum reſpectu aliarum *gentium*, quibuscum in ſtatu naturali conſiſtit, & *liber* eſſe dicitur; tum reſpectu *ſubditorum*, quibus præſtare debet vitam tranquillam & beatam ex fine omnibus rebuspubl. propoſito. Si *illo reſpectu* imperans conſideratur, ius belli *ex iure libertatis* fluit, & hoc ſenſu forſan accipiendum eſt, quod legitur apud Tacitum *lib. XV. annal. c. 1. ſua retinere priuatæ domus, de alienis certare, regiam laudem eſſe*, quibus verbis *nude ad ſtatum libertatis naturalem*, quo per vim agitur, reſpicitur, non habita ratione reipublicæ. Galli quidem olim dixerunt: *ſe in armis ius ferre & omnia fortium virorum eſſe.* Liuius *lib. V. c. 36.* Sed hæc magis ad latrocinia quam ius belli ſpectant. Si vero *hoc reſpectu*, ſimul quoque ad hanc diſciplinam ſpectat, tum, ut iudicari poſſit, *quousque bellum poſſit decernere pro ſalute Reipubl.*; tum, *quid eo nomine poſſit in ſuos ſubditos.* Diuerſi hi reſpectus diuerſos producunt effectus & iura, tum reſpectu aliarum *gentium*, tum reſpectu *Reipubl.*, cui præeſt imperans.

(t) Hoc reſpectu bellum *iuſtum* eſſe dicitur, quod geritur inter eos, qui non agnoſcunt ſuperiorem, id eſt, qui in ſtatu naturali ſunt. Hoc enim cogendi medium in illo ſtatu unicum fere eſſe, ſupra in parte generali dictum. Suſcipitur itaque ob *iuris quæſiti denegationem*, non habito reſpectu ad reipubl. ſalutem, an hanc quoque cauſa belli concernat, nec ne; id quod

ſtatu naturali fluit, varioſque inter gentes liberas producit peculiares effectus, qui ab hac diſciplina alieni ſunt.

§. V. Si poſteriori modo ius belli in imperante conſideratur, reſtrictius eſt, & vnico fere fundatur fundamento, ſcilicet in *defenſione reipubl. & ciuitatis.* (u)

§. VI. Proinde licet imperans ab alia gente laceſſitus iuſtam bellandi cauſam aduerſus alteram gentem habere poſſit, hoc ſenſu, vt gens altera iniqua non poſſit conqueri de iniuria ſibi illata; ſi tamen ſecuritas publica non eo ipſo eſt læſa, nec ei alias periculum imminet, ius belli ab imperante non eſt exercendum, (x) quia ita ſecuritas publica, quam con-

quod ex præſenti diſciplina æſtimandum; ſufficit, quod gens altera vel loco eius imperans non poſſit conqueri de iniuria ſibi illata, ſi denegauerit alteri, quod ei tamen debetur. Effectus varios belli *inter gentes* recenſet Grotius *de I. B. & P. lib. III.*, vbi tamen diuerſos hos reſpectus non ſemper diſtinxit.

(u) Nihil præſtantius eſſe poteſt, quam vt ſubditi defendantur, ſi ab aliis impetantur, cum ſecura & tranquilla vita ſit potiſſimus rerumpublicarum finis. Ex quo adducor, vt credam, bellum tantum *defenſiuum* huc pertinere, vtut bellum defenſiuum latius ſe extendat, & ſub ſe non tantum *præſentis mali propulſionem*, ſed etiam *futuram ſecuritatem* comprehendat.

(x) Sæpe accidit, vt aliquis ius aliquod habeat aduerſus alium, vt tamen illud non poſſit exercere propter obligationem, qua aliis obſtringitur. Princeps iniuria affectus habet ius belli in populum iniquum, & ha-

conſeruare debet, in diſcrimen ambiguum per bellum vocatur.

§. VII. Neque ita ſimpliciter a ſtatu naturali, vbi ius belli locum habet, argumentum ducendum, cum quamuis imperans in eo conſtitutus ſit, tamen ſimul ſuæ ciuitati primario obligatus eſt, (l) niſi forſan Reſpubl. ſit

ctenus eſt *iuris gentium*, nec peccat in gentem iniquam, quæ calamitatem bellicam ſuæ malitiæ acceptam ferre debet; ſed poteſt ſimul princeps peccare in Rempubl., dum ſecuritatem publicam in diſcrimen vocat, quæ non eſt læſa, quam tamen præferre debebat ſuis priuatis commodis. Neque hæc priuata iniuria in vniuerſam ſtatim redundat Rempubl., quamuis plura bella ob hanc ſint ſuſcepta. Darius Rex Perſarum bellum legitur intuliſſe Regi Scytharum Lanthino, *cum filiæ eius nuptias non obtinuiſſet, & armatis ſeptingentis millibus hominum Scythiam ingreſſus*. Iuſtin. *lib. 2. c. 5.* quæ cauſa belli ne quidem inter gentes iuſta fuit, multo minus intuitu reipubl. De Cyro refert Xenophon *in Cyropæd. lib. VIII. p. m. 202. lit. d.* quod inter res maximi momenti poſuerit, *vt absque bello impetraret id, quod cuperet.* quorſum etiam reſpexiſſe videtur Scipio aiens, *ſe malle vnum ciuem ſeruare quam mille hoſtes occidere.* Capitol. *in Anton. Pio.* Nam vt ait Tacitus, *in pace cauſa & merita ſpectantur, vbi bellum ingruit, innocentes & noxii iuxta cadunt.* conf. Forſtner. *ad Tacit. lib. I. annal. verb. ad arma ciuilia actum &c.*

(l) Ordinarie ad *iuſtitiam belli* nihil præterea requirunt, quam vt quis ſummam poteſtatem habeat, ſeu, vt *liber ab omni imperio* ſit, nam de *cauſa belli* iudicari nequit, cum arbiter inter gentes ceſſet. Verum id quidem ſufficit, ſi de *iuſtitia gentis erga gentem* quæ-

ratur

ſit mere herilis. (m)

§. VIII. Interim arbitrium, an bellum ſit ſuſcipiendum, eſt penes imperantem, ex iure naturæ tamen ita moderandum, (n) vt bellum ſecuritatis publicæ ſtabiliendæ, non tollendæ gratia ſuſcipiatur.

§. IX. Hoc intuitu (1) iuſta belli cauſa non eſt, ſi vicinæ Reipublicæ potentia nimis creſcat. Neque enim ſtatim conſtat, (o) quod Res-

ratur. Sed iam vbi imperans Reip. præeſt, cogitare debet, ſe liberum eſſe non *propter ſe*, ſed *propter ſubditos*, h. e. non pro lubitu ad intereſſe priuatum bella gerere poteſt, cum primario reſpectus Reipublicæ habendus. Ludouicus XI. Rex Gallorum noluit vindicare iniurias, quas, dum Aurelianenſium dux fuerat, acceperat, ſed ſuaſoribus grauiter reſpondit: *Non decere Gallorum regem, iniurias ducis Aurelianenſis vindicare.*

(m) In regno herili primario Rex ſuum quærit commodum, & hic facilius admitti poteſt, vt propter ſuam vtilitatem bellum gerat.

(n) Raro imperantes proprio motu bella ſuſcipiunt, plerumque conſilia aliorum audiunt. Sed hi vt plurimum in eo peccant, quod non habito reſpectu ad Rempubl. quemuis pruritum in principe approbent, & hoc intuitu recte notat Forſtner. *ad Tacit. lib. 1. annal. p. m. 54.* Theologos & ICtos, *quod venalem ſtylum hac occaſione propenſioni principum ſuorum accommodent.* Valet hic quoque Metelli effatum: *Omne bellum facile ſumitur, ceterum ægerrime deſinit: nec in eiusdem eſt poteſtate initium eius & finis: ſiquidem incipere cuiuis & ignauo licet, deponi cum victores velint.* Saluſt. *de bello Iugurth. c. 82.*

(o) Equidem *inſita mortalibus natura, recentem aliorum*

Reſpublica vicina, ſi vel maxime poſſit, alteram velit opprimere. (p)

§. X.

felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videre, vt philoſophatur Tacitus *lib. II. hiſtor.* Aſt ſola inuidia & metus inde ortus ius per ſe in alterum non tribuit. Eleganter Grotius *de Iure B. & P. lib. II. c. 1. §. 17.* hac de re diſſerit, aiens: *aduerſus incertos metus a diuina prouidentia & ab innoxia cautione & non a vi præſidium petendum eſt.* Sunt adhuc media ſecuritati ſuæ & reipubl. proſpiciendi absque omni iniuria & oppreſſione eius, cuius potentiam metuimus. Si rempubl. Iudaicam in exemplum adſumimus, certe conſtat, eandem tot potentiſſimis regnis vndequaque fuiſſe circumſeptam, vt mirari liceat, quod ſe tam diu contra vicinam potentiam conſeruauerit, præſertim cum vi bellica terram Cananæam occupaſſet, & inde vicini populi exemplo Cananæorum territi iuſtam belli cauſam habuiſſe videri potuiſſent. Sed præſidium ſuum a Dei prouidentia petebat, qua diſcedente, mox finitimis populis prædæ fieri incipiebat. Attamen ad infringendam alterius potentiam, conceſſum eſt, fœdus cum aliis gentibus inire, & moto contra vnum bello, arma ex *lege fœderis* potentiori opponere & ita per indirectum bellum erit iuſtum. Nunquam prohibitum eſt fœdus inire cum gente vicina, vt ſibi quis proſpiciat; ſed absque vlla cauſa potentiorem armis aggredi, rationi non eſt conueniens.

(p) Qui Hobbeſianismo fauent, non poſſunt non quoque tale bellum approbare, cum in ſtatu naturali quilibet arbitrari debeat, quid potiſſimum ad conſeruationem ſui reſpiciat. Præſertim cum ſecundum hæc principia præterea ſupponendum ſit, hominem, qui

poteſt

§. X. (II.) Ius belli ceſſat, ſi lædens populus ſatisfacere, (q) & de ſecuritate alterius gentis

poteſt nocere, ſtatim etiam nocere *velle*. Quodſi tamen ſemel pax per pactum cum vicina gente inita ſit, ipſe Hobbes ob quemuis metum non vult a pactis recedendum eſſe. *Nam*, inquit, *niſi cauſa metus noua exſiſtat, ex facto vel alio ſigno voluntatis non præſtandi a parte altera, metus iuſtus cenſeri non poteſt.* vid. *tr. de Ciue. cap. 2. §. 11. in not.*

(q) Quodſi ſecuritas reip. læſa deprehenditur, duo conſideranda ſunt: vel enim res ad arma iam deducta, vel demum eſt deducenda. Poſteriori caſu cum bellum debeat eſſe vltimum ſubſidium, ſi alio modo ſaluti reip. conſuli nequeat, ante omnia tentandum eſt, annon abſque bello imperans ſecuritati reipublicæ conſulere poſſit, exemplo Cyri, qui hoc inter res maximi momenti ponebat, *vt abſque bello id impetraret, quod cuperet*, Xenophon *de Cyropæd. lib. 8. p. m. 202. lit. d.* quorſum etiam collimat Archidamus apud Thucyd. *lib. I.* aiens: *qui ſe offerunt diſceptationi, eos tanquam iniurios aggredi, injurioſum eſt.* Hinc de *ſatisfactione* & *cautione* alteri præſtanda, lædens populus merito interpellandus erit, quo reſpexerunt Batavi in reſponſione ſua anno 1674. legato Suecico data, quam exhibet Zieglerus *de iure Maieſt. lib. 1. c. 33. §. 34.* vbi inter alia hæc occurrunt: *VVann nun unter allen inſonderheit Chriſtl. Potentaten von alters hero iederzeit umb unwiderſprechlicher Urſach willen gebräuchlich geweſen iſt, daß wann ein oder anderer beleydiget worden zu ſeyn vermeinet, der Beleidigte, ehe und bevor er zu den VVaffen gegriffen, von demienigen, welcher die Beleidigung ihm zugefügt, ſatisfaction begehret hat.* Reſpexerunt ſine dubio Batavi ad *ius antiquum feciale*, quia moris ſemper fuit, antequam bellum inferretur, feciales mittere, per quos *res repeteretur*, & niſi

generis conſeruanda cautionem præſtare & *poſſit* & *velit*: obtento enim fine ceſſant media.

§. XI. (III.) Nullum eſt ius belli populum vicinum idololatram ad veram religionem reducendi, (r) cum ex diuerſitate religionis ſecuri-

redderetur, bellum indiceretur. vid. Barnab. Briſſon. *de verb. pop. rom. ſolenn. lib. 4. p. 341.* quod inſtitutum exacte iuri naturæ conuenit, & a Deo ipſo quoque Iſraelitis præſcriptum eſt *Deut. XX. 10. ſeq.* Priori caſu pax oblata non reſpuenda, ſi per illam ſecuritati reip. ſatis conſulatur, non ſaltem *præſenti*, ſed etiam *futuræ*, quem in finem ſolent cautiones exigi, quas vulgo *Guarantias* vocant, quæ ſi oblatæ & tales ſunt, vt nulla iuſta de cauſa reſpui poſſint, & nihilominus victor bellum continuare deſiderat, ex poſtfacto non tantum ſuæ male conſulit reipubl., ſed præterea aggreſſor fieri incipit.

(r) Notum eſt, quod medio ſub papatu *bella Domini*, vti vocata fuere, ſuaſu cleri geri contra infideles, terram ſanctam incolentes, cœperint, ex nulla alia ratione, quam quod crederent, terram ſanctam ad Chriſtianos pertinere, vel hoſtes fidei ſub iugum reducendos eſſe. Prætextus erat *incrementum gloriæ diuinæ*, ſed vera cauſa *intereſſe cleri*, quod ex euentu apparuit, quoniam exinde tot inſtituta noua orta ſunt, tot ordines militares introducti, ut hiſce nouis clericis militantibus pinguiores prouentus prouinciarum per orbem Chriſtianum cederent. Unde recte Becmannus *de bellis Domini c. 1. §. 18.* ait, expeditiones has nec *iuſte* nec *prudenter* nec *pie* inſtitutas fuiſſe; *non iuſte*, quia Saraceni non minori iuris titulo Palæſtinam tunc tenebant, quam antea Romani, neque religio Chriſtiana aut ſacrum ſepulchrum ius eis dare poterat ad hanc expeditionem, cum religio non ſit alli-

curitas rerumpublicarum vicinarum in ambiguum diſcrimen haud vocetur.

§. XII. (IV.) Quamuis defenſio reipublicæ quoque concredita ſit magiſtratibus ſubalternis, tamen, cum belli ratio admodum reipubl. periculoſa ſit, hi, inconſulto imperante, bellum inferre (s) nequeunt, licet vel maxime iuſta cauſa adſit.

§. XIII.

alligata ad certum locum: *Non prudenter*, quia conſeruatio locorum acquiſitorum e remotioribus Europæ partibus petenda non erat. Denique *nec pie*, quippe pietatem armis promouere fas non eſt. Carolum M. itidem Saxones, liberam gentem, domaſſe conſtat prætextu religionis, ſed vt pruritus extendendi fines Francici regni potiorem cauſam conſtitueret. Ferdinandus Catholicus pallio religionis itidem terras alienas inuaſit. De eo ſic Thuanus *lib. I. Hiſt. in eo nihil merito deſideres, præterquam ſidem, qua ſub colore religionis, quam omnibus actionibus ſuis ſemper prætexebat, ad ambitionem & inexplebilem propagandi imperii cupiditatem mira calliditate abuſus eſt.*

(s) Potiſſimum hic quæſtio eſt, de *præſidibus prouinciæ*, qui integram prouinciam gubernant, & ſic quoque defenſionem eius ſuſceperunt. Equidem ſub defenſione etiam ius belli comprehendi videtur, ſed hoc non de alio, quam de *defenſiuo* bello, per quod vis inſtans repellitur, intelligi debet, & ſicuti defenſio ſingulis adhuc in ſtatu ciuili conceſſa eſt; ita multo magis defenſio prouinciæ conceſſa erit magiſtratui inferiori, ſi ab hoſte extraneo ex improuiſo ciuitas vel prouincia impetatur, quatenus ſe defendere poteſt, quia hoc non poteſt non ipſis ciuitatibus illicitum eſſe, quatenus vnum corpus ſuſtinent. Mi-

 thrida-

§. XIII. Poteſt etiam aliunde ius belli inferendi reſtringi, vel per fœdera (t) vel in genere

thridates ad milites apud Juſtinum *lib. 38. c. 1.* notanter loquitur, aſſerens, *optandum ſibi fuiſſe, vt de eo liceret conſulere, bellumne ſit cum Romanis, an pax habenda. Quin vero ſit reſiſtendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui ſpe victoriæ careant.* Sed de bello alteri inferendo aliud iudicium ferendum, adeo vt recte in iure Romano magiſtratus inferior criminis læſæ maieſtatis reus arguatur, ſi inconſulto principe bellum etiam ex iuſta cauſa alteri intulerit. Ideo Plato *de LL. lib. 12. in med.* lege conſtituebat: *Si quis priuatim ſine publico ſcito pacem bellumue fecerit, capitalis eſto.* Moris etiam fuit, eum dedere in ſatisfactionem hoſti, qui inconſulto imperante, bellum alteri intuliſſet. Sic cum Cæſar priuato auſu bellum Gallis intuliſſet, Cato Vticenſis cenſuit in ſenatu, *legiones Romanas domum reuocari, Cæſarem vero Gallis dedi oportere,* Plutarch. *in Caton. Vtic.* Neque enim ſub *generali conceſſa adminiſtratione* prouinciæ hoc comprehendi videtur, de quo vnice ſummus imperans arbitrari & ſtatuere debet. Poteſt aliquando bellum eſſe iuſtum *intuitu gentis* alterius iniquæ, ſed *reipublicæ* maxime noxium, & cum ita tota reſpubl. in idem diſcrimen vocetur, ſi vel maxime intuitu vnius. prouinciæ læſio contigerit, certe non alius de bello ſuſcipiendo arbitrari poteſt, quam qui vniuerſæ præeſt reipubl., non qui ſaltem partem reipubl., & quidem *dependenter*, adminiſtrat, quia in effectu ius decernendi de ſummis vniuerſæ reipubl. ſibi ſumeret. conf. Grotius *de I. B. & P. lib. 1. c. 4. §. 6. & c. 3. §. 5. n. 3.*

(t) Loquor rurſus de bello *offenſiuo*, cuius inferendi quidem ius ſingulis gentibus liberis competit, ſed vbi per

genere per nexum ſyſtematicum, ſi illud ipſum quoque in hoc nexu comprehenſum ſit, ne altera ciuitas inconſultis reliquis confœderatis bellum alteri genti inferat.

§. XIV. Contingere tamen poteſt, vt etiam in ſyſtemate plurium ciuitatum ius belli ſingulis rebuspubl. aduerſus gentem extraneam ſaluum manſerit, quamuis hoc caſu ſyſtema tale

per pacta ſpecialia hæc libertas reſtricta, in communi concilio, vel cum fœderatis deſuper demum deliberandum, neque inuitis ſociis bellum eſt inferendum, quia his ius diſſentiendi ex *pacto* competit. Inter pacis & fœderis conditiones, quas Ætoli & Romani inter ſe pepegerunt, quoque hoc caput præcipuum fuit: *Si populus Romanus fœdere iungeretur regi* (Philippo) *vt caueret, ne ius ei belli inferendi Ætolis ſociisque eorum eſſet*, Liuius *lib. XXVI. c.* 24. Similiter inter pacis conditiones, quas populus R. Carthaginenſibus dabat, erat, *bellum neue in Africa, neue extra Africam iniuſſu populi R. gererent*, de cetero *liberi legibus ſuis viuerent*. Liuius *lib. XXX. c.* 37. Pacis cum Philippo Rege Macedoniæ leges erant, *bellum extra Macedoniæ fines ne iniuſſu ſenatus gereret*, Id. *lib. XXXIII. c.* 16. In fœdere ſyſtematico vbi hoc comprehenſum eſt, res expedita eſt, quia ſic totum ſyſtema vnum quaſi corpus repræſentat, maxime in iis, quæ ad ſecuritatem ſingularum rerumpublicarum pertinent, & non poteſt non totum ſyſtema periclitari, ſi vel maxime vnus ex ſociis bellum inferat. Quodſi aliter ex fœdere, cum alia republ. inito, ius belli reſtrictum ſit, idem puto dicendum eſſe, modo ſe aliter conſervare poſſit populus, quod de bello inferendo cogitat.

(u) In

tale irregulare eſſe ſoleat. (u)

§. XV. Ex iure belli, *intuitu reipubl.* conſiderato, plura noua emanant iura. Huc refero (I.) *Ius armorum inſtruendorum*, ſeu *armandiæ*, vicuius imperanti (x) competit ius armamentaria publica inſtituendi, ius fabricandi (y) arma,

(u) In imperio noſtro, quod *ſyſtema* aliquod *irregulare* continere videtur, ſingulis ſtatibus conceſſum, ſeparatim ius *fœderis* & *belli* exercendi, modo non exerceatur contra imperium. Equidem hoc communiter de bello *defenſiuo* non *offenſiuo* intelligunt, prout plenius declaratum eſt in *tom. IV. obſeru. Hallenſ. 8.* Verum cum bellum offenſiuum facillime poſſit defenſiuum dici, & ita a ſtatibus ſemper rationes adduci, vi quarum vbique ſe bellum defenſiuum gerere, aliis perſuadere ſuſtineant, in effectu ius belli iis denegari nequit, id quod bene obſeruauit commentator ad *Obſ. Hallenſ. 31. tom. 6.*

(x) Priuatis certe non competit ius Armamentaria inſtruendi, quin ſuſpicionem rebellionis incurreret, qui ingentem apparatum armorum congerere vellet. Imo nequidem nobilibus in caſtris ſuis abſque ſpeciali principis permisſione conceſſum eſt, tormenta habere, quia alioquin reſpubl. inde detrimentum accipere poſſet, neque his ad defenſionem indigent, cum præſidium ſibi non a *violentia* ſed a *Republica*, in qua degunt, & principis *prouidentia*, petere debeant. Et ſi vel maxime contingeret, per fortunæ beneficium tormenta ſub terra defoſſa in prædiis nobilium inueniri, ne ſic quidem nobiles fortunæ beneficio frui poſſent, niſi ex tacita principis conceſſione. vid. Bernegg. *in Tacit. Germ. q. 123.*

(y) *Ius fabricandi* arma in noſtris rebuspubl. non quidem vbique eſt reſtrictum, ſed peritis indiſtincte concedi ſolet,

ma, vel reſtringendi vel ſubditis permittendi, ſubditos armis inſtruendi, vel eorum vſu prohibendi, &c.

§. XVI. (II.) Ius exſtruendi fortalitia ſeu munimenta, quæ ſecuritati publicæ inſeruire, (z) hoſtem-

ſolet, poteſt tamen ſine dubio ad exemplum Iuſtiniani in *N. 85. c. 1.* pro ſtatu reipubl. varie determinari & reſtringi, commercium promiſcuum armorum ſubditis interdici, maxime, ne extraneis vel hoſtibus ea vendantur, cum id aperte perniciosum reipubl. futurum ſit, & adeo rectisſime tale commercium cum hoſtibus ad crimen perduellionis apud Romanos relatum eſt, *l. 4. ff. ad l. Iul. Mai.*

(z) Fortalitia non ad *nocendum*, ſed ad *defendendum* ordinarie ædificantur, atque adeo ius extruendi talia munimenta ad ius belli retulimus. Equidem non nego, poſſe etiam fortalitia ad nocendum exſtrui, vt ſcilicet ex illis, exorto bello, eo ſecuriores excurſiones fieri posſint in terram vicinam: ſed vtrum hac intentione munimentum ædificatum ſit, & annon potius defenſionis intuitu, nemo determinare, & conſequenter bellum eo nomine alteri inferre poteſt. Eodem quippe iure alteri genti, quæ damnum ex eiusmodi exſtructione metuit, permiſſum eſt, ad ſui defenſionem munimenta exſtruere, & ita mala inde metuenda præcauere. Non commode itaque hic applicari poteſt exceptio, quod ad *æmulationem* talis exſtructio fieri non debeat, h. e. vt aliis noceatur, non vt reſpubl. commodum inde habeat, quam ſuggerit Gail. 2. *obſ. 69. n. 18.* Nicol. Boer. *deciſ. 320. n. 8.* & probare intendit ex *l. 3. ff. de oper. publ.* Sed vnde de tali æmulatione conſtabit? Ex fortalitiis ordinarie ingens in rempubl. redundat vtilitas, & ita allegari non poſſunt rationes alicuius æmulationis. Diffidentiæ

hoſtemque repellere poſſint. Vnde quoque ius circa fortalitia iam exſtructa ordinarie ad impe-

dentiæ vtique indicium præbet, ſed inde alteri genti nullum datur ius contradicendi. Vnde & allegatus Boerius *c. l. n. 16.* de ſui temporis praxi notanter ait: *Rex Franciæ facit caſtra in finibus ſui territorii ad æmulationem regis Angliæ, & e conuerſo, & idem faciunt omnes mundi domini, quia cum iurisdictiones ſint diſtinctæ & pariter territoria, vnusquisque poteſt ſe in ſuo territorio præmunire & caſtra metari.* Poteſt tamen alteri ius prohibendi ex *pacto* vel *alio iure* competere, ſi forſan fœdere comprehenſum ſit, ne in hoc vel illo loco fortalitia exſtruantur, vel vt exſtructa deſtruantur, quemadmodum Tencteri ab Agrippinenſibus apud Tacitum *lib. IV. Hiſtor. c. 64.* id poſtularunt, inquientes: *Vt amicitia ſocietasque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus a vobis, vt muros coloniæ, ſeruitii munimenta, detrahatis.* Sic etiam per priuilegium territorio competens idem ius prohibendi *pro vario ſtatu reip.* contingere poteſt, vti in imperio noſtro, vbi plurima loca ex veteri iure tale ius ſibi vindicant prohibendi, ne intra certum terminum fortalitia exſtruantur. Norimberga a Carolo IV. priuilegium habet, *daß keinem frey ſtünde in einer Meilweges rings um die Stadt Marck oder Feſten aufzurichten.* vid. Goldaſtus *tom. 2. der Reichsſatzungen p. 66.* Ludouicus Bauarus anno 1332. apud Brower. *lib. 17. annal. Treuir.* vetuit, ne caſtra, munitiones, propugnacula a quoquam infra leucam a feudo Archiepiſcopi Treuirenſis aut Eccleſiæ inuitis Dominis attollantur vel ponantur. vid. Dn. Hertius *diſſ. de ſuper. territor. §. 19. in not.* Hoc quoque inde patet, imperantem tantum *in ſuo territorio* munimenta exſtruere poſſe, niſi rurſus ex *pacto* peculiari hoc ius alteri competat, veluti ob *ius clientelare* eo recti i

exer-

imperantem, non magiſtratum ſubalternum, ſpectat.

§. XVII. Priuatis (a) vero recte interdici poteſt

exercendum. Inde cum Aduocati eccleſiarum in ditionibus eccleſiaſticorum ſummum ius exercere & propugnacula exſtruere conarentur, Fridericus II. ſpeciali conſtitutione, quæ extat apud Schilter. *inſtit. iur. publ. tom. II. lib. 15. n. 7.* hoc prohibuit. Verba *cit. conſtit. n. 7. p. 113.* ſunt hæc: *Item conſtituimus, vt nulla ædificia, caſtra videlicet, ſeu ciuitates in fundis eccleſiarum vel occaſione Aduocatiæ vel aliquo quoquam prætextu conſtruantur, & ſi qua forte ſunt conſtructa contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur regia poteſtate.* Hoc intuitu quoque Imperator Leopoldus in *cap. art. 13. in f.* promittere neceſſum habuit, ſe nolle in ſtatuum territoriis fortalitia noua exſtruere, aut vetera reficere, quod liquidum indicium præbet, imperatori in ſtatuum territoriis parum iuris amplius competere.

(a) Equidem *nobilibus* aliquatenus permiſſum eſt leui muro vel foſſa caſtra ſua munire, prout etiam in *l. 10. C. de priu. ædif.* id olim indultum fuit; Sed de huiusmodi *munimentis leuisſimis* hic non quæritur, ſed de talibus, quæ vim bellicam ſuſtinere & hoſtem quodammodo arcere poſſunt. Talem defenſionem vt ſibi circumponant nobiles, neceſſe non habent, quam a tota republ. expectare debent, & verendum erat, ne tale propugnaculum priuatum in reipubl. detrimentum vergere poſſit. Dominandi libido & reſiſtendi ſtudium ſubditis innatum videtur, maxime primariis, & copia omnium rerum abundantibus. Primi motus ex huiusmodi arcibus vt plurimum oriuntur, quo intuitu Henricus II. Rex Angliæ procerum arces mœnibus nudauiſſe legitur. Idem contigiſſe in regno Neapolitano conſtat, in quo ob procerum poten-

eſt ne munimenta talia in caſtris ſuis exſtruant.

§. XVIII. Cum itaque hæc exſtructio in ſalutem totius reipubl. vergat, imperanti quoque competit ius eo nomine ſubditos colle-ctandi, (b) vel operas eorum exigendi.

§. XIX. Quin & agros ædesque ſubditorum imperans licite occupat, (c) quatenus vel

potentiam motus frequentes ſemper fuerunt, qui vix aliter quam deſtructis potentiorum caſtris, ſedari potuere. Forſtner *in Tacit. lib.* 2. *annal. p. m.* 172.

(b) Communis vtilitas communibus ſumtibus quoque eſt promouenda, cum quicquid in exſtructionem fortalitiorum impendatur, in omnium vergat ſalutem. Illuſtrationis loco hic conferri poteſt diſpoſitio *R. I. de Anno* 1654. §. 180. *&* *l.* 11. *C. de publ oper.* Conferunt autem omnes in vniuerſum ſubditi, etiam qui extra fortalitium prædia vel ſedes ſuas habent, cum talis exſtructio totius territorii cauſa fiat, & ruſtici quoque eo maiorem ſibi poſſint promittere ſecuritatem, quatenus irruptio hoſtium vel ita impeditur, vel ſimul tutum refugium iis præſtatur.

(c) Priuatorum iura & ſic quoque dominia ſubordinantur ſaluti reip., atque quod ita in ſalutem publicam impenditur ex bonis ſubditorum, in eo illis nulla infertur iniuria. Non itaque imperans loca publicis uſibus neceſſaria a ſubditis proprie loquendo redimere & pretium eorum ex ſuis reditibus ſoluere tenetur, ſed cum pauciores in commodum omnium aliquid contribuant, & quaſi pro omnibus impendant, merito id ex publico repetunt, vel ex collectis, exſtructionis intuitu ſolutis, iis ſatisfaciendum. Ex eodem principio dependet ius deſtruendi ædes, propugnaculo nimis vicinas, præſertim imminente belli impetu, ne ſci-

vel ad fortalitiorum exſtructionem illis indiget, vel alias ex illis damnum fortalitiis imminere animaduertit, vt tamen ab omnibus reſarciatur, quod pro omnibus datum eſt.

§. XX. Similiter non denegatum erit imperanti, in caſu neceſſitatis publicæ caſtrum aliquod, alicui ex ſubditis proprium, occupare, & munire, [d] vel illud deſtruere, ſi noxium ſecuritati reipubl. videatur.

§. XXI. Nec excipienda forent templa (e) ſi pro

ne ſcilicet hoſtis occupando ædes ſuburbanas grauius damnum reip. vel ciuitati inde inferat.

(d) Si imperans muniuiſſet caſtrum nobilis alicuius tempore belli, impenſas in caſtrum muniendum factas nobilis reſtituere haud obligatus eſſet, quas imperans non in poſſeſſoris, ſed totius reip. commodum fecit, quin quod magis hoc grauare poſſeſſorem videatur, dum ob munitionem plerumque militem præſidiarium recipere, vel ipſum caſtrum imperanti cedere, vel denique permittere tenetur, vt munimentum iterum deſtruatur, ne forte ſubito ab aliis occupetur.

(e) De iure naturæ *templa* ſunt locus publicus, cultus diuini cauſa adornatus, atque hoc intuitu ſpectant *ad rempubl.*, nec vſibus eius exemta ſunt. Certe aliquando plus inſeruiunt templa, ſi ad conſeruationem tot millium hominum tempore belli facere poſſunt, quam ſi cultus aliquis ſplendidiſſimus in iis tempore pacis DEO exhibetur. Neque attendimus Pontificis decretum in *c. 14. C. 10. q. 1.*, vbi prohibetur, ne eccleſiæ a laicis *incaſtellentur* h. e. vallo muniantur & ad vſum caſtelli dirigantur vid. Du Fresne *in Gloſſ. lit. I. ſub voc. incaſtellare.* quod & aliis variis conciliis conſtitutum reperimus v. c. Anno 1122, in *Concil. Later. c,*

pro conſeruanda ſecuritate reipubl. munienda viderentur.

§. XXII. Proximum huic eſt (III.) ius præſidiarium, vi cuius imperanti ius competit, fortalitia & ciuitates milite præſidiario (f) tuendi, ad defenſionem reipubl.

§. XXIII.

ter. c. 12. item anno 1209. *in Auenionenſi. c. 9.* anno 1279. *in Badenſi c. 53.* anno 1280. *in Synodo Colonienſi c. 11.* Anno 1287. *in Concilio Herbipolenſi c. 28.* quæ tot repetitæ in conciliis prohibitiones oſtendunt, praxin eius temporis fuiſſe frequentisſimam, munimenta templis circumponere. Et hoc intuitu Otto Friſingenſis *lib. VII. Chron. c. 31.* hoc *ſacrilegium* vocat, aiens: *Eccleſiam B. Petri incaſtellare ſacrilege & prophanisſime non metuunt.* Non nego, poſſe aliquando hic ſacrilegium committi, ſi latrocinii impii cauſa templa occupentur & muniantur; verum pro defenſione patriæ aliud vtique dicendum. Optime Quintilianus *declamat. 369. Tecta in ſubeuntes & ſacra, quin etiam templorum faſtigia deſperantium tela ſunt. Certum eſt omnia licere pro patria.*

(f) Munimenta ſine *milite præſidiario* plus nocent reip. quam proſunt. Sicuti itaque cuilibet imperanti ius præſidiorum in ſuo territorio competit, ita quoque exinde *aliqua* deducitur *præſumtio*, quod ille ſit dominus territorii, qui præſidiario milite hæc vel illa loca detinet. Admittit tamen probationem in contrarium. Sæpe ex pacto alicui competit ius præſidii in territorio alterius principis, ſicuti olim Hollandi in Cliuia illud ipſum habebant. In *Inſtrum. Pac. Cæſar. Gallic. n. 76.* regi Galliæ conceſſum fuit ius tenendi Præſidium in caſtro Philippsburg *protectionis* ergo, ad conuenientem tamen numerum reſtrictum, licet præter protectionem & præſidium nihil vlterius prætendere debue-

§. XXIII. Neque ciuitates imperanti ſubie-ctæ hoc ius in dubium eidem vocare poſſunt, ... ex

debuerit, ſed ipſa proprietas cum omnimoda iuriſdictione emolumentisque & omnibus ceteris regalibus epiſcopo & capitulo Spirenſi ſalua & illæſa relicta ſint. Sic etiam, vbi fœdere clientelari conuentum, vt patronus fortalitia exſtruere in clientelari territorio poſſit, ſine dubio quoque patrono ius denegari nequit, fortalitia talia præſidiario milite defendendi, quamuis hoc pactum in perniciem clientum vt plurimum vergere ſoleat. Nullo itaque iure magiſtratus oppidanus contra principem hoc ius prætendere poteſt, & quamuis in nonnullis Germaniæ ciuitatibus ſenatui vmbra quædam huius iuris relicta eſſe videatur, dum quandoque per milites oppidanos ex more antiquo, quo cuſtodia ciuitatum ciuibus demandata erat, excubias agunt; inde tamen nullum *ius præſidiarium* ſibi vindicare poſſunt, excluſo milite principis, cui ius belli & inde dependentia iura vnice competunt, & ſi vel maxime per magiſtratum oppidanum ius præſidiarium exercitum fuiſſet, vix tamen eſt, vt *ſuo iure* ſe id exercuiſſe, allegare poſſint, modo alias principi omnimoda ſuperioritas territorialis, & ſic imperium in ipſam ciuitatem competat. Nam poſtquam imperii noſtri ratio ſemel in irregularem ſtatum deducta eſt, certe in plurimis ciuitatibus plura irregularia obtinere cœperunt. Dantur ciuitates, quæ quidem non abſolute prouinciales, nec tamen etiam *liberæ & immediatæ* ſunt, quæ dominis territorii ius præſidii, excubiarum, &c. in dubium ex grauisſimis argumentis vocant, quod inprimis eluceſcit ex controuerſiis agitatis inter Epiſcopum Hildeſienſem & ſenatum ciuitatis Hildeſienſis *de iure præſidiario.* Scripta nonnulla hac de re in lucem edita, a parte Epiſcopi, *Vorlauffiger Bericht, über das Ihrer*

 Hoch-

ex hoc fundamento, quod hactenus illud non exercuerit. (g)

§. XXIV. Ex eodem fundamento quoque imperans (h) ſubditis excubias imperat in ciuitatibus, imo ſi tantum immineat periculum, vt omnes ciues pro defendenda ciuitate laborare debeant, nemo excuſatur a vigiliis publicis, (i) quocunque demum honoris gradu fulgeat.

§. XXV.

Hochfürſtl. Gnaden zu Hildesheim in dero Haubt und reſidentz Stadt ſelbiges Nahmens zukommendes ius præſidii militaris. A parte ſenatus prodiit tractatus: *Begründeter Gegenbericht in puncto iuris præſidii militaris ciuitatis Hildeſienſis &c.*

(g) Subditi & magiſtratus ſubalternus de ſummis rerum non diſponunt, & ita quoque contra ſuum imperantem, *ex libertate* agentem, nullam poſſunt, ne quidem præſcriptionem immemorialem, allegare, cum ne quidem ſola omisſio eius, quod libere quis facere & non facere poteſt, inter priuatos aliis ius prohibendi tribuat, multo minus ſubditis, quibus ius prohibendi nullum ordinarie contra principem competere poteſt. conf. Fritſch. *de iure Præſid. c. II.*

(h) Jus *excubiarum adornandarum* etiam aliquando ſenatui relinqui ſolet, vti fere olim per Germaniam obtinuit, vbi ciuitatum cuſtodia vt plurimum a Cæſaribus ſenatui oppidano eſt demandata, ex quo etiam factum, vt in plerisque ciuitatibus hodie excubiæ quædam pasſim a ſenatu imperentur. In antiquis legibus ſolent non raro vocari *VVacta VVachta* a voce Germanica *die VVachte* vid. Du Frehne *in gloſſ. voce VVacta.* Sed *primaria cura* penes principem, maxime tempore belli, reſidet, ſicuti ius præſidiarium.

(i) Hoc rationem habet, cum ſubditi ſe ideo coniunxere, vt con-

§. XXV. [IV.] A iure belli [k] quoque dependet ius conſcribendi milites, eorumque delectum habendi, ſed tantum intra fines territorii. (l).

§. XXVI

vt coniunctis viribus ſe ab aliorum inſultibus incolumes præſtare poſſent. Inde ne quidem Clerici excuſantur. Quamvis enim de iure naturali non adeo *ius præcipuum* præ aliis habeant, ſed, quia ſunt ſubditi, ad omnia ſubditorum onera obligentur, tamen poſito, quod lege poſitiua paſſim immunitate gaudeant, ne ſic quidem tempore neceſſitatis excuſantur ab excubiis, cum omnis immunitas ſubditis data non poſſit non in ſe *tacitam exceptionem neceſſitatis* continere, ne ſaluti reipubl. noxia exiſtat. Agnouere id ipſum pontifices alias immunitatibus ſuis tenaciter inſiſtentes, dum in *c. 2. x. de immun. eccl.* clericis quoque idem officium incumbere diſponunt.

[k] Quodſi itaque vel maxime prouinciam cum omnibus iuribus imperans alii tradat, & ſibi vnice *ius belli* in illa reſeruet, hoc ius quoque ibidem exercebit, vt poſſit milites conſcribere: eſt enim belli conſequens neceſſarium.

[l] Poteſt contingere, vt quis in alterius territorio hoc ius exercere queat, vel ex *pacto*, vel ſi *fœdere clientelari* hoc quoque comprehenſum ſit. Iuſte itaque reſiſtitur, ſi peregrini abſque conceſſione domini territorii milites conſcribere volunt, ſicuti etiam priuati, inconſulto imperante conſcribentes milites, ſe ſuſpectos de perduellionis crimine reddunt, & hoc intuitu Romani id ad crimen læſæ Maieſtatis referebant. Quinam conſcribendi ſint ad militiam, dependet ex determinatione imperantis. Sunt quippe omnes ſubditi obligati, reipublicæ per militiam inſeruire, & cum ita ſinguli obligentur, omnes autem vt adhibeantur

ad militiam, non ſemper neceſſe ſit; penes imperantem eſt electio. Grotius de *I. B. & P. lib. 1. c. 5. §. 4.* Hoc intuitu militia olim apud Romanos relata fuit *ad munera publica*, adeo *vt olim de ſuo hoc munere quisque functus eſſet*, donec tandem a ſenatu decretum eſſet, *vt ſtipendium miles de publico acciperet* Liuius *lib. IV. c. 59.* Apud Perſas omnes in bellum ire cogebantur, ex quo arma ferre poterant, & a viceſimo anno ſtipendia merere incipiebant. Strabo *lib. 15. Parum tuta enim ſine viribus eſt maieſtas*, vt ait Liuius *lib. II. c. 55.* Franci olim certum hominum genus tantum ad militiam admittebant, & quidem vel ideo, quia militia ſimul *dignitatis* argumentum erat; contra Saxones promiſcue quoslibet admittebant, & inde profluxit, quod nobiles paſſim *milites* penes antiquos vocentur. Inprimis autem defenſioni & ſecuritati inſeruit militia *prouincialis*, lecta ex ſubditis, & indigenis, qualem Anglia, Suecia &c. habent & alunt. Et ad hanc ſubeundam eo magis ſubditi obligantur, quo adſtrictius ſinguli ad defenſionem reip. cooperari debent. Felix ſemper habita eſt illa ciuitas, quae tempore pacis de bello cogitat. Hoc ipſum Corinthiorum legati apud Thucid. *lib. 1.* agnouerunt hisque verbis declararunt: *Quiete, vt plurimum ii homines fruuntur, qui ita quidem ſunt inſtructi, vt iniuriam nemini faciant: ſed viciſſim ita comparati, vt laceſſiti paſſuri id neutiquam videantur.* Id ipſum Romani vbique obſeruarunt, vnde tot bella egregie perficere potuerunt, vti recte iudicat Ioſephus *III. de bello iud. c. 3. Quod ſi quis*, ait, *aliam Romanorum diſciplinam in militia inſpexerit, cognoſcet, hoc grande imperium eos non fortunae beneficio, ſed propria virtute quaeſiiſſe. Neque enim initium illis armorum ipſum bellum eſt, nec ſolum cum vſus & neceſſitas eſt, manus mouent in pace feriati, ſed tanquam congeniti armis nullas capiunt exercitii inducias, nec expectant tempora. Meditationes illorum nihil a vera contentione diſcrepant, ſed in dies ſingulos militum quisque omnibus*

armis,

§. XXVI. Modus conſcribendi milites ex imperantis determinatione dependet, obſeruata tamen humanitatis ratione. (m)

§. XXVII.

armis, tanquam in procinctu poſitus exercetur, quo etiam facillime prælia tolerant.

(m) Optimum exemplar conſcribendorum militum, ratione modi a principe obſeruandi Deus ſuppeditat, rationem hanc Iſraelitis præſcribens *Deut. XX. 1. ſeqq.* (1) vult non eſſe ad militiam vocandos, qui rei oeconomicæ neceſſaria cura quodammodo diſtrahuntur, cum alii commodius hoc officium præſtare poſſint, (2.) non eſſe inuitos ad militiam cogendos, maxime timidiores. Durior modus conſcribendi milites habetur. *1. Sam. VIII. 11.* qui proinde inter *mala* & *calamitates* ſubditorum refertur. Quemadmodum etiam Dion. Halicarn. *lib. X.* hoc ipſum de *morboſa ciuitati Romana* aſſerit. *cum enim, ait, moderatos delectus habere deberent, illi eos, qui militiam detrectabant, vi cogere cœperunt, nullam excuſationem admittentes, nulli veniam dantes, ſed pœnis lege ſtatutis & in eorum corpora & bona acerbe vtentes.* Equidem imperans ſi ſubditos ad militiam cogit, non iniuſte facit, quia omnino ſinguli ad hoc obligantur, ſed (1.) non ſemper prudenter agit, ſi ſub *coacto milite* hoſtem propulſare intendit, & (2.) regulas humanitatis ſæpe violare poteſt, ſi eos ad militiam cogit, qui, nequidem ſubditi ſunt, vel qui hoc modo curam domeſticæ oeconomiæ plane deſerere tenentur. Si debite omnia obſeruarentur in conſcribendo milite, quæ obſeruari debebant, non deforet copia militum, veluti ſi non differretur conſcriptio militum ad vltimum neceſſitatis articulum, ſi ſtipendia ſufficientia militibus præberentur, ſi curetur, vt incolis repleantur ciuitates &c. vid. Dn. Budeus *de Offic. imper. in conſcrib. milit.*

§. XXVII. (V) Ab hoc iure præterea dependet ius metationis, (n) vi cuius imperans ſubditis imponit, vt milites in ædes recipiant, quos pro ſecuritate publica conſcripſit.

§. XXVIII. Et poſſunt omnes ſubditi, (o) cuius-

(n) Plenius explicuit hanc doctrinam Tabor in *tr. de metat.*, ſed vbique ad leges Romanas prouocat, & ex iisdem ſua aſſerta confirmat, quia perſuaſiſſimum habuit, neminem rectius poſſe ius publicum explicare quam ICtum Iuſtinianeum, in quo penitus diſceſſit a Conringio, vid. *c. 5. de met. §. 4. ſeqq.* quocum poſtea eo nomine in grauiores lites incidit. Potuiſſet Tabor apparatu tali operoſiſſimo ſuperſedere, ſi ex iuris vniuerſalis publici principiis rem expliciuiſſet: quæ enim in iure Romano hac de re habentur, itidem ex noſtra doctrina deſumta ſunt. Ceterum facile patet ius hoc metatorum fuiſſe neceſſarium potiſſimum propter *militem mercenarium*, qui vndique corradi & in vnum cogi ſolet. In milite lecto, qualis potiſſimum adhuc obtinet in *militia prouinciali perpetua*, multa onera olim ceſſabant, quæ nunc quidem ſubditi ſuſtinent, præſertim cum olim quilibet *ſuo ſumtu* ordinarie militaret, qualis etiam ratio fuit militiæ ante tempora Maximiliani I. Poſt quæ tempora vbi miles conductitius adſumi ſueuit, inde quoque iura metatorum ſequi debuerunt.

(o) Quia omnium ſubditorum vna eademque eſt obligatio intuitu imperantis, nemo *ſuo iure* ab eo liberatus erit. Cum itaque ſtatus imperii non ſint ſubditi imperatoris, neque eos neque eorum territoria metatis grauare poteſt, niſi quatenus ex *pacto imperii publico* ad defendendum imperium ſinguli ſtatus concurrere, & hac ratione, conditione belli vel neceſſitatis id poſtulante, metata militum admittere debent.

cuiuscunque conditionis ſint, ad id cogi, niſi ſe doceant exemtos per priuilegium, quod tamen in caſu neceſſitatis non attenditur.

§. XXIX. Æquum præterea eſt, vt ſubditi ſumtibus ſuis (p) milites recipiant, cum ad alendum militem, reipubl. defendendæ cauſa conſcriptum, obligentur.

§. XXX.

bent. Atque inde in *I. P. art. 8. §. gaudeant.* prouiſum, quod iure ſuffragii ſtatus gaudere debeant, quando delectus aut hoſpitationes militum ſunt inſtituendæ. Proinde metata militum imperii non ſuſtinent ex imperio Cæſaris *tanquam ſubditi*, ſed ex *pacto imperii publico*, ex quo ſinguli in communi periculo tenentur ſuccurrere neceſſitatibus publicis, quemadmodum etiam in ſyſtemate plurium ciuitatum fieri ſolet.

(p) Cum metata ex *bonis* ſubditorum ſuſtinenda ſint, ſequitur, vt in dubio magis ad *onera realia* referri debeant. Ceterum in ſubditorum libero arbitrio non abſolute videtur eſſe poſitum, an milites recipere an vero loco *hoſpitationis* æſtimationem ſoluere velint, quod *adarationem* vocare ſolent. adærare enim eſt, *ad æris pretium rem redigere*, Carol. du Fresne *in Gloſſ. voce adaratio*, cum in nullius debitoris priuati arbitrio ſit, obiectum obligationis mutare, aut aliud pro alio ſoluere, præſertim cum hoc ipſum in aliorum præiudicium vergere poſſet. Solet tamen non raro electio ſubditis relinqui, vt loco hoſpitationis *adarationem* ſoluant, quam vocant *Seruice-Gelder*, quemadmodum tam in Saxonia quam Brandenburgico Electoratu eiusmodi edicta deprehenduntur, quo caſu electio ſubditis ex *voluntate imperantis* ſalua eſt.

 (q) Ne-

§. XXX. Quamuis autem ius metatorum ab imperante potisſimum exerceatur, diſtributio (q) tamen ipſa hoſpitiorum per magiſtratum oppidanum fieri poteſt.

§. XXXI. Tandem (VI.) ex iure belli fluit *ius ſequelæ*, vi cuius imperans pro defenſione reipubl., maxime vbi ſumma neceſsitas ingruit, ſubditos (r) in militiam euocare, & vt eundem armati ſequantur, cogere poteſt.

§. XXXII.

(q) Nemini rectius diſtributio committi poteſt, quam magiſtratui oppidano, quippe cui optime inter omnes conſtat, quomodo adſignatio hoſpitiorum facienda, cum conditionem loci & incolarum exacte ſciant, quam metatores alii ignorare, & ob hanc rationem alios prægrauare poſſunt.

(r) Cum in plerisque rebuspublicis imperantes *mercenario milite* vtantur, ordinarie omnes ſubditi in bellum euocari non ſolent; interim tamen ſi ille deficiat, vtique ſingulis ſubditis incumbit obligatio rempublicam defendendi, & hinc *ius ſequelæ*, *der allgemeine Aufboth*, quod inprimis exercetur, in *caſu extremæ neceſsitatis*. Sic apud Athenienſes ab anno decimo quarto vsque ad ſexageſimum cives, exigente neceſsitate, in bellum ire cogebantur, cuiuscunque eſſent dignitatis. Iul. Pollux *in Phocione*. Imo putarem hoc ius quoque magiſtratum inferiorem exercere poſſe, ſi prouincia eidem concredita, ex inopinato ab hoſte inuaderetur, vt nulla alia illam defendendi ratio ſuppeteret: quia enim hoc caſu defenſionem etiam per vim, inconſulto imperante, recte exercet, hoc medium defendendæ prouinciæ eidem denegari nequit. Hac imminente neceſsitate immunitates a militia quieſcunt, quod & apud Romanos obtinebat, qui

§. XXXII. Neque tantum imperans hoc ius exercet quamdiu hoſtis inhæret finibus reipublicæ, ſed etiam ſubditis recte imponi poteſt, vt eum ſequantur extra fines (s) territorii, ſi ſecuritati reipublicæ aliter proſpectum eſſe non poſſit.

§. XXXIII. An autem & quinam in perſona imperantem ſequi debeant, an vero ſubſtitutum mittere ſufficiat, an denique ſoluere pecuniam poſſint pro ſequela, regulariter æſtimabit

qui tunc *tumultum* eſſe declarabant, qui grauius quid quam ſimplex bellum denotabat. Briſſon. *de form. ſolenn. lib. 2. p. 258.* Decreto vero tumultu a ſenatu, ceſſabant vacationes, nec cuiusquam excuſatio in delectu habendo admittebatur. Appianus *lib. 2. bell. ciuil.* Inde formula: *delectus ſine vacationibus habiti ſunt.* Liuius *lib. 10 c. 21.* & *lib. 3. c. 28.* Vnde ne quidem Sacerdotes immunes erant.

(s) Hoc quidam vel inde negant, quod ſubditi tantum arma capere debeant pro defendendis reipublicæ limitibus, quo poſito, ſuo videntur ſatisfeciſſe officio, ſi a finibus hoſtem depellere ſuſtinuerint. Verum cum ſubditis haud concedendum ſit, ſuo definire arbitratu, an ſalus reipubl. ſalua ſit per depulſionem hoſtis a limitibus, & præterea contingere poſſit, vt reipubl. non aliter ſatis proſpectum ſit, quam ſi etiam vlterius vires eius debilitentur, ius ſequelæ hac ratione reſtringi nequit. Neque in futurum respublica eo ipſo tuta dici poteſt, quod iam quidem hoſtis ſit depulſus. nam poteſt vtique hoſtis vires colligere, & de nouo rempublicam in ambiguum vocare diſcrimen.

(t) Audi-

mabit imperans, (t) qui ſequelam imperat, cuius eſt iudicare, quomodo ſecuritati publicæ proſpectum ſatis eſſe poſſit.

§. XXXIV. Tenentur autem ſequi imperantem ſuo ſumtu & victu, (g) vel, quod perinde eſt,

(t) Audiendi non ſunt, qui ſubditis dant electionem, quaſi præſtando intereſſe liberari queant, quod ſint obligati ad faciendum, quo caſu volunt ſufficere *præſtationem eius, quod intereſt.* Nam α] ipſa hæc doctrina in iure ciuili vix fundata dici poteſt, licet communiter Dd. hanc regulam in ore habeant; *debitor facti liberatur præſtando intereſſe.* β] Et ſi vel maxime inter *priuatos* vera eſſet, tamen valde incongrue ad ſubditorum obligationem applicatur, quæ multo adſtrictior eſt, quam quidem priuatorum inter ſe. γ] Aliquando etiam imperantis intereſſe poteſt, vt ſubditi in perſona compareant, quorum fidem magis perſpectam cognitamque habet, quam eorum, quos ſubſtituunt, qui vndiquaque corradi ſolent. Sic tempore belli punici II, vbi Hannibal ad portas erat, *ne prætoribus quidem, qui ad ius dicendum creati erant, vacatio a belli adminiſtratione data eſt.* Liuius *lib. XXIII. c. 31.* δ) Aliquando etiam iuſte exigit pecuniam pro ſequela, cum accidere poſſit, vt princeps ſubitaneo & exercitato milite indigeat, illum etiam pro pecunia habere poſſit, cum tamen ciues non ita exercitati eſſe queant. Equidem quidam hoc limitant & hunc excipiendum caſum iudicant, ſi pactis aliter conuentum ſit. Myler ab Ehrenbach. *de Princip. & Stat. imper. c. 76. §. 2.* Verum cum ius ſequelæ hodie, vbi milite conductitio vtimur, non niſi in caſu ſummæ neceſſitatis exerceri ſoleat, in hoc vero caſu talia pacta vim ſuam amittant, illa vt plurimum otioſa erunt.

(g) Loquor hic de caſu, quando omnes & ſinguli principem

de eſt, aliquid in commune conferre, vnde totus exercitus ſuſtineatur.

§. XXXV. Sicuti omne bellum *pacis cauſa* (h) ſuſci-

cipem ſequi tenentur, neceſſitate ita ferente, vbi expeditum eſt, quod quilibet ſe inſtruere debeat armis & veſtibus. Vbi forſan *decimus quisque* ex ciuitate in militiam vocatur, ciuitas, cuius nomine electi militiam ſubeunt, hæc ſubſidia præſtare tenetur, ne alioquin pauciores onus ferre cogantur, quod nomine omnium ſuſcipitur. Et licet vel maxime ratio belli non ſemper ita ferat, vt prouiſio ſingulis poſſit relinqui, ſed potius *publicæ prouiſiones* in hunc finem adornari debeant, hæ ipſæ tamen inſtituuntur ex ſubditorum collectis, vt in effectu videantur ſuo ſumtu militare.

(h) Bellum ſuſcipitur propter pacem hoc ſenſu, vt ſubditi tandem tranquille & ſecure viuere, nec vim externam amplius metuere debeant. Si, iudice Cicerone *Philipp. VII. p. m. 889. lit. d. pace frui volumus, bellum gerendum eſt, ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.* Proinde, vt recte idem aſſerit *lib. 1. de offic. p. m. 469. lit. d. ſuſcipienda bella ſunt eam ob cauſam, vt ſine iniuria in pace viuatur. Qui enim aliter non poſſunt, ideo belligerantur, non vt perpetuo bellum gerant, ſed vt tandem tuto in pace quieſcant*, vt ait Themiſtius *orat. 5.* Cum vero nulla ſalus in bello ſit, & imperans ſemper præferre debeat ſecuritatem reipublicæ ambiguæ belli fortunæ, hinc recte Cicero *lib. VI. epiſt. 6.* inde concludit, *iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferendam eſſe* & *lib. VII. ad Attic. epiſt. 14. in f.* idem repetit his verbis: *ad pacem hortari non deſino, quæ vel iniuſta vtilior eſt, quam iuſtiſſimum bellum*, id quod ſine dubio ita intelligendum, ſi modo de cetero reſpublica incolumis ſeruari, & a futura iniuria ſalua eſſe queat. Rationem idem ſuggerit in *Philipp. XIII. pr.* his

ſuſcipi debet, ita imperanti quoque ius pacis ſanciendæ in ſuæ reipublicæ ſecuritatem competit.

§. XXXVI. Duces itaque belli, quibus ab imperante *belli directio* concredita eſt, hoc ius ſibi

pr. his verbis: *Dulce nomen eſt pacis, res vero ipſa tum iucunda tum ſalutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat.* Vnde non minor ratio *pacis*, quam *belli* in republ. habenda eſt: *Si enim regum atque imperatorum animi virtus in pace ita vti in bello valet, æquabilius & conſtantius ſe res humanæ habent.* Saluſt. *de bello catil. c. 2. n. 3.* In Numa Pompilio Liuius *lib. I. c. 21.* hoc ſtudium pacis regni cauſa laudat, *omnium maximum*, ait, *operum fuit tutela per omne regni tempus haud minor pacis quam regni.* Ex accidente, & malo more ciuitatis contingit, ſi bella externa magis, quam pax prodeſſe videantur, id quod tamen in antiqua Romana republ. contigiſſe conſtat. Obſeruat hoc ipſum Dionyſ. Haliçarnaſſ. *lib. X.* aiens. *Hoc illi ciuitati familiare erat, vt ſi bello premeretur, concors eſſet: ſi pace frueretur, ſeditione laboraret. Quod cum animaduerterent ſummi magiſtratus, nihilo magis quam bellum aliquod externum ſemper oriri optabant. Quoties vero pax foris erat, ipſi crimina confingebant, & bellorum occaſiones quærebant, quippe quod viderent rempublicam bellis magnam & fortunatam fieri, ſeditionibus vero humilem & infirmam reddi.* Enimuero hoc medium conſeruandi pacem reipublicæ eſt formidoloſum & periculoſum, ſaltem a tramite vero deflectit, vt nulla inde regula deſumi poſſit, ſicut regula viuendi ab eo peti non poteſt, qui perpetuis conflictatur malis internis externiſque.

(i) Pacis

ſibi vindicare nequeunt, (i) adeo vt ſi vel maxime cum hoſte, neceſſitate compulſi, pacem inire coacti fuerint, hæc tamen non aliter imperantem obligare, quam ex ſubſecuta ratihabitione, queat, quale pactum cum belli ducibus initum olim SPONSIO (k) appellatum fuit.

§. XXXVII.

(i) Pacis arbitrium vnice penes imperantem conſiſtit, nec eius conditiones dependere poſſunt ex beneplacito Ducum belli, ſi vel maxime illis libera belli adminiſtratio ab imperante commiſſa ſit, cum hoc negotium tam arduum ſit, vt ipſius principis ſpecialem directionem & arbitrium requirat. Hoc Romani antiquitus ſæpe vrſerunt, & inprimis in ſponſione Caudina, vbi ipſe Poſthumius cenſuit, *cum pax illa iniuſſu populi facta eſſet, populum ea non teneri.* Liuius *lib. 9. c. 8.*

(k) Huc reſpexit ICtus in *l. 5. ff. de pact.* vbi *ius pacis ſanciendæ* ducibus belli adſcribere videtur aiens: *Publica conuentio eſt, quæ fit per pacem, quotiens inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.* Equidem ius publicum vniuerſale ex iure Romano addiſcendum non eſt. Illuſtrationis tamen cauſa quædam hic ex hiſtoria Romana adiiciam. Diſtinguebant Romani *pacem à ſponſionibus.* Hæ dicebantur pactiones initæ a ducibus belli pacis cauſa, ſed autoritate populi Romani demum ratihabendæ, qua ratihabitione deficiente, ſponſio effectu carebat, quamuis ſpondentes hoſti dedendi erant, vti id illuſtri exemplo duplici *Sponſionis Caudinæ & Numantinæ* conſtat. Vtriusque rationes & momenta explicat egregie Dn. Thomaſius diſſertatione duplici. Deinde alia quæſtio eſt, an duces belli *pacem perpetuam* inire queant, quod hactenus negatum eſt, & annon aliquo modo *inducias*, vel pactum cum hoſte

pro conſeruanda ſecuritate reipubl. munienda viderentur.

§. XXII. Proximum huic eſt (III.) ius præſidiarium, vi cuius imperanti ius competit, fortalitia & ciuitates milite præſidiario (f) tuendi, ad defenſionem reipubl.

§. XXIII.

ter. c. 12. item anno 1209. *in Auenionenſi. c. 9.* anno 1279. *in Badenſi c. 53.* anno 1280. *in Synodo Colonienſi c. 11.* Anno 1287. *in Concilio Herbipolenſi c. 28.* quæ tot repetitæ in conciliis prohibitiones oſtendunt, praxin eius temporis fuiſſe frequentisſimam, munimenta templis circumponere. Et hoc intuitu Otto Friſingenſis *lib. VII. Chron. c. 31.* hoc *ſacrilegium* vocat, aiens: *Eccleſiam B. Petri incaſtellare ſacrilege & prophanisſime non metuunt.* Non nego, poſſe aliquando hic ſacrilegium committi, ſi latrocinii impii cauſa templa occupentur & muniantur; verum pro defenſione patriæ aliud vtique dicendum. Optime Quintilianus *declamat. 369. Tecta in ſubeuntes & ſacra, quin etiam templorum faſtigia deſperantium tela ſunt. Certum eſt omnia licere pro patria.*

(f) Munimenta ſine *milite præſidiario* plus nocent reip. quam proſunt. Sicuti itaque cuilibet imperanti ius præſidiorum in ſuo territorio competit, ita quoque exinde *aliqua* deducitur *præſumtio*, quod ille ſit dominus territorii, qui præſidiario milite hæc vel illa loca detinet. Admittit tamen probationem in contrarium. Sæpe ex pacto alicui competit ius præſidii in territorio alterius principis, ſicuti olim Hollandi in Cliuia illud ipſum habebant. In *Inſtrum. Pac. Cæſar. Gallic. n. 76.* regi Galliæ conceſſum fuit ius tenendi Præſidium in caſtro Philippsburg *protectionis* ergo, ad conuenientem tamen numerum reſtrictum, licet præter protectionem & præſidium nihil vlterius prætendere debue-

§. XXIII. Neque ciuitates imperanti ſubiectæ hoc ius in dubium eidem vocare poſſunt; ... ex

debuerit, ſed ipſa proprietas cum omnimoda iurisdictione emolumentisque & omnibus ceteris regalibus epiſcopo & capitulo Spirenſi ſalua & illæſa relicta ſint. Sic etiam, vbi fœdere clientelari conuentum, vt patronus fortalitia extruere in clientelari territorio poſſit, ſine dubio quoque patrono ius denegari nequit, fortalitia talia præſidiario milite defendendi, quamuis hoc pactum in perniciem clientum vt plurimum vergere ſoleat. Nullo itaque iure magiſtratus oppidanus contra principem hoc ius prætendere poteſt, & quamuis in nonnullis Germaniæ ciuitatibus ſenatui vmbra quædam huius iuris relicta eſſe videatur, dum quandoque per milites oppidanos ex more antiquo, quo cuſtodia ciuitatum ciuibus demandata erat, excubias agunt; inde tamen nullum *ius præſidiarium* ſibi vindicare poſſunt, excluſo milite principis, cui ius belli & inde dependentia iura vnice competunt, & ſi vel maxime per magiſtratum oppidanum ius præſidiarium exercitum fuiſſet, vix tamen eſt, vt *ſuo iure* ſe id exercuiſſe, allegare poſſint, modo alias principi omnimoda ſuperioritas territorialis, & ſic imperium in ipſam ciuitatem competat. Nam poſtquam imperii noſtri ratio ſemel in irregularem ſtatum deducta eſt, certe in plurimis ciuitatibus plura irregularia obtinere cœperunt. Dantur ciuitates, quæ quidem non abſolute prouinciales, nec tamen etiam *liberæ* & *immediatæ* ſunt, quæ dominis territorii ius præſidii, excubiarum &c. in dubium ex grauisſimis argumentis vocant, quod inprimis eluceſcit ex controuerſiis agitatis inter Epiſcopum Hildeſienſem & ſenatum ciuitatis Hildeſienſis *de iure præſidiario*. Seripta nonnulla hac de re in lucem edita, a parte Epiſcopi, *Vorlauffiger Bericht, über das Ihrer*

 Hoch-

ex hoc fundamento, quod hactenus illud non exercuerit. (g)

§. XXIV. Ex eodem fundamento quoque imperans (h) ſubditis excubias imperat in ciuitatibus, imo ſi tantum immineat periculum, vt omnes ciues pro defendenda ciuitate laborare debeant, nemo excuſatur a vigiliis publicis, (i) quocunque demum honoris gradu fulgeat.

§. XXV.

Hochfürſtl. Gnaden zu Hildesheim in dero Haubt und reſidentz Stadt ſelbiges Nahmens zukommendes ius præſidii militaris. A parte ſenatus prodiit tractatus: *Begründeter Gegenbericht in puncto iuris præſidii militaris ciuitatis Hildeſienſis &c.*

(g) Subditi & magiſtratus ſubalternus de ſummis rerum non diſponunt, & ita quoque contra ſuum imperantem, *ex libertate* agentem, nullam poſſunt, ne quidem præſcriptionem immemorialem, allegare, cum ne quidem ſola omisſio eius, quod libere quis facere & non facere poteſt, inter priuatos aliis ius prohibendi tribuat, multo minus ſubditis, quibus ius prohibendi nullum ordinarie contra principem competere poteſt. conf. Fritſch. *de iure Præſid. c. II.*

(h) Jus *excubiarum adornandarum* etiam aliquando ſenatui relinqui ſolet, vti fere olim per Germaniam obtinuit, vbi ciuitatum cuſtodia vt plurimum a Cæſaribus ſenatui oppidano eſt demandata, ex quo etiam factum, vt in plerisque ciuitatibus hodie excubiæ quædam pasſim a ſenatu imperentur. In antiquis legibus ſolent non raro vocari *VVacta VVachta* a voce Germanica *die VVachte* vid. Du Frehne *in gloſſ. voce VVacta.* Sed *primaria cura* penes principem, maxime tempore belli, reſidet, ſicuti ius præſidiarium.

(i) Hoc rationem habet, cum ſubditi ſe ideo coniunxere, vt con-

§. XXV. [IV.] A iure belli [k] quoque dependet ius conſcribendi milites, eorumque delectum habendi, ſed tantum intra fines territorii. (l)

§. XXVI

vt coniunctis viribus ſe ab aliorum inſultibus incolumes præſtare poſſent. Inde ne quidem Clerici excuſantur. Quamuis enim de iure naturali non adeo *ius præcipuum* præ aliis habeant, ſed, quia ſunt ſubditi, ad omnia ſubditorum onera obligentur, tamen poſito, quod lege poſitiua paſſim immunitate gaudeant, ne ſic quidem tempore neceſſitatis excuſantur ab excubiis, cum omnis immunitas ſubditis data non poſſit non in ſe *tacitam exceptionem neceſſitatis* continere, ne ſaluti reipubl. noxia exiſtat. Agnouere id ipſum pontifices alias immunitatibus ſuis tenaciter inſiſtentes, dum in *c. 2. x. de immun. eccl.* clericis quoque idem officium incumbere diſponunt.

[k] Quodſi itaque vel maxime prouinciam cum omnibus iuribus imperans alii tradat, & ſibi vnice *ius belli* in illa reſeruet, hoc ius quoque ibidem exercebit, vt poſſit milites conſcribere: eſt enim belli conſequens neceſſarium.

[l] Poteſt contingere, vt quis in alterius territorio hoc ius exercere queat, vel ex *pacto*, vel ſi *fœdere clientelari* hoc quoque comprehenſum ſit. Iuſte itaque reſiſtitur, ſi peregrini abſque conceſſione domini territorii milites conſcribere volunt, ſicuti etiam priuati, inconſulto imperante conſcribentes milites, ſe ſuſpectos de perduellionis crimine reddunt, & hoc intuitu Romani id ad crimen læſæ Maieſtatis referebant. Quinam conſcribendi ſint ad militiam, dependet ex determinatione imperantis. Sunt quippe omnes ſubditi obligati, reipublicæ per militiam inſeruire, & cum ita ſinguli obligentur, omnes autem vt adhibeantur

ad militiam, non ſemper neceſſe ſit; penes imperantem eſt electio. Grotius de *I. B. & P. lib. 1. c. 5. §. 4.* Hoc intuitu militia olim apud Romanos relata fuit *ad munera publica*, adeo *vt olim de ſuo hoc munere quisque functus eſſet*, donec tandem a ſenatu decretum eſſet, *vt ſtipendium miles de publico acciperet* Liuius *lib. IV. c. 59.* Apud Perſas omnes in bellum ire cogebantur, ex quo arma ferre poterant, & a viceſimo anno ſtipendia merere incipiebant. Strabo *lib. 15. Parum tuta enim ſine viribus eſt maieſtas*, vt ait Liuius *lib. II. c. 55.* Franci olim certum hominum genus tantum ad militiam admittebant, & quidem vel ideo, quia militia ſimul *dignitatis* argumentum erat, contra Saxones promiſcue quoslibet admittebant, & inde profluxit, quod nobiles paſſim *milites* penes antiquos vocentur. Inprimis autem defenſioni & ſecuritati inſeruit militia *prouincialis*, lecta ex ſubditis, & indigenis, qualem Anglia, Suecia &c. habent & alunt. Et ad hanc ſubeundam eo magis ſubditi obligantur, quo adſtrictius ſinguli ad defenſionem reip. cooperari debent. Felix ſemper habita eſt illa ciuitas, quæ tempore pacis de bello cogitat. Hoc ipſum Corinthiorum legati apud Thucid. *lib. 1.* agnouerunt hisque verbis declararunt: *Quiete, vt plurimum ii homines fruuntur, qui ita quidem ſunt inſtructi, vt iniuriam nemini faciant: ſed viciſſim ita comparati, vt laceſſiti paſſuri id neutiquam videantur.* Id ipſum Romani vbique obſeruarunt, vnde tot bella egregie perficere potuerunt, vti recte iudicat Ioſephus *III. de bello iud. c. 3. Quod ſi quis*, ait, *aliam Romanorum diſciplinam in militia inſpexerit, cognoſcet, hoc grande imperium eos non fortunæ beneficio, ſed propria virtute quaſiuiſſe. Neque enim initium illis armorum ipſum bellum eſt, nec ſolum cum vſus & neceſſitas eſt, manus mouent in pace feriati, ſed tanquam congeniti armis nullas capiunt exercitii inducias, nec expectant tempora. Meditationes illorum nihil a vera contentione diſcrepant, ſed in dies ſingulos militum quisque omnibus*

armis,

§. XXVI. Modus conſcribendi milites ex imperantis determinatione dependet, obſeruata tamen humanitatis ratione. (m)

§. XXVII.

armis, tanquam in procinctu poſitus exercetur, quo etiam facillime prælia tolerant.

(m) Optimum exemplar conſcribendorum militum, ratione modi a principe obſeruandi Deus ſuppeditat, rationem hanc Iſraelitis præſcribens *Deut. XX. 1. ſeqq.* (1) vult non eſſe ad militiam vocandos, qui rei oeconomicæ neceſſaria cura quodammodo diſtrahuntur, cum alii commodius hoc officium præſtare poſſint, (2.) non eſſe inuitos ad militiam cogendos, maxime timidiores. Durior modus conſcribendi milites habetur. *1. Sam. VIII. 11.* qui proinde inter *mala* & *calamitates* ſubditorum refertur. Quemadmodum etiam Dion. Halicarn. *lib. X.* hoc ipſum de *morboſa ciuitate Romana* aſſerit. *cum enim,* ait, *moderatos delectus habere deberent, illi eos, qui militiam detrectabant, vi cogere cœperunt, nullam excuſationem admittentes, nulli veniam dantes, ſed pœnis lege ſtatutis & in eorum corpora & bona acerbe vtentes.* Equidem imperans ſi ſubditos ad militiam cogit, non iniuſte facit, quia omnino ſinguli ad hoc obligantur, ſed (1.) non ſemper prudenter agit, ſi ſub *coacto milite* hoſtem propulſare intendit, & (2.) regulas humanitatis ſæpe violare poteſt, ſi eos ad militiam cogit, qui, nequidem ſubditi ſunt, vel qui hoc modo curam domeſticæ oeconomiæ plane deſerere tenentur. Si debite omnia obſeruarentur in conſcribendo milite, quæ obſeruari debebant, non deforet copia militum, veluti ſi non differretur conſcriptio militum ad vltimum neceſſitatis articulum, ſi ſtipendia ſufficientia militibus præberentur, ſi curetur, vt incolis repleantur ciuitates &c. vid. Dn. Budeus *de Offic. imper. in conſcrib. milit.*

§. XXVII. (V) Ab hoc iure præterea dependet ius metationis, (n) vi cuius imperans ſubditis imponit, vt milites in ædes recipiant, quos pro ſecuritate publica conſcripſit.

§. XXVIII. Et poſſunt omnes ſubditi, (o) cuius-

(n) Plenius explicuit hanc doctrinam Tabor in *tr. de metat.*, ſed vbique ad leges Romanas prouocat, & ex iisdem ſua aſſerta confirmat, quia perſuaſisſimum habuit, neminem rectius poſſe ius publicum explicare quam ICtum Iuſtinianeum, in quo penitus diſceſſit a Conringio, vid. *c. 5. de met. §. 4. ſeqq.* quocum poſtea eo nomine in grauiores lites incidit. Potuiſſet Tabor apparatu tali operoſisſimo ſuperſedere, ſi ex iuris vniuerſalis publici principiis rem expli cuiſſet: quæ enim in iure Romano hac de re habentur, itidem ex noſtra doctrina deſumta ſunt. Ceterum facile patet ius hoc metatorum fuiſſe neceſſarium potisſimum propter *militem mercenarium*, qui vndique corradi & in vnum cogi ſolet. In milite lecto, qualis potisſimum adhuc obtinet in *militia prouinciali perpetua*, multa onera olim ceſſabant, quæ nunc quidem ſubditi ſuſtinent, præſertim cum olim quilibet *ſuo ſumtu* ordinarie militaret, qualis etiam ratio fuit militiæ ante tempora Maximiliani I. Poſt quæ tempora vbi miles conductitius adſumi ſueuit, inde quoque iura metatorum ſequi debuerunt.

(o) Quia omnium ſubditorum vna eademque eſt obligatio intuitu imperantis, nemo *ſuo iure* ab eo liberatus erit. Cum itaque ſtatus imperii non ſint ſubditi imperatoris, neque eos neque eorum territoria metatis grauare poteſt, niſi quatenus ex *pacto imperii publico* ad defendendum imperium ſinguli ſtatus concurrere, & hac ratione, conditione belli vel neceſſitatis id poſtulante, metata militum admittere debent.

cuiuscunque conditionis ſint, ad id cogi, niſi ſe doceant exemtos per priuilegium, quod tamen in caſu neceſſitatis non attenditur.

§. XXIX. Æquum præterea eſt, vt ſubditi ſumtibus ſuis (p) milites recipiant, cum ad alendum militem, reipubl. defendendæ cauſa conſcriptum, obligentur.

§. XXX.

bent. Atque inde in *I. P. art. 8. §. gaudeant.* prouiſum, quod iure ſuffragii ſtatus gaudere debeant, quando delectus aut hoſpitationes militum ſunt inſtituendæ. Proinde metata militum imperii non ſuſtinent ex imperio Cæſaris *tanquam ſubditi*, ſed ex *pacto imperii publico*, ex quo ſinguli in communi periculo tenentur ſuccurrere neceſſitatibus publicis, quemadmodum etiam in ſyſtemate plurium ciuitatum fieri ſolet.

(p) Cum metata ex *bonis* ſubditorum ſuſtinenda ſint, ſequitur, vt in dubio magis ad *onera realia* referri debeant. Ceterum in ſubditorum libero arbitrio non abſolute videtur eſſe poſitum, an milites recipere an vero loco *hoſpitationis* æſtimationem ſoluere velint, quod *adaerationem* vocare ſolent. adærare enim eſt, *ad æris pretium rem redigere*, Carol. du Freſne *in Gloſſ. voce adæratio*, cum in nullius debitoris priuati arbitrio ſit, obiectum obligationis mutare, aut aliud pro alio ſoluere, præſertim cum hoc ipſum in aliorum præiudicium vergere poſſet. Solet tamen non raro electio ſubditis relinqui, vt loco hoſpitationis *adærationem* ſoluant, quam vocant *Seruice-Gelder*, quemadmodum tam in Saxonia quam Brandenburgico Electoratu eiusmodi edicta deprehenduntur, quo caſu electio ſubditis ex *voluntate imperantis* ſalua eſt.

 (q) Ne-

§. XXX. Quamuis autem ius metatorum ab imperante potiſſimum exerceatur, diſtributio (q) tamen ipſa hoſpitiorum per magiſtratum oppidanum fieri poteſt.

§. XXXI. Tandem (VI.) ex iure belli fluit *ius ſequelæ*, vi cuius imperans pro defenſione reipubl., maxime vbi ſumma neceſſitas ingruit, ſubditos (r) in militiam euocare, & vt eundem armati ſequantur, cogere poteſt.

§. XXXII.

(q) Nemini rectius diſtributio committi poteſt, quam magiſtratui oppidano, quippe cui optime inter omnes conſtat, quomodo adſignatio hoſpitiorum facienda, cum conditionem loci & incolarum exacte ſciant, quam metatores alii ignorare, & ob hanc rationem alios prægrauare poſſunt.

(r) Cum in plerisque rebuspublicis imperantes *mercenario milite* vtantur, ordinarie omnes ſubditi in bellum euocari non ſolent; interim tamen ſi ille deficiat, vtique ſingulis ſubditis incumbit obligatio rempublicam defendendi, & hinc *ius ſequelæ*, *der allgemeine Aufboth*, quod inprimis exercetur, in *caſu extremæ neceſſitatis*. Sic apud Athenienſes ab anno decimo quarto vsque ad ſexageſimum cives, exigente neceſſitate, in bellum ire cogebantur, cuiuscunque eſſent dignitatis. Iul. Pollux *in Phocione*. Imo putarem hoc ius quoque magiſtratum inferiorem exercere poſſe, ſi prouincia eidem concredita, ex inopinato ab hoſte inuaderetur, vt nulla alia illam defendendi ratio ſuppeteret: quia enim hoc caſu defenſionem etiam per vim, inconſulto imperante, recte exercet, hoc medium defendendæ prouinciæ eidem denegari nequit. Hac imminente neceſſitate immunitates a militia quieſcunt, quod & apud Romanos obtinebat,

qui

§. XXXII. Neque tantum imperans hoc ius exercet quamdiu hoſtis inhæret finibus reipublicæ, ſed etiam ſubditis recte imponi poteſt, vt eum ſequantur extra fines (s) territorii, ſi ſecuritati reipublicæ aliter proſpectum eſſe non poſſit.

§. XXXIII. An autem & quinam in perſona imperantem ſequi debeant, an vero ſubſtitutum mittere ſufficiat, an denique ſoluere pecuniam poſſint pro ſequela, regulariter æſtimabit

qui tunc *tumultum* eſſe declarabant, qui grauius quid quam ſimplex bellum denotabat. Briſſon. *de form. ſolenn. lib. 2. p. 258.* Decreto vero tumultu a ſenatu, ceſſabant vacationes, nec cuiusquam excuſatio in delectu habendo admittebatur, Appianus *lib. 2. bell. ciuil.* Inde formula: *delectus ſine vacationibus habiti ſunt.* Liuius *lib. 10. c. 21.* & *lib. 3. c. 28.* Vnde ne quidem Sacerdotes immunes erant.

(s) Hoc quidam vel inde negant, quod ſubditi tantum arma capere debeant pro defendendis reipublicæ limitibus, quo poſito, ſuo videntur ſatisfeciſſe officio, ſi a finibus hoſtem depellere ſuſtinuerint. Verum cum ſubditis haud concedendum ſit, ſuo definire arbitratu, an ſalus reipubl. ſalua ſit per depulſionem hoſtis a limitibus, & præterea contingere poſſit, vt reipubl. non aliter ſatis proſpectum ſit, quam ſi etiam vlterius vires eius debilitentur, ius ſequelæ hac ratione reſtringi nequit. Neque in futurum reſpublica eo ipſo tuta dici poteſt, quod iam quidem hoſtis ſit depulſus. nam poteſt vtique hoſtis vires colligere, & de nouo rempublicam in ambiguum vocare diſcrimen.

(t) Audi-

mabit imperans, (t) qui ſequelam imperat, cuius eſt iudicare, quomodo ſecuritati publicæ proſpectum ſatis eſſe poſſit.

§. XXXIV. Tenentur autem ſequi imperantem ſuo ſumtu & victu, (g) vel, quod perinde eſt,

(t) Audiendi non ſunt, qui ſubditis dant electionem, quaſi præſtando intereſſe liberari queant, quod ſint obligati ad faciendum, quo caſu volunt ſufficere *præſtationem eius, quod intereſt*. Nam α] ipſa hæc doctrina in iure ciuili vix fundata dici poteſt, licet communiter Dd. hanc regulam in ore habeant; *debitor facti liberatur præſtando intereſſe*. β] Et ſi vel maxime inter *priuatos* vera eſſet, tamen valde incongrue ad ſubditorum obligationem applicatur, quæ multo adſtrictior eſt, quam quidem priuatorum inter ſe. γ] Aliquando etiam imperantis intereſſe poteſt, vt ſubditi in perſona compareant, quorum fidem magis perſpectam cognitamque habet, quam eorum, quos ſubſtituunt, qui vndiquaque corradi ſolent. Sic tempore belli punici II, vbi Hannibal ad portas erat, *ne prætoribus quidem, qui ad ius dicendum creati erant, vacatio a belli adminiſtratione data eſt*. Liuius *lib. XXIII. c.32.* δ) Aliquando etiam iuſte exigit pecuniam pro ſequela, cum accidere poſſit, vt princeps ſubitaneo & exercitato milite indigeat, illum etiam pro pecunia habere poſſit, cum tamen ciues non ita exercitati eſſe queant. Equidem quidam hoc limitant & hunc excipiendum caſum iudicant, ſi pactis aliter conuentum ſit. Myler ab Ehrenbach. *de Princip. & Stat. imper. c. 76. §. 2.* Verum cum ius ſequelæ hodie, vbi milite conductitio vtimur, non niſi in caſu ſummæ neceſſitatis exerceri ſoleat, in hoc vero caſu talia pacta vim ſuam amittant, illa vt plurimum otioſa erunt.

(g) Loquor hic de caſu, quando omnes & ſinguli principem

de eſt, aliquid in commune conferre, vnde totus exercitus ſuſtineatur.

§. XXXV. Sicuti omne bellum *pacis cauſa* (h) ſuſci-

cipem ſequi tenentur, neceſsitate ita ferente, vbi expeditum eſt, quod quilibet ſe inſtruere debeat armis & veſtibus. Vbi forſan *decimus quisque* ex ciuitate in militiam vocatur, ciuitas, cuius nomine electi militiam ſubeunt, hæc ſubſidia præſtare tenetur, ne alioquin pauciores onus ferre cogantur, quod nomine omnium ſuſcipitur. Et licet vel maxime ratio belli non ſemper ita ferat, vt prouiſio ſingulis poſsit relinqui, ſed potius *publicæ prouiſiones* in hunc finem adornari debeant, hæ ipſæ tamen inſtituuntur ex ſubditorum collectis, vt in effectu videantur ſuo ſumtu militare.

(h) Bellum ſuſcipitur propter pacem hoc ſenſu, vt ſubditi tandem tranquille & ſecure viuere, nec vim externam amplius metuere debeant. Si, iudice Cicerone *Philipp. VII. p. m. 889. lit. d. pace frui volumus, bellum gerendum eſt, ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.* Proinde, vt recte idem aſſerit *lib. 1. de offic. p. m. 469. lit. d. ſuſcipienda bella ſunt eam ob cauſam, vt ſine iniuria in pace viuatur. Qui enim aliter non poſſunt, ideo belligerantur, non vt perpetuo bellum gerant, ſed vt tandem tuto in pace quieſcant*, vt ait Themiſtius *orat. 5.* Cum vero nulla ſalus in bello ſit, & imperans ſemper præferre debeat ſecuritatem reipublicæ ambiguæ belli fortunæ, hinc recte Cicero *lib. VI. epiſt. 6.* inde concludit, *iniquiſsimam pacem iuſtiſsimo bello anteferendam eſſe* & *lib. VII. ad Attic. epiſt. 14. in f.* idem repetit his verbis: *ad pacem hortari non deſino, quæ vel iniuſta vtilior eſt, quam iuſtiſsimum bellum*, id quod ſine dubio ita intelligendum, ſi modo de cetero reſpublica incolumis ſeruari, & a futura iniuria ſalua eſſe queat. Rationem idem ſuggerit in *Philipp. XIII. pr.* his

ſuſcipi debet, ita imperanti quoque ius pacis ſanciendæ in ſuæ reipublicæ ſecuritatem competit.

§. XXXVI. Duces itaque belli, quibus ab imperante *belli directio* concredita eſt, hoc ius ſibi

pr. his verbis: *Dulce nomen eſt pacis, res vero ipſa tum iucunda tum ſalutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat.* Vnde non minor ratio *pacis*, quam *belli* in republ. habenda eſt: *Si enim regum atque imperatorum animi virtus in pace ita vti in bello valet, æquabilius & conſtantius ſe res humanæ habent.* Saluſt. *de bello catil. c. 2. n. 3.* In Numa Pompilio Liuius *lib. I. c. 21.* hoc ſtudium pacis regni cauſa laudat, *omnium maximum*, ait, *operum fuit tutela per omne regni tempus haud minor pacis quam regni.* Ex accidente, & malo more ciuitatis contingit, ſi bella externa magis, quam pax prodeſſe videantur, id quod tamen in antiqua Romana republ. contigiſſe conſtat. Obſeruat hoc ipſum Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. X.* aiens. *Hoc illi ciuitati familiare erat, vt ſi bello premeretur, concors eſſet: ſi pace frueretur, ſeditione laboraret. Quod cum animaduerterent ſummi magiſtratus, nihilo magis quam bellum aliquod externum ſemper oriri optabant. Quoties vero pax foris erat, ipſi crimina confingebant, & bellorum occaſiones quærebant, quippe quod viderent rempublicam bellis magnam & fortunatam fieri, ſeditionibus vero humilem & infirmam reddi.* Enimuero hoc medium conſeruandi pacem reipublicæ eſt formidoloſum & periculoſum, ſaltem a tramite vero deflectit, vt nulla inde regula deſumi poſſit, ſicut regula viuendi ab eo peti non poteſt, qui perpetuis conflictatur malis internis externisque.

(i) Pacis

ſibi vindicare nequeunt, (i) adeo vt ſi vel maxime cum hoſte, neceſſitate compulſi, pacem inire coacti fuerint, hæc tamen non aliter imperantem obligare, quam ex ſubſecuta ratihabitione, queat, quale pactum cum belli ducibus initum olim SPONSIO (k) appellatum fuit.

§. XXXVII.

(i) Pacis arbitrium vnice penes imperantem conſiſtit, nec eius conditiones dependere poſſunt ex beneplacito Ducum belli, ſi vel maxime illis libera belli adminiſtratio ab imperante commiſſa ſit, cum hoc negotium tam arduum ſit, vt ipſius principis ſpecialem directionem & arbitrium requirat. Hoc Romani antiquitus ſæpe vrſerunt, & inprimis in ſponſione Caudina, vbi ipſe Poſthumius cenſuit, *cum pax illa iniuſſu populi facta eſſet, populum ea non teneri.* Liuius *lib. 9. c. 8.*

(k) Huc reſpexit ICtus in *l. 5. ff. de pact.* vbi *ius pacis ſanciendæ* ducibus belli adſcribere videtur aiens: *Publica conuentio eſt, quæ fit per pacem, quotiens inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.* Equidem ius publicum vniuerſale ex iure Romano addiſcendum non eſt. Illuſtrationis tamen cauſa quædam hic ex hiſtoria Romana adiiciam. Diſtinguebant Romani *pacem* a *ſponſionibus.* Hæ dicebantur pactiones initæ a ducibus belli pacis cauſa, ſed autoritate populi Romani demum ratihabendæ, qua ratihabitione deficiente, ſponſio effectu carebat, quamuis ſpondentes hoſti dedendi erant, vti id illuſtri exemplo duplici *Sponſionis Caudinæ & Numantinæ* conſtat. Vtriusque rationes & momenta explicat egregie Dn. Thomaſius diſſertatione duplici. Deinde alia quæſtio eſt, an duces belli *pacem perpetuam* inire queant, quod hactenus negatum eſt, & annon aliquo modo *inducias*, vel pactum cum hoſte

§. XXXVII. Pax ſemel inita ſancte ſeruanda, neque ſub inani prætextu rumpenda, licet vel maxime publicæ rei ratio per illam quodammodo læſa ſit, (l) cum hoc damnum compenſetur tranquillitate publica reſtaurata.

§. XXXVIII.

hoſte de redimendis captiuis, vulgo *Cartel*, vel aliam *conuentionem* de vrbe oppugnata his vel illis conditionibus reddenda inire queant, quod facilius aſſerendum eſt, ſi duci libera belli adminiſtratio concredita fuit, quamvis quoad inducias vtique adhuc diſtinguendum ſit, vtrum ad longum tempus ſeu aliquot annos pactæ fuerint, an vero ad breue tempus. illæ cum paci ſimiles ſint, non dependent ex Ducis belli arbitrio, cum *totale armiſtitium* inducant; facilius autem hæ, quæ finem bello non imponunt. Hoc facile concedo, ſi ducibus pacis bellique arbitrium conceſſum ſit, pacem ab illis initam rempublicam obligare. Sic *Quintio conſuli R. liberum arbitrium pacis ac belli permiſſum* legitur apud Liuium *lib. XXXII. c. 37.*

(l) Duo in omni pace potiſſimum concurrere ſolent (I) pactum de intermittenda & deponenda hoſtilitate, & fruenda tranquillitate, (II.) transactio ſuper controuerſiis, propter quas bellum hactenus geſtum. Vtrumque obligat imperantem tum intuitu alterius gentis, tum etiam intuitu reipubl. ſuæ, cuius ſalus in pace conſiſtit, quam ſi temere frangit, iniurius in gentem alteram & propriam rempublicam eſt. Et ſi vel maxime pro pace obtinenda de iure ſuo aliquid remittere neceſſum habuit, tamen quia ſecurius fuit, de iure ſuo aliquid remittere, quam perpetuæ hoſtilitati rempublicam exponere, hoc damnum ſatis compenſatur fructibus pacis, nec ad iura renunciata patet regreſſus, quod, pace facta, demum de iure alterius liquido conſtare incipiat, forſan ex documentis nouiter

uiter repertis, cum ſententia iudiciali non decidatur negotium. Multo minus admittenda exceptio, quod pax per vim maiorem & metum extorta ſit: *Quis eſt enim*, inquit recte Bodin. *lib. V. de republ. qui neſciat, pacis conditiones ſemper inuitis dari & a victoribus vi ac metu accipi, vt quod dici ſolet, minima de malis. Nemo tamen aut legislator aut princeps extitit vnquam, qui quod victori promiſiſſet, exequi recuſaret, quaſi vi coactus id feciſſet.* conf. Dn. VVerlhoff *diſſ. de pact. liber. gent.* §. 24. *ſeqq.* Equidem Adrianus Houtuyn *in polit. gen.* §. 50. *in f.* excipit caſum, *ſi pax ſit inita contra ſalutem populi*, ſic enim peccare imperantem putat, ſi tale pactum ſeruet, modo non adeo modicum ſit præiudicium: quemadmodum enim ius ciuile læſos reſtituit, ita imperantes, qui ſibi iudices ſunt, ex facultate naturali ſe ipſos reſtituere poſſe iudicat. Fingamus, principem prælio ſatis debilitatum non potuiſſe alia conditione pacem a gente victrice obtinere, quam hac duriſſima conditione, vt omnia fortalitia in territorio ſuo deſtruat, nec vnquam noua in poſterum exſtruat. Nemo certe negabit, ſecuritatem totius reipublicæ valde turbare. Sed tamen ne ſic quidem iuſtam pacem rumpendi cauſam adeſſe exiſtimarem. Sit ita, quod vtilitati publicæ hac ratione non ſatis conſultum fuerit, *α*) gens tamen victrix iure ſuo egit, quod tales conditiones deuictæ genti præſcripſerit, adeoque de iniuria ſibi facta conqueri, multo minus læſionem iniquam allegare nequit. Pœni in bello primo cum Romanis has leges pacis accipere coacti ſunt: *Pœni Sicilia & omnibus inſulis, quæ inter Italiam & Africam ſunt, excedunto: MCC. talenta in annos XX. pendunto* Polyb. *lib. I. c. 62.* Verum inde nulla cauſa peti poterat, pacem frangendi, vt factum eſt bello punico ſecundo, vtut alia ſimularetur Flor. *lib. II. c. 6.* *β*) Sicuti eo tempore, quo pax pangebatur, vtilius reipubl. videbatur ſub eiusmodi duriſſimis conditionibus pacem amplecti,

§. XXXVIII. Durat hæc obligatio ad pacem ſeruandam in quolibet ſucceſſore, (m) quia hic quoque

quam extrema quæuis ſubire, ita ex poſtfacto inutilis talis pax iudicari non debet, quæ eo tempore, quo inita eſt, ſalutaris & vtilisſima fuit, *cum pax qualiscunque bello præferenda ſit* Dion. Halicarn. *lib. 8:* γ) incongruum eſt argumentum a reſtitutione in integrum deſumtum, quæ a iudice indulgetur inique læſis, qualis læſio allegari nequit, cum penes gentem victricem fuerit, iure victoriæ totam exſcindere rempublicam. Alia vero quæſtio eſt, an prudenter eiusmodi durisſimæ conditiones in caſu necesſitatis deuictæ genti imponantur, quæ ad noua bella vt plurimum anſam præbent; *quæ enim vel necesſitate aliqua vel occaſione ſiue a priuatis hominibus ſiue a rebuspubl. extorquentur, ſimulatque occaſio vel necesſitas ſublata eſt, ſtatim diſſoluuntur*, vt aiunt legati Romani ad Cariolanum apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. VIII.* Valet plerumque hic quoque illud Taciti *lib. XV. annal. pacem ex æquo vtilem*, quemadmodum etiam cenſuit ſenatus apud Liuium *Lib. VIII. c. 21. ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarii pacati ſunt.* Cum enim Priuernates interrogarentur, qualem pacem Romani cum illis habituri eſſent, reſponderunt, *ſi bonam dederitis, & fidam & perpetuam: ſi malam, haud diuturnam.*

(m) Sicuti in perſona imperantis integra quaſi respublica ſuſtinetur, ita quoque cum tota republica pax ſtabilita videtur, atque adeo quilibet ſucceſſor illa, quæ reipublicæ cauſa geſta ſunt, approbare debet, quia respublica intuitu alterius gentis non mutatur, mutato eius præſide. Quodſi vero iure victoriæ & belli respublica quædam eſſet ſub iugum redacta, victorem quidem non obligari legibus pacis, antea a tali republica cum gente alia concluſis, facilius concederem, quia victor non tanquam ſucceſſor conſiderari poteſt,

quoque in omnem obligationem, quæ reipublicæ cauſa inita eſt, ſuccedit, quocunque modo ſuccedat.

§. XXXIX. Denique quicquid pacis cauſa factum, merito pro *lege ſuprema* (n) reipublicæ agnoſcendum, quatenus ſalus populi integri aliter conſeruari non potuit.

§. XL. Præterea ſecuritatem publicam admodum promouent (o) *fœdera publica*, vnde iterum

poteſt, nec ſponte & voluntate ſubditorum imperium obtinuit, ſed mage iure belli, quo ipſo ſtatus reipublicæ penitus mutatur. Atque adeo in dato ad §. *antec.* exemplo victori integrum foret, fortalitia exſtruere, quæ alias exſtrui haud potuiſſent, ſi reſpublica in priſtino ſtatu permanſiſſet.

(n) Pertinet hæc obſeruatio ad illos caſus, quando pacis cauſa quædam alienantur & reipublicæ ſubtrahuntur, quod legibus fundamentalibus aduerſum fuit. nam cum *pacis cauſa* hoc factum ſit, contra leges fundamentales factum dici non poteſt, quæ quoque ex ſalute totius reipublicæ, tanquam *lege ſuprema*, ſuam interpretationem deſumunt. Sic quoque quod pacis cauſa in res ſubditorum quoquo modo factum, vel promiſſum, vim ſuam habebit, cum res priuatorum ſubſint ſaluti reipublicæ, quæ inprimis in pace continetur.

(o) Fingi vix poteſt reſpublica, quæ ſibi ſoli ſufficiat tempore *belli* & *pacis*, præſertim ſi metus potentiæ vicinæ præſens adſit, qui per fœdera talia facilius auerti poteſt. Prout autem ratio ſalutis reipubl. id poſtulat, vel *æqualia* vel *inæqualia* ineuntur, quæ ſatis explicantur a Grotio *de I. B. & P. lib. II. c. 15. §. 7.* Collimat huc quodammodo Menippus apud Liuium *lib. XXXIV.*

iterum ius ſoli imperanti competens naſcitur, fœdera cum aliis gentibus pangendi, non aliter tamen exercendum, quam in ſalutem populi.

§. XLI.

XXXIV. c. 56, vbi trium generum fœderum mentionem iniicit. Ratione finis quoque alia *defenſiua* alia *offenſiua* ſunt, quæ cum magis ad *ius gentium* ſpectant, hic explicare nolo. Quia vero nomine reipubl. tale fœdus initur, morte imperantis non exſpirat, & ita male cenſebat Turnus Hardonius, fœdus cum Latinis initum, morte Tarquinii Priſci extinctum eſſe. Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV.* Ceterum ius fœderum pangendorum non ſemper liberum eſt, ſed pactis & legibus fundamentalibus circumſcribi poteſt. Sic in priuilegiis, quæ nobilibus Pomeraniæ anno 1560. conceſſa, reperiuntur ſequentia: *VVir Fürſten und unſere Erben und nachkommende Herrſchafft wollen uns auch in keine Kriege noch neue Verbündnüßen mit iemandes einer ohne des andern Vorwiſſen und VVillen, und ohne gemeine Räthe der Land-Stände einlaſſen &c.* Eadem obligatio, cum conſenſu ſtatuum prouincialium fœdera pangendi, in aliis quoque territoriis deprehenditur, de qua vid. Dn. Stryk. *de Statib. Prouinc.* & Dn. Hertius *diſſ. de Conſult. LL. & iudiciis in Special. Rom. Germ. Imper. rebuspubl. §. 8.* Multum itaque ad efficaciam fœderum facit, ſi pangantur cum iis, quibus ſumma rerum concredita eſt. Ordines reipubl. vel ſubditi imperanti ſuis fœderibus præiudicare non poſſunt, quod exemplis omnium ſeculorum conſtat. Sic cum ſeculo XV ſuſcepta ſatis infeliciter eſſet expeditio contra Mauros, & Luſitani victi deditionem Septæ & ex Africa diſceſſum Barbaris promiſiſſent, de ſancito fœdere in conſilio principum Eboræ diſquiſitum & communi conſilio concluſum: *iniuſſu regis conditiones pactas irritas videri, religionem, ſi qua erat gens obligata eo fœdere*

§. XLI. Fœdera hæc cum aliis inita ſemper tacitam videntur in ſe continere conditionem, (p) quatenus, ſalua incolumitate reipublicæ, promiſſum præſtari poſſit.

§. XLII.

dere, ſatis exſolui obſidibus in hoſtium poteſtate relictis, vt ſuis capitibus luerent, quæ ſtulte & temerarie promiſerant. An ſi eadem ſuperbia Luſitaniæ deditionem polliceri barbari vniuerſæ coegiſſent, conditioni eſſet ſtandum? Mauricique imperii iugum reponendum Hiſpaniæ? quid alia, quæ multa polliceri & indigniſſima potuiſſent, num iis gens Luſitana teneretur? Marian. *lib. XXI. de reb. Hiſp. c. 12.*

(p) Equidem fœdera alias magnam in ſe vim apud gentes ab antiquo obtinuere, ex communi omnibus gentibus inſita ratione, quoniam conſeruatio fœderum optimum eſt reipublicæ munimentum; nihilominus tamen multi fœderibus talibus magis ad populos ſubiugandos abuſi ſunt, ſicuti ſupra de populo Romano notauimus. Equidem de eo Florus *lib. II. c. 6. n. 5.* ita ait: *ſumma fœderum Romanis religio eſt*, quod etiam confirmat Sextus Cæcilius ICtus apud A. Gell. *N. A. lib. XX. c. 1.* aiens: *Populus Romanus e parua origine ad tanta amplitudinis inſtar emicuit, ſed maxime atque præcipue fidem coluit, ſanctamque habuit tam priuatim quam publice.* Hoc enim inprimis in *ſtatu ciuili* valet, quod patres apud Liuium, *lib. III. c. vlt.* vrgent, *famæ & fidei damna maiora eſſe, quam quæ æſtimari poſſint.* Hac fide Romanorum in ipſo bello conſeruata adducti Faliſci, vt ſe ſponte dederent Romanis. Liuius *lib. V. c. 27.* Interim quantæ fraudes a populo Romano commiſſæ ſæpe fuerint, optime enucleat Forſtnerus *ad Tacitum P. 1. p. 287.* quem locum ſupra *p. 146.* integrum dedi. Suo forſan ipſo exemplo moniti Romani cauebant ſemper, *ne ita crederent*

 externis

§. XLII. Sicuti itaque fœdera in ſecuritatem reipublicæ eiusque conſeruationem tendere debent, ita de iure naturæ nihil vlterius requiritur, quam vt cum tali ineantur, qui ſufficientia poſſit reipublicæ præſtare ſubſidia, cuiuscunque religionis fuerit. (q)

§. XLIII.

externis auxiliis, vt non plus ſui roboris, ſuarumque proprie virium in caſtris haberent. Liuius *lib. XXV. c. 33.* Quid vero ſi respublica quædam bello duriſſimo implicita ſit, vt alteri promiſſa ſubſidia absque euidenti ſui ipſius pernicie præſtare non poſſit? Hic ſine dubio fœdus exceptionem patitur, nec hunc caſum fœdere comprehenſum eſſe credendum eſt, quod non ad deſtructionem propriæ reipublicæ, ſed eius conſeruationem initum eſſe, iudicari oportet. Cum bello Punico II. tot fœderati a Romanis defeciſſent, Petellini ſoli ex Butriis in amicitia Romana manſerunt, & cum ex fœdere ſubſidia a Romanis peterent, denegata eisdem ſunt, *fideque ad vltimum expleta, conſulere ſibimet ipſos in præſenti fortuna iuſſerunt*, Liuius *lib. XXIII. c. 20.*

(q) Late de hac quæſtione diſputant Grotius *lib. II. de I. B. & P. c. 15. §. 8. ſeqq.* Ziegl. *de Iurib. maieſt. lib. I. c. 38. §. 7.* Befold. *de fœderum iure c. IV.* Notum eſt Franciſci I. Regis Galliæ fœdus cum Turcarum imperatore initum, de quo variæ cenſuræ & querelæ hinc inde reperiuntur, & inprimis in *R. I. de anno 1544. §. und demnach & ſeq* grauiter hoc fœdus a toto imperio reprehenſum legimus. Verum hic caute quæſtiones variæ ſunt ſecernendæ. Quando quæritur, an imperans ius fœderum recte exerceat, ſi illud cum infideli pangit, in conſeruationem ſuæ reipublicæ contra quoscunque eius oppugnatores? ſine dubio hoc affirmandum eſt, quia omnia media conſeruandi rempu-

blicam

§. XLIII. Poteſt tamen ius fœderum pangendorum reſtringi ex *fœdere antiquiori*, (r) vel fœdere

blicam a iure naturæ imperanti indulta ſunt, ſine quibus commode conſeruari non poteſt, ſiue fœdus ineatur contra fideles ſiue infideles. Prius quidem Zieglerus in dubium vocat, ſed abſque ratione, quia diuerſitas religionis non tollit aut mutat iura gentium communia, nec vlla ratio vetat, reiicienda eſſe auxilia eorum, qui noſtræ reipubl. bene cupiunt, & pro eiusdem incolumitate ſimul laborant. Regerit quidem Zieglerus *cit. l.* §. *9.* aduerſus fratrem hoſtem communem excitandum non eſſe; ſed reſpondeo, me ignorare, quæ iura fraternitatis Chriſtianæ inter hoſtes Chriſtianos obſeruari debeant, & ſæpe Chriſtiani magis barbare ſæuiunt in hoſtes ſuos, quam quidem ipſi infideles. Deinde alia quæſtio eſt, an excitare per fœdus liceat infidelem ad infringendam potentiam alterius, qui quamuis Chriſtianus, nobis tamen metuendus videtur? quod nego, non quia alter infidelis eſt, nam nec fidelem excitare licet, ſed quia tale medium iuri naturæ aduerſatur, & alia media adſunt, ſibi intuitu alterius potentiæ conſulendi.

(r) Exemplum eſt in Campanis, qui vbi fœdus, cum Romanis inire vellent contra Samnites, Romani tamen id recuſarunt, licet multam ſibi vtilitatem ex tali fœdere pollicerentur; nam, vt inquit Liuius. *lib. VII. c. 31.* tanta vtilitate fides antiquior fuit, atque hinc tale reſponſum tulerunt. *Auxilio vos, Campani, dignos cenſet ſenatus, ſed ita vobiſcum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia ac ſocietas violetur. Samnites nobiscum fœdere iuncti ſunt, itaque arma Deos prius, quam homines violatura aduerſus Samnites vobis negamus, legatos ſicut fas iusque eſt, ad ſocios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.* Ceterum alia quæſtio fuit, an poſtquam Campani ſe poſtea

fœdere ſyſtematico, (s) ne in huius perniciem vergat.

§. XLIV. Hoc ipſo quoque ſubditis non interdictum eſſe videtur, fœdera cum aliis gentibus *commerciorum* (t) *cauſa* inire, quippe quæ pacta

ſtea in populi Romani poteſtatem darent, hi absque violatione fœderis recipi potuerint. Ita quidem cenſuit ſenatus apud Liuium *cit. l.* adhuc enim videbatur res integra, nondum bellum erat cœptum, ſed inſtabat, nec recipiebantur in ſocietatem ſed in ſubiectionem & deditionem. Alia ratio fuit Sidicinorum, quorum deditionem aſpernabantur Romani vt feram, *vltimaque tandem neceſſitate expreſſam*, vt ait Liuius *lib. VIII. c. 2.* neque enim amplius in ſua poteſtate videtur eſſe populus, qui in extrema neceſſitate conſtitutus ſe alteri ſubiicere cupit.

(s) Reuera duplex obligatio hic occurrit; (1) quoad rempublicam propriam, (2) quoad reliquas fœdere ſyſtematico comprehenſas, atque adeo ius fœderum ita exercendum, vt vtrinque ſecuritas maneat illibata & ſalua. Quamuis itaque ſtatibus imperii ius fœderum competat, non aliter tamen exerceri poteſt, quam *ne ſint fœdera contra imperatorem vel imperium, pacemve eius publicam* vt dicitur in *I. P. art. 8. §. gaudeant*, quo ipſo nihil adeo ſingulare eſt conſtitutum, cum illa ipſa limitatio ex iure publico vniuerſali per ſe fluat. Interim ſi respubl. ſyſtemate comprehenſa a reliquis eiusdem ſyſtematis ſociis bellum & vim hoſtilem metuat, non dubium eſt, quin talis respubl. hoc caſu in ſui defenſionem fœdus cum aliis contra reliquos ſocios inire poſſit, cum imperans magis obligetur ſuæ republ. quam reliquis ſociis fœderis ſyſtematici.

(t) Commercia res privatas potiſſimum reſpiciunt, nec regimen publicum per ſe tangunt. Poteſt quidem impe-

pacta nec rempublicam primario concernunt, nec ius imperantis violant.

§. XLV. Imo & ſic quoque ciuitatibus ſingulis, communem alias imperantem habentibus, fœdera pro conſeruatione & ſecuritate ſua cum aliis inire licet, quoties ab imperante ſuo deſeruntur, vt quaſi pro derelictis habitæ videantur. (u)

§.XLVI.

imperans illa reſtringere, & hactenus ad leges ciuitatis in exercitio commerciorum ſubditi obligantur, ſed, his deficientibus, libertas priſtina ſeſe exſerit. Exinde forſan *fœdus Hanſeaticum*, olim tam celebre, defendi poteſt, in quod tam plurimæ ciuitates absque publica imperantis autoritate receptæ ſunt, cum tale fœdus nihil aliud fuerit, quam maxima quædam ſocietas lucri cauſa inita. Oſtendit enim Conringius *de Vrb. German.* §. *98.* hoc fœdus *συμμαχίας* cauſa non fuiſſe initum: neque hoc credibile eſt, quia principes tale quid nunquam permittere potuiſſent. Interim rationes politicæ non ſemper ferunt, vt talis libertas ſubditis relinquatur, vti bene obſeruat Conring. *cit. l.* §. *101.*

(u) Poſſunt publicæ calamitates rempublicam ita affligere, vt ciuitates a ſuo imperante amplius defendi nequeant, ſed aliunde ſibi defenſionem quærere debeant. Talis ſtatus Germaniæ fuiſſe videtur tempore funeſti illius interregni, quem Mutius *lib. 21. Chron. germ. p. 192.* ita deſcribit: *His temporibus arma Vbique, leges fere nusquam, dominabantur, quisque occupabat, quantum potuit per Vim.* Status itaque naturalis reductus videbatur, ciuitates omni defenſione erant deſtitutæ, & tamen potentiores in viſcera imperii ſæuiebant, vt in tali rerum ſtatu nihil conſultius eſſet,

 quam

§. XLVI. Sub hoc iure fœderum pangendorum comprehenditur quoque *ius clientelare*, (x) tam *actiuum*, quam *paſſiuum*, adeoque cui prius

quam defenſionis cauſa fœdera inire. Primitus paucæ ciuitates anno 1254 inter ſe fœdus tale inierunt, cui fœderi poſtea ſe aliæ adiunxere, & militem communem ad communem defenſionem aluere. Non potuere non ægre id ferre, quibus raptu viuere, & ληϊστικὴν vitam paci præferre cordi erat, quamuis cum ob tutelam ſuam id facerent, iure id feciſſe exiſtimari debebant. Rem totam ita deſcribit Arnoldus Abbas Stadenſis *in fin. Chron. Quidam Validus ciuis in Moguntia cœpit hortari concines ſuos, vt pro pace reſtauranda iuramento ſe inuicem conſtringerent. Conſenſerunt ei & aliæ ciuitates plurimæ. Vocarunt eum VValbodonem. Non placuit res principibus, nec militibus, ſed neque prædonibus, & maxime his, qui habebant aſſidue manus pendulas ad rapinam, dicentes, eſſe ſordidum, mercatores habere ſuper homines honoratos & nobiles dominatum.* Ciuitates ipſas ſub hoc fœdere comprehenſas enarrat Lehman. *in Chron. Spir. lib. 5. c. 92.*

(x) *Ius clientelare* inter ſummos principes nihil aliud eſt, quam *fœderata conſociatio, qua alter alterius maieſtatem obſeruare tenetur, vt ab iniuria potentiorum tutior eſſe poſſit*, ſunt verba Bodini *de rep. lib. 1. c. 7.* Eſt enim fœdus vel *æquale* vel *inæquale*. Ad claſſem poſteriorem *clientelare ius* referri debet, quia infirmior defenſionem ab altero recipit, non præſtat, & quia patronus potentior eſt, hinc præterea receptum, vt infirmior maieſtatem alterius comiter conſeruet, quod explicat Proculus in *l. non dubito 7. §. 1. ff. de captiuis*, & eodem fere modo Cicero *orat. pro Cornel. Balbo p. m. 721. lit. e. ſeqq.* Atque hinc quoque receptum eſt, vt publicis precibus patroni ſoleant commendari

prius competit, poſterius denegari non poteſt.

§. XLVII. Sicuti itaque fœdera libertatem alterius non tollunt, ita quoque ius clientelare non liberat ſubditos ab obſequio erga proprium imperantem, cum huic omnia iura ſummi imperii maneant ſalua. (y)

§. XLVIII.

mendari in iis locis, quibus defenſionem debent. Cum itaque ſubditi proprie dicti defenſionem ſuam ab imperante petere debeant, alterius defenſioni ſe ſubmittere nequeunt, quia poteſtas domini territorii inde læderetur. Cautum id legitur in *Capit. Ioſeph. art. VIII.* quemadmodum etiam iam in *R. I. de anno 1519. §. wir auch Churfürſten.* ſtatus imperii ſe inuicem obſtrinxerunt, *Daß keiner des andern Unterthanen und Verwanten, des Glaubens oder anderer Urſache halber in ſonder Schutz vnd Schirm, wieder ihre Obrigkeit nehmen ſollen noch wollen.* Quamuis vero dictum ſit, ſubditos ne quidem intuitu religionis ſe alterius clientelæ ſubiicere poſſe, quia ſic in effectu implorando defenſionem patroni imperanti ſuo legitimo reſiſterent; alia tamen quæſtio eſt, annon imperans, qui ſucceſſorem diuerſæ religionis habet, ſubditos ſuos alterius defenſioni poſſit commendare, ne in exercitio libero religionis a ſucceſſore forſan turbentur: quod itidem negandum exiſtimo. In effectu enim talis diſpoſitio duplex diuerſum & contrarium inuolueret imperium, & ſubditis ſuppeditaret anſam, imperanti reſiſtendi, cum non aliter poſſint defendi a patrono, quam vel *interceſſionibus*, vel denique *adhibita violentia.*

(y) Vulgatum eſt: *Schirm-Gerechtigkeit giebt keine Obrigkeit.* ſed tamen itidem vulgatum eſt: *aus Schirm-Herrn werden*

§. XLVIII. Sed etiam ſingulorum ſecuritati aliquando contra vim externam iuſte proſpicit imperans, quo referunt *ius repreſſaliarum*, quod primario in eo conſiſtit, vt imperans in ſuo territorio ſubditis gentis extraneæ denegare posſit iuſtitiam, (z) quæ ſubditis huius imperantis illam denegauit.

§. XLIX.

werden leicht Sturm-Herrn, ſcilicet ſi patroni inique ſua poteſtate abutuntur, qualis metus tunc vt plurimum adeſt, ſi patronus nimia polleat potentia. Plurimæ id ſuo damno expertæ ſunt ciuitates, inter quas quoque Metis, Tullum & Verdunum non poſteriores ſunt, quæ protectionem Galli amplectendo ab imperio auelli cœpere. Ipſum Romanum imperium iam olim per oppresſionem confœderatorum huiusmodi admodum auctum fuiſſe conſtat.

(z) In hoc potisſimum repreſſalias conſiſtere, docet Peſchwitz *de repreſſ. c. 2.* quamuis alii aliter rem explicent, & res inter ſe affines confundant. Eſt hoc remedium non adeo iniquum, cum per indirectum ita adigatur gens extranea, ſubditis alienigenis, ſi quid iure petere posſunt, æque adminiſtrare iuſtitiam vt propriis. Prærequiritur autem (α) ius eius, cui alibi iuſtitia eſt denegata, eſſe liquidum, (β) eidem omne auxilium in territorio extraneo contra ſubditum illius denegari, (γ) deficere vtrinque ſuperiorem, ad quem prouocari posſit, in caſu denegatæ iuſtitiæ. Exercet hoc ius tantum ſummus imperans, adeoque an locum habere posſit, deſuper vnice cognoſcit, & magiſtratui inferiori, qui illud *ſuo iure* exercere nequit, per mandatum iniungit, vt caſu eueniente ſuſpendat iuſtitiæ adminiſtrationem contra extraneum.

(a) Solent

§. XLIX. Faciunt præterea aliud *repreſſaliarum* genus, conſiſtens in *detentione perſonæ aut bonorum propter debitum aliquod*, (a) ratione cuius ſubdito huius territorii denegata iuſtitia, eſt, ad effectum, vt læſo a gente iniqua ſatisfiat.

CAP. II.

(a) Solent nonnulli hanc ſpeciem *pignorationem* appellare, alii vero totam repreſſaliarum naturam in hoc ipſo quærere. vid. Ziegl. *de iurib. maieſt. lib. 1. c. 34. §. 29.* Grot. *lib. III. c. 2.* Hoc ius potiſſimum defendunt ex *belli iuſtitia*, adeo vt nonnulli illud ipſum *belli minus ſolennis* nomine inſignire ſoleant, ex quo vlterius deducunt, inter illas perſonas ius hoc exerceri poſſe, inter quas licite bellum geritur; quando enim iudex adeſt ſupremus, qui propter denegatam iuſtitiam adhuc adiri poteſt, toties ad hoc extremum medium deueniri nequit, quo intuitu has pignorationes ſtatus imperii inter ſe iure haud exercent, bene tamen erga extraneos. Eatenus autem ad ius publicum vniuerſale ſpectant, quatenus ab imperante adhibentur pro *ſecuritate & defenſione ſubditorum* ſuorum, quibus a gente extranea vel ius denegatum, vel alia iniuria facta. Cum enim hoc ipſo non tota reſpublica læſa, ſed tantum quidam ex republica, & hinc propter horum læſionem bellum mouere & totam rempubl. in ambiguum vocare diſcrimen periculoſum, ne dicam iniquum videbatur, expeditior modus cogendi gentem iniquam introduci & exerceri cœpit, qui tamen non raro ad bellum ipſum anſam dare ſolet.

(b) Supra

ſuſcipi debet; ita imperanti quoque ius pacis ſanciendæ in ſuæ reipublicæ ſecuritatem competit.

§. XXXVI. Duces itaque belli, quibus ab imperante *belli directio* concredita eſt, hoc ius ſibi

pr. his verbis: *Dulce nomen eſt pacis, res vero ipſa tum iucunda tum ſalutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat.* Vnde non minor ratio *pacis*, quam *belli* in republ. habenda eſt: *Si enim regum atque imperatorum animi virtus in pace ita vti in bello valet, æquabilius & conſtantius ſe res humanæ habent.* Saluſt. *de bello catil. c. 2. n. 3.* In Numa Pompilio Liuius *lib. I. c. 21.* hoc ſtudium pacis regni cauſa laudat, *omnium maximum*, ait, *operum fuit tutela per omne regni tempus haud minor pacis quam regni.* Ex accidente, & malo more ciuitatis contingit, ſi bella externa magis, quam pax prodeſſe videantur, id quod tamen in antiqua Romana republ. contigiſſe conſtat. Obſeruat hoc ipſum Dionyſ. Haliçarnaſſ. *lib. X.* aiens. *Hoc illi ciuitati familiare erat, vt ſi bello premeretur, concors eſſet: ſi pace frueretur, ſeditione laboraret. Quod cum animaduerterent ſummi magiſtratus, nihilo magis quam bellum aliquod externum ſemper oriri optabant. Quoties vero pax foris erat, ipſi crimina confingebant, & bellorum occaſiones quærebant, quippe quod viderent rempublicam bellis magnam & fortunatam fieri, ſeditionibus vero humilem & infirmam reddi.* Enimuero hoc medium conſeruandi pacem reipublicæ eſt formidoloſum & periculoſum, ſaltem a tramite vero deflectit, vt nulla inde regula deſumi poſſit, ſicut regula viuendi ab eo peti non poteſt, qui perpetuis conflictatur malis internis externiſque.

(i) Pacis

ſibi vindicare nequeunt, (i) adeo vt ſi vel maxime cum hoſte, neceſſitate compulſi, pacem inire coacti fuerint, hæc tamen non aliter imperantem obligare, quam ex ſubſecuta ratihabitione, queat, quale pactum cum belli ducibus initum olim SPONSIO (k) appellatum fuit.

§. XXXVII.

(i) Pacis arbitrium vnice penes imperantem conſiſtit, nec eius conditiones dependere poſſunt ex beneplacito Ducum belli, ſi vel maxime illis libera belli adminiſtratio ab imperante commiſſa ſit, cum hoc negotium tam arduum ſit, vt ipſius principis ſpecialem directionem & arbitrium requirat. Hoc Romani antiquitus ſæpe vrſerunt, & inprimis in ſponſione Caudina, vbi ipſe Poſthumius cenſuit, *cum pax illa iniuſſu populi facta eſſet, populum ea non teneri.* Liuius *lib. 9. c. 8.*

(k) Huc reſpexit ICtus in *l. 5. ff. de pact.* vbi *ius pacis ſanciendæ* ducibus belli adſcribere videtur aiens: *Publica conuentio eſt, quæ fit per pacem, quotiens inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.* Equidem ius publicum vniuerſale ex iure Romano addiſcendum non eſt. Illuſtrationis tamen cauſa quædam hic ex hiſtoria Romana adiiciam. Diſtinguebant Romani *pacem* a *ſponſionibus.* Hæ dicebantur pactiones initæ a ducibus belli pacis cauſa, ſed autoritate populi Romani demum ratihabendæ, qua ratihabitione deficiente, ſponſio effectu carebat, quamuis ſpondentes hoſti dedendi erant, vti id illuſtri exemplo duplici *Sponſionis Caudinæ & Numantinæ* conſtat. Vtriusque rationes & momenta explicat egregie Dn. Thomaſius diſſertatione duplici. Deinde alia quæſtio eſt, an duces belli *pacem perpetuam* inire queant, quod hactenus negatum eſt, & annon aliquo modo *inducias*, vel pactum cum hoſte

§. XXXVII. Pax ſemel inita ſanƈte ſeruanda, neque ſub inani prætextu rumpenda, licet vel maxime publicæ rei ratio per illam quodammodo læſa ſit, (l) cum hoc damnum compenſetur tranquillitate publica reſtaurata.

§. XXXVIII.

hoſte de redimendis captiuis, vulgo *Cartel*, vel aliam *conuentionem* de vrbe oppugnata his vel illis conditionibus reddenda inire queant, quod facilius aſſerendum eſt, ſi duci libera belli adminiſtratio concredita fuit, quamvis quoad inducias vtique adhuc diſtinguendum ſit, vtrum ad longum tempus ſeu aliquot annos pactæ fuerint, an vero ad breue tempus. illæ cum paci ſimiles ſint, non dependent ex Ducis belli arbitrio, cum *totale armiſtitium* inducant; facilius autem hæ, quæ finem bello non imponunt. Hoc facile concedo, ſi ducibus pacis bellique arbitrium conceſſum ſit, pacem ab illis initam rempublicam obligare. Sic *Quintio conſuli R. liberum arbitrium pacis ac belli permiſſum* legitur apud Liuium *lib. XXXII. c. 37.*

(l) Duo in omni pace potiſſimum concurrere ſolent (I) pactum de intermittenda & deponenda hoſtilitate, & fruenda tranquillitate, (II.) transactio ſuper controuerſiis, propter quas bellum hactenus geſtum. Vtrumque obligat imperantem tum intuitu alterius gentis, tum etiam intuitu reipubl. ſuæ, cuius ſalus in pace conſiſtit, quam ſi temere frangit, iniurius in gentem alteram & propriam rempublicam eſt. Et ſi vel maxime pro pace obtinenda de iure ſuo aliquid remittere neceſſum habuit, tamen quia ſecurius fuit, de iure ſuo aliquid remittere, quam perpetuæ hoſtilitati rempublicam exponere, hoc damnum ſatis compenſatur fructibus pacis, nec ad iura renunciata patet regreſſus, quod, pace facta, demum de iure alterius liquido conſtare incipiat, forſan ex documentis nouiter

uiter repertis, cum ſententia iudiciali non decidatur negotium. Multo minus admittenda exceptio, quod pax per vim maiorem & metum extorta ſit: *Quis eſt enim*, inquit recte Bodin. *lib. V. de republ. qui neſciat, pacis conditiones ſemper inuitis dari & a victoribus vi ac metu accipi, vt quod dici ſolet, minima de malis. Nemo tamen aut legislator aut princeps extitit vnquam, qui quod victori promiſiſſet, exequi recuſaret, quaſi vi coactus id feciſſet.* conf. Dn. VVerlhoff *diſſ. de pact. liber. gent.* §. 24. *ſeqq.* Equidem Adrianus Houtuyn *in polit. gen.* §. 50. *in f.* excipit caſum, *ſi pax ſit inita contra ſalutem populi*, ſic enim peccare imperantem putat, ſi tale pactum ſeruet, modo non adeo modicum ſit praeiudicium: quemadmodum enim ius ciuile laeſos reſtituit, ita imperantes, qui ſibi iudices ſunt, ex facultate naturali ſe ipſos reſtituere poſſe iudicat. Fingamus, principem praelio ſatis debilitatum non potuiſſe alia conditione pacem a gente victrice obtinere, quam hac duriſſima conditione, vt omnia fortalitia in territorio ſuo deſtruat, nec vnquam noua in poſterum exſtruat. Nemo certe negabit, ſecuritatem totius reipublicae valde titubare. Sed tamen ne ſic quidem iuſtam pacem rumpendi cauſam adeſſe exiſtimarem. Sit ita, quod vtilitati publicae hac ratione non ſatis conſultum fuerit, *a*) gens tamen victrix iure ſuo egit, quod tales conditiones deuictae genti praeſcripſerit, adeoque de iniuria ſibi facta conqueri, multo minus laeſionem iniquam allegare nequit. Poeni in bello primo cum Romanis has leges pacis accipere coacti ſunt: *Poeni Sicilia & omnibus inſulis, quae inter Italiam & Africam ſunt, excedunto: MCC. talenta in annos XX. pendunto* Polyb. *lib. I. c. 62.* Verum inde nulla cauſa peti poterat, pacem frangendi, vt factum eſt bello punico ſecundo, vtut alia ſimularetur Flor. *lib. II. c. 6.* β) Sicuti eo tempore, quo pax pangebatur, vtilius reipubl. videbatur ſub eiusmodi duriſſimis conditionibus pacem amplecti,

§. XXXVIII. Durat hæc obligatio ad pacem ſeruandam in quolibet ſucceſſore, (m) quia hic quoque

quam extrema quæuis ſubire, ita ex poſtfacto inutilis talis pax iudicari non debet, quæ eo tempore, quo inita eſt, ſalutaris & vtilisſima fuit, *cum pax qualiscunque bello præferenda ſit* Dion. Halicarn. *lib. 8.* γ) incongruum eſt argumentum a reſtitutione in integrum deſumtum, quæ a iudice indulgetur inique læſis, qualis læſio allegari nequit, cum penes gentem victricem fuerit, iure victoriæ totam exſcindere rempublicam. Alia vero quæſtio eſt, an prudenter eiusmodi durisſimæ conditiones in caſu necesſitatis deuictæ genti imponantur, quæ ad noua bella vt plurimum anſam præbent; *quæ enim vel necesſitate aliqua vel occaſione ſiue a priuatis hominibus ſiue a rebuspubl. extorquentur, ſimulatque occaſio vel necesſitas ſublata eſt, ſtatim diſſoluuntur*, vt aiunt legati Romani ad Cariolanum apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. VIII.* Valet plerumque hic quoque illud Taciti *lib. XV. annal. pacem ex æquo vtilem*, quemadmodum etiam cenſuit ſenatus apud Liuium *Lib. VIII. c. 21. ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarii pacati ſunt.* Cum enim Priuernates interrogarentur, qualem pacem Romani cum illis habituri eſſent, reſponderunt, *ſi bonam dederitis, & fidam & perpetuam: ſi malam, haud diuturnam.*

(m) Sicuti in perſona imperantis integra quaſi respublica ſuſtinetur, ita quoque cum tota republica pax ſtabilita videtur, atque adeo quilibet ſucceſſor illa, quæ reipublicæ cauſa geſta ſunt, approbare debet, quia respublica intuitu alterius gentis non mutatur, mutato eius præſide. Quodſi vero iure victoriæ & belli respublica quædam eſſet ſub iugum redacta, victorem quidem non obligari legibus pacis, antea a tali republica cum gente alia concluſis, facilius concederem, quia victor non tanquam ſucceſſor conſiderari poteſt,

quoque in omnem obligationem, quæ reipublicæ cauſa inita eſt, ſuccedit, quocunque modo ſuccedat.

§. XXXIX. Denique quicquid pacis cauſa factum, merito pro *lege ſuprema* (n) reipublicæ agnoſcendum, quatenus ſalus populi integri aliter conſeruari non potuit.

§. XL. Præterea ſecuritatem publicam admodum promouent (o) *fœdera publica*, vnde iterum

poteſt, nec ſponte & voluntate ſubditorum imperium obtinuit, ſed mage iure belli, quo ipſo ſtatus reipublicæ penitus mutatur. Atque adeo in dato ad §. *antec.* exemplo victori integrum foret, fortalitia exſtruere, quæ alias exſtrui haud potuiſſent, ſi reſpublica in priſtino ſtatu permanſiſſet.

(n) Pertinet hæc obſeruatio ad illos caſus, quando pacis cauſſa quædam alienantur & reipublicæ ſubtrahuntur, quod legibus fundamentalibus aduerſum fuit. nam cum *pacis cauſa* hoc factum ſit, contra leges fundamentales factum dici non poteſt, quæ quoque ex ſalute totius reipublicæ, tanquam *lege ſuprema*, ſuam interpretationem deſumunt. Sic quoque quod pacis cauſa in res ſubditorum quoquo modo factum, vel promiſſum, vim ſuam habebit, cum res priuatorum ſubſint ſaluti reipublicæ, quæ inprimis in pace continetur.

(o) Fingi vix poteſt reſpublica, quæ ſibi ſoli ſufficiat tempore *belli* & *pacis*, præſertim ſi metus potentiæ vicinæ præſens adſit, qui per fœdera talia facilius auerti poteſt. Prout autem ratio ſalutis reipubl. id poſtulat, vel *æqualia* vel *inæqualia* ineuntur, quæ ſatis explicantur a Grotio *de I. B. & P. lib. II. c. 15. §. 7.* Collimat huc quodammodo Menippus apud Liuium *lib.*

 XXXIV.

iterum ius ſoli imperanti competens naſcitur, fœdera cum aliis gentibus pangendi, non aliter tamen exercendum, quam in ſalutem populi.

§. XLI.

XXXIV. c. 56, vbi trium generum fœderum mentionem iniicit. Ratione finis quoque alia *defenſiua* alia *offenſiua* ſunt, quæ cum magis ad *ius gentium* ſpectant, hic explicare nolo. Quia vero nomine reipubl. tale fœdus initur, morte imperantis non exſpirat, & ita male cenſebat Turnus Hardonius, fœdus cum Latinis initum, morte Tarquinii Priſci extinctum eſſe. Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV.* Ceterum ius fœderum pangendorum non ſemper liberum eſt, ſed pactis & legibus fundamentalibus circumſcribi poteſt. Sic in priuilegiis, quæ nobilibus Pomeraniæ anno 1560. conceſſa, reperiuntur ſequentia: *VVir Fürſten und unſere Erben und nachkommende Herrſchafft wollen uns auch in keine Kriege noch neue Verbündnüßen mit iemandes einer ohne des andern Vorwiſſen und VVillen, und ohne gemeine Räthe der Land-Stände einlaſſen &c.* Eadem obligatio, cum conſenſu ſtatuum prouincialium fœdera pangendi, in aliis quoque territoriis deprehenditur, de qua vid. Dn. Stryk. *de Statib. Prouinc.* & Dn. Hertius *diſſ. de Conſult. LL. & iudiciis in Special. Rom. Germ. Imper. rebuspubl. §. 8.* Multum itaque ad efficaciam fœderum facit, ſi pangantur cum iis, quibus ſumma rerum concredita eſt. Ordines reipubl. vel ſubditi imperanti ſuis fœderibus præiudicare non poſſunt, quod exemplis omnium ſeculorum conſtat. Sic cum ſeculo XV ſuſcepta ſatis infeliciter eſſet expeditio contra Mauros, & Luſitani victi deditionem Septæ & ex Africa diſceſſum Barbaris promiſiſſent, de ſancito fœdere in conſilio principum Eboræ diſquiſitum & communi conſilio concluſum: *iniuſſu regis conditiones pactas irritas videri, religionem, ſi qua erat gens obligata eo fœderes*

§. XLI. Fœdera hæc cum aliis inita ſemper tacitam videntur in ſe continere conditionem, (p) quatenus, ſalua incolumitate reipublicæ, promiſſum præſtari poſſit.

§. XLII.

dere, ſatis exſolui obſidibus in hoſtium poteſtate relictis, vt ſuis capitibus luerent, quæ ſtulte & temerarie promiſerant. An ſi eadem ſuperbia Luſitaniæ deditionem polliceri barbari vniuerſæ coegiſſent, conditioni eſſet ſtandum? Mauricique imperii iugum reponendum Hiſpaniæ? quid alia, quæ multa polliceri & indignisſima potuiſſent, num iis gens Luſitana teneretur? Marian. *lib. XXI. de reb. Hiſp. c. 12.*

(p) Equidem fœdera alias magnam in ſe vim apud gentes ab antiquo obtinuere, ex communi omnibus gentibus inſita ratione, quoniam conſeruatio fœderum optimum eſt reipublicæ munimentum; nihilominus tamen multi fœderibus talibus magis ad populos ſubiugandos abuſi ſunt, ſicuti ſupra de populo Romano notauimus. Equidem de eo Florus *lib. II. c. 6. n. 5.* ita ait: *ſumma fœderum Romanis religio eſt*, quod etiam confirmat Sextus Cæcilius ICtus apud A. Gell. *N. A. lib. XX. c. 1.* aiens: *Populus Romanus e parua origine ad tanta amplitudinis inſtar emicuit, ſed maxime atque præcipue fidem coluit, ſanctamque habuit tam priuatim quam publice.* Hoc enim inprimis in *ſtatu ciuili* valet, quod patres apud Liuium, *lib. III. c. vlt.* vrgent, *famæ & fidei damna maiora eſſe, quam quæ æſtimari poſſint.* Hac fide Romanorum in ipſo bello conſeruata adducti Faliſci, vt ſe ſponte dederent Romanis. Liuius *lib. V. c. 27.* Interim quantæ fraudes a populo Romano commiſſæ ſæpe fuerint, optime enucleat Forſtnerus *ad Tacitum P. 1. p. 287.* quem locum ſupra *p. 146.* integrum dedi. Suo forſan ipſo exemplo moniti Romani cauebant ſemper, *ne ita crederent*

 externis

§. XLII. Sicuti itaque fœdera in ſecuritatem reipublicæ eiusque conſeruationem tendere debent, ita de iure naturæ nihil vlterius requiritur, quam vt cum tali ineantur, qui ſufficientia poſſit reipublicæ præſtare ſubſidia, cuiuscunque religionis fuerit. (q)

§. XLIII.

externis auxiliis, vt non plus ſui roboris, ſuarumque proprie virium in caſtris haberent. Liuius *lib. XXV. c. 33.* Quid vero ſi respublica quædam bello duriſſimo implicita ſit, vt alteri promiſſa ſubſidia absque euidenti ſui ipſius pernicie præſtare non poſſit? Hic ſine dubio fœdus exceptionem patitur, nec hunc caſum fœdere comprehenſum eſſe credendum eſt, quod non ad deſtructionem propriæ reipublicæ, ſed eius conſeruationem initum eſſe, iudicari oportet. Cum bello Punico II. tot fœderati a Romanis defeciſſent, Petellini ſoli ex Butriis in amicitia Romana manſerunt, & cum ex fœdere ſubſidia a Romanis peterent, denegata eisdem ſunt, *fideque ad vltimum expleta, conſulere ſibimet ipſos in præſenti fortuna iuſſerunt.* Liuius *lib. XXIII. c. 20.*

(q) Late de hac quæſtione diſputant Grotius *lib. II. de I. B. & P. c. 15. §. 8. ſeqq.* Ziegl. *de Iurib. maieſt. lib. I, c. 38. §. 7.* Beſold. *de fœderum iure c. IV.* Notum eſt Franciſci I. Regis Galliæ fœdus cum Turcarum imperatore initum, de quo variæ cenſuræ & querelæ hinc inde reperiuntur, & inprimis in *R. I. de anno 1544. §. und demnach & ſeq* grauiter hoc fœdus a toto imperio reprehenſum legimus. Verum hic caute quæſtiones variæ ſunt ſecernendæ. Quando quæritur, an imperans ius fœderum recte exerceat, ſi illud cum infideli pangit, in conſeruationem ſuæ reipublicæ contra quoscunque eius oppugnatores? ſine dubio hoc affirmandum eſt, quia omnia media conſeruandi rempublicam

§. XLIII. Poteſt tamen ius fœderum pangendorum reſtringi ex *fœdere antiquiori*, (r) vel fœdere

blicam a iure naturæ imperanti indulta ſunt, ſine quibus commode conſeruari non poteſt, ſiue fœdus ineatur contra fideles ſiue infideles. Prius quidem Zieglerus in dubium vocat, ſed abſque ratione, quia diuerſitas religionis non tollit aut mutat iura gentium communia, nec vlla ratio vetat, reiicienda eſſe auxilia eorum, qui noſtræ reipubl. bene cupiunt, & pro eiusdem incolumitate ſimul laborant. Regerit quidem Zieglerus *cit. l.* 6. 9. aduerſus fratrem hoſtem communem excitandum non eſſe; ſed reſpondeo, me ignorare, quæ iura fraternitatis Chriſtianæ inter hoſtes Chriſtianos obſeruari debeant, & ſæpe Chriſtiani magis barbare ſæuiunt in hoſtes ſuos, quam quidem ipſi infideles. Deinde alia quæſtio eſt, an excitare per fœdus liceat infidelem ad infringendam potentiam alterius, qui quamuis Chriſtianus, nobis tamen metuendus videtur? quod nego, non quia alter infidelis eſt, nam nec fidelem excitare licet, ſed quia tale medium iuri naturæ aduerſatur, & alia media adſunt, ſibi intuitu alterius potentiæ conſulendi.

(r) Exemplum eſt in Campanis, qui vbi fœdus cum Romanis inire vellent contra Samnites, Romani tamen id recuſarunt, licet multam ſibi vtilitatem ex tali fœdere pollicerentur; nam, vt inquit Liuius *lib. VII. c. 31.* tanta vtilitate fides antiquior fuit, atque hinc tale reſponſum tulerunt. *Auxilio vos, Campani, dignos cenſet ſenatus, ſed ita vobiscum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia ac ſocietas violetur. Samnites nobiscum fœdere iuncti ſunt, itaque arma Deos prius, quam homines violatura aduerſus Samnites vobis negamus, legatos ſicut fas iusque eſt, ad ſocios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.* Ceterum alia quæſtio fuit, an poſtquam Campani ſe poſtea

fœdere ſyſtematico, (s) ne in huius perniciem vergat.

§. XLIV. Hoc ipſo quoque ſubditis non interdictum eſſe videtur, fœdera cum aliis gentibus *commerciorum* (t) *cauſa* inire, quippe quæ pacta

ſtea in populi Romani poteſtatem darent, hi absque violatione fœderis recipi potuerint. Ita quidem cenſuit ſenatus apud Liuium *cit. l.* adhuc enim videbatur res integra, nondum bellum erat cœptum, ſed inſtabat, nec recipiebantur in ſocietatem ſed in ſubiectionem & deditionem. Alia ratio fuit Sidicinorum, quorum deditionem aſpernabantur Romani vt ſeram, *vltimaque tandem neceſsitate expreſſam*, vt ait Liuius *lib. VIII. c. 2.* neque enim amplius in ſua poteſtate videtur eſſe populus, qui in extrema neceſſitate conſtitutus ſe alteri ſubiicere cupit.

(s) Reuera duplex obligatio hic occurrit; (1) quoad rempublicam propriam, (2) quoad reliquas fœdere ſyſtematico comprehenſas, atque adeo ius fœderum ita exercendum, vt vtrinque ſecuritas maneat illibata & ſalua. Quamuis itaque ſtatibus imperii ius fœderum competat, non aliter tamen exerceri poteſt, quam *ne ſint fœdera contra imperatorem vel imperium, pacemve eius publicam* vt dicitur in *I. P. art. 8. §. gaudeant*, quo ipſo nihil adeo ſingulare eſt conſtitutum, cum illa ipſa limitatio ex iure publico vniuerſali per ſe fluat. Interim ſi respubl. ſyſtemate comprehenſa a reliquis eiusdem ſyſtematis ſociis bellum & vim hoſtilem metuat, non dubium eſt, quin talis respubl. hoc caſu in ſui defenſionem fœdus cum aliis contra reliquos ſocios inire poſſit, cum imperans magis obligetur ſuæ republ. quam reliquis ſociis fœderis ſyſtematici.

(t) Commercia res priuatas potiſſimum reſpiciunt, nec regimen publicum per ſe tangunt. Poteſt quidem impe-

pacta nec rempublicam primario concernunt, nec ius imperantis violant.

§. XLV. Imo & ſic quoque ciuitatibus ſingulis, communem alias imperantem habentibus, fœdera pro conſeruatione & ſecuritate ſua cum aliis inire licet, quoties ab imperante ſuo deſeruntur, vt quaſi pro derelictis habitæ videantur. (u)

§. XLVI.

imperans illa reſtringere, & hactenus ad leges ciuitatis in exercitio commerciorum ſubditi obligantur, ſed, his deficientibus, libertas priſtina ſeſe exſerit. Exinde forſan *fœdus Hanſeaticum*, olim tam celebre, defendi poteſt, in quod tam plurimæ ciuitates absque publica imperantis autoritate receptæ ſunt, cum tale fœdus nihil aliud fuerit, quam maxima quædam ſocietas lucri cauſa inita. Oſtendit enim Conringius *de Vrb. German.* §. *98.* hoc fœdus *συμμαχίας* cauſa non fuiſſe initum: neque hoc credibile eſt, quia principes tale quid nunquam permittere potuiſſent. Interim rationes politicæ non ſemper ferunt, vt talis libertas ſubditis relinquatur, vti bene obſeruat Conring. *cit. l.* §. *101.*

(u) Poſſunt publicæ calamitates rempublicam ita affligere, vt ciuitates a ſuo imperante amplius defendi nequeant, ſed aliunde ſibi defenſionem quærere debeant. Talis ſtatus Germaniæ fuiſſe videtur tempore funeſti illius interregni, quem Mutius *lib. 21. Chron. germ. p. 192.* ita deſcribit: *His temporibus arma vbique, leges fere nusquam, dominabantur, quisque occupabat, quantum potuit per vim.* Status itaque naturalis reductus videbatur, ciuitates omni defenſione erant deſtitutæ; & tamen potentiores in viſcera imperii ſæuiebant, vt in tali rerum ſtatu nihil conſultius eſſet,

 quam

prius competit, poſterius denegari non poteſt.

§. XLVII. Sicuti itaque fœdera libertatem alterius non tollunt, ita quoque ius clientelare non liberat ſubditos ab obſequio erga proprium imperantem, cum huic omnia iura ſummi imperii maneant ſalua. (y)

§. XLVIII.

mendari in iis locis, quibus defenſionem debent. Cum itaque ſubditi proprie dicti defenſionem ſuam ab imperante petere debeant, alterius defenſioni ſe ſubmittere nequeunt, quia poteſtas domini territorii inde læderetur. Cautum id legitur in *Capit. Ioſeph. art. VIII.* quemadmodum etiam iam in *R. I. de anno 1519. §. wir auch Churfürſten.* ſtatus imperii ſe inuicem obſtrinxerunt, *Daß keiner des andern Unterthanen und Verwanten, des Glaubens oder anderer Urſache halber in ſonder Schutz vnd Schirm, wieder ihre Obrigkeit nehmen ſollen noch wollen.* Quamuis vero dictum ſit, ſubditos ne quidem intuitu religionis ſe alterius clientelæ ſubiicere poſſe, quia ſic in effectu implorando defenſionem patroni imperanti ſuo legitimo reſiſterent; alia tamen quæſtio eſt, annon imperans, qui ſucceſſorem diuerſæ religionis habet, ſubditos ſuos alterius defenſioni poſſit commendare, ne in exercitio libero religionis a ſucceſſore forſan turbentur: quod itidem negandum exiſtimo. In effectu enim talis diſpoſitio duplex diuerſum & contrarium inuolueret imperium, & ſubditis ſuppeditaret anſam, imperanti reſiſtendi, cum non aliter poſſint defendi a patrono, quam vel *interceſſionibus*, vel denique *adhibita violentia.*

(y) Vulgatum eſt: *Schirm-Gerechtigkeit giebt keine Obrigkeit.* ſed tamen itidem vulgatum eſt: *aus Schirm-Herrn werden*

§. XLVIII. Sed etiam ſingulorum ſecuritati aliquando contra vim externam iuſte proſpicit imperans, quo referunt *ius repreſſaliarum*, quod primario in eo conſiſtit, vt imperans in ſuo territorio ſubditis gentis extraneæ denegare poſſit iuſtitiam, (z) quæ ſubditis huius imperantis illam denegauit.

§. XLIX.

werden leicht Sturm-Herrn, ſcilicet ſi patroni inique ſua poteſtate abutuntur, qualis metus tunc vt plurimum adeſt, ſi patronus nimia polleat potentia. Plurimæ id ſuo damno expertæ ſunt ciuitates, inter quas quoque Metis, Tullum & Verdunum non poſteriores ſunt, quæ protectionem Galli amplectendo ab imperio auelli cœpere. Ipſum Romanum imperium iam olim per oppreſſionem confœderatorum huiusmodi admodum auctum fuiſſe conſtat.

(z) In hoc potiſſimum repreſſalias conſiſtere, docet Peſchwitz *de repreſſ. c. 2.* quamuis alii aliter rem explicent, & res inter ſe affines confundant. Eſt hoc remedium non adeo iniquum, cum per indirectum ita adigatur gens extranea, ſubditis alienigenis, ſi quid iure petere poſſunt, æque adminiſtrare iuſtitiam vt propriis. Prærequiritur autem (α) ius eius, cui alibi iuſtitia eſt denegata, eſſe liquidum, (β) eidem omne auxilium in territorio extraneo contra ſubditum illius denegari, (γ) deficere vtrinque ſuperiorem, ad quem prouocari poſſit, in caſu denegatæ iuſtitiæ. Exercet hoc ius tantum ſummus imperans, adeoque an locum habere poſſit, deſuper vnice cognoſcit, & magiſtratui inferiori, qui illud *ſuo iure* exercere nequit, per mandatum iniungit, vt caſu eueniente ſuſpendat iuſtitiæ adminiſtrationem contra extraneum.

(a) Solent

§. XLIX. Faciunt præterea aliud *repreſſaliarum* genus, conſiſtens in *detentione perſonæ aut bonorum propter debitum aliquod*, (a) ratione cuius ſubdito huius territorii denegata iuſtitia eſt, ad effectum, vt læſo a gente iniqua ſatisfiat.

CAP. II.

(a) Solent nonnulli hanc ſpeciem *pignorationem* appellare, alii vero totam repreſſaliarum naturam in hoc ipſo quærere. vid. Ziegl. *de iurib. maieſt. lib. I. c. 34. §. 29.* Grot. *lib. III. c. 2.* Hoc ius potiſſimum defendunt ex *belli iuſtitia*, adeo vt nonnulli illud ipſum *belli minus ſolennis* nomine inſignire ſoleant, ex quo vlterius deducunt, inter illas perſonas ius hoc exerceri poſſe, inter quas licite bellum geritur; quando enim iudex adeſt ſupremus, qui propter denegatam iuſtitiam adhuc adiri poteſt, toties ad hoc extremum medium deueniri nequit, quo intuitu has pignorationes ſtatus imperii inter ſe iure haud exercent, bene tamen erga extraneos. Eatenus autem ad ius publicum vniuerſale ſpectant, quatenus ab imperante adhibentur pro *ſecuritate & defenſione ſubditorum* ſuorum, quibus a gente extranea vel ius denegatum, vel alia iniuria facta. Cum enim hoc ipſo non tota reſpublica læſa, ſed tantum quidam ex republica, & hinc propter horum læſionem bellum mouere & totam rempubl. in ambiguum vocare diſcrimen periculoſum, ne dicam iniquum videbatur, expeditior modus cogendi gentem iniquam introduci & exerceri cœpit, qui tamen non raro ad bellum ipſum anſam dare ſolet.

(b) Supra

CAP. II.
De
Iuribus tranquillitatem internam reipublicæ reſpicientibus.

§. I.

SI imperans rempublicam à *vi externa* defendere debet, multo magis eidem incumbit, eandem præſtare ſecuram & incolumem a *vi interna*, (b) ſtatui ciuili admodum inimica, & quæ

(b) Supra dictum eſt, ſtatum reipublicæ in *vnione* ſubditorum *arctiſſima* fundari. Quando hæc patitur, vel plane diſſoluitur, corpus ciuile ruinam minatur, cum per vim internam conſumatur, & præterea a vi externa ſalua & incolumis præſtari non poſſit. *Quoties enim ciuitas*, vt philoſophatur C. Claudius apud Dion. Halicarn. *lib. XI. concors bellum ſuſcipit, & idem omnibus, tam illis, qui imperant, quam illis, qui parent, vtile videtur, omnes alacriter mala ſubeunt, nec ullum laborem aut periculum refugiunt. Quotiens vero inteſtino malo laborans priusquam res domeſticas componat, bella externa ſuſcepit, & multitudini in mentem venit, ſe non pro ſuis bonis mala paſſuram, ſed vt aliorum imperium in ſe magis confirmet: ipſi vero duces cogitant, ſuas copias non minus quam hoſtiles ſibi inimicas fore, cetera quoque laborant, & quauis manus iſtiusmodi exercitus facile debellare & delere poteſt.* Vtplurimum hoſtes inde anſam arripiunt, inuadendi rempublicam, ſi animaduertunt, illam internis conflictari malis. Cum ob tyrannidem Decemuirorum & imprimis Appii Claudii maior pars reip. ægra eſſet, Sabini & Æqui bellum intulerunt Romanis. *Illi enim*, ait C. Claudius

quæ rempublicam crudelius quam externa affligere ſolet. (c)

§. II. Obligatio hæc imperanti ſuggerit media ad finem facientia, quibus vel præcavet, ne ta-

dius apud Dion. Halicarn. *cit. l. cum audierint, iam pridem noſtram rempublicam fluctibus & tempeſtatibus agitari & laborare, & plebem patriciosque a reipubl. præſidibus animo alieno eſſe, exiſtimarunt, ſi quod externum bellum vobis præter mala inteſtina inferretur, & magiſtratus vellent copias educere ad agri propugnationem, eos neque habituros omnes ciues ad militare ſacramentum promtos, vt antea, quod magiſtratus odio proſequantur, nec duces pœnis lege ſtatutis in contumaces vſuros, veritos, ne quod grauius malum faciant. Eos vero, qui obtemperarint, & arma ceperint, aut ſigna deſerturos, aut ſi permaneant, rem in prœliis ignauiter dedita opera geſturos, quorum nihil ſperarunt, quod non ſit veriſimile.* Quæ cum ita ſint, ratio dictitat, *firmandam eſſe rempublicam, non armis modo neque aduerſus hoſtem, ſed quod multo maius, multoque aſperius, bonis pacis artibus*, quibus vnio illa interna conſeruatur, & fulcitur. Saluſtius *orat. I. de republ. ord. c. I. n. 7.*

(c) Oritur illa calamitas publica a vi interna, ſeu ipſis ſubditis, Reipublicæ incolumitati inſidiantibus, quales morbi interni eo magis metuendi ſunt, quoniam conſtat, homines ad turbas mouendas eſſe pronos & procliues, ad parendum vero & ſtatum ciuilem ſatis ineptos, vti ſupra *Lib. 1. c. 1. p. 131.* demonſtratum. De Hiſpanis Iuſtinus *lib. XLIV. c. 2. Hiſpani bellum quam otium malunt, ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt.* Imo hoc vitium magnarum ciuitatum eſſe Liuius *Lib. XXX. c. 44.* hiſce verbis prodit: *Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi inuenit, vt prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.* Ipſum

ne talia mala erumpant, vel ſi iam eruperint, vt mature exſtinguantur, & ciuitas ad pacem reducatur. (d)

§. III. Quoad prius membrum ius competit

pſum vaſtisſimum corpus imperii Rom. magis ſub hoſte interno quam externo cecidit. *Ei ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parebant, fuere tamen ciues, qui ſe remque publicam obſtinatis animis perditum irent*, vt ait Saluſt. *de bell. Catil. c. 36.* Comparant alias eruditi rempublicam *cum corpore humano*, vti Hobbeſius facit, quod pati poteſt a *vi externa*, & *internis* nonnunquam, imo vt plurimum, affligitur *malis*, quæ eo grauiora ſunt, quo magis deſtructionem corporis ſecum trahere poſſunt. Ad hæc mala auertenda regulæ tum *prudentiæ politicæ*, in politicis tractandæ, tum *iuris publici vniuerſalis*, hic excutiendæ, faciunt.

(d) In corpore humano conſeruando itidem hæc duo attenduntur, & ſic quoque in corpore ciuili. Sicuti in pace de bello cogitandum & ad futura pericula quis ſemper inſtructus eſſe debet, ita ad præcauendas omnes turbas talis ordo in republica ſeruandus, quo turbatoribus omnes viæ præcludantur, aliquid moliendi contra rempublicam. Nouit homo, corpus, quod ſuſtinet, eſſe languidum, morbis obnoxium; nouit etiam imperans, corpus ciuile, quod ſuſtinet ſuo imperio, eſſe corruptum, & hinc quæ contra mala metuenda adhiberi debeant remedia, ſollicite indagare debet. Cum vero interna reipubl. quies in *concordia ſubditorum* conſiſtat, hæc vero per *culturam iuſtitiæ* obtineatur, ſtudium eius ante omnia excolendum eſt imperanti, quippe quæ *ciuium concordiam alit & conſeruat*, vt ait Dion. Halicarn. *lib. II. in f.*

(e) Fru-

tit imperanti, mediis ſanæ rationi conuenientibus ſubditos conſtringendi & potentiam eorum minuendi, (d) ne quid audere poſſint contra

(d) Fruſtra de remediis contra morbos quæſtio inſtituitur, niſi fontes morborum fuerunt detecti. *Cauſæ morborum ciuilium* ſunt infinitæ, quas indagare debebant hi, qui *prudentiam ciuilem* tractant. Sed plerique hanc doctrinam vel plane omiſerunt, vel ſatis frigide tractarunt, quia materiis plane alienis tractatus ſuos impleuerunt, proprias neglexerunt, in quo tamen Dn. Hertius ceteris omnibus exemplo contrario præiuit, oſtendens *in Elem. prud. ciuil.*, potisſimam partem huius doctrinæ conſiſtere in eruendis morborum ciuilium cauſis, & ſuggerendis remediis ſufficientibus. Vt rem in compendio complectar, malum internum ſtatui publico imminet vel *a nimia paucorum autoritate* & potentia, vel *a nimia plebis libertate.* Priori caſu, ſi præſertim ſub ſe militem habent, nihil non tentare poſſunt contra ſtatum publicum, præſertim cum *potentia* vel *autoritas* in occulto latere, & ſub ſpecie *pietatis* vel *virtutis* ſeſe publico commendare poſſit, quod optime illuſtrat Förſtner *ad Tacit. P. 1. p. 148. ſeqq.* ſed poſtea erumpit in flammam, toti reipublicæ ruinam minantem. Deplorant adhuc plurima regna imprudentiam maiorum, qua clero tantam vbiuis autoritatem & potentiam indulſerunt, quam ſupprimendi ius fasque fuiſſet. Quantæ ſtrages, quantæ turbæ in rebuspublicis inde ortæ! Eſt quippe plebs ita comparata ex iudicio Curtii, *vt vbi ſemel ſuperſtitione capta eſt, plus pareat vatibus quam ducibus.* Atque ex hiſce malis metuendis plura iura imperanti adſcribenda, præſertim quoad ſacra, quæ alias eidem tribuenda non erant, vti ſuo loco videbimus. Poſteriori caſu, vbi *nimia* populi libertas adeſt, multum patitur reſpubl.

contra ſtatum publicum, vel alio modo rempublicam reformandi. (e)

§. IV. Ius reformandi rempublicam vtut imperanti proprium ſit, tamen pro ſtatu diuerſo reipublicæ illis quoque committi ſolet & poteſt

publ. a factionibus, quibus ordinarie populares respublicæ ſunt obnoxiæ, maxime ſi licentia concionum publicarum accedat, quæ imprudentem plebem ad quæuis facinora ſollicitant. Non inepte reip. R. iacturam Cicero *orat. pro L. Flacco p. m.* 500. inde deducit aiens: *Illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc vno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum.* Reſtringenda ergo eſt nimia ſubditorum *autoritas* & *libertas*, ſed legitimis modis & mediis.

(e) *Modum* reformandi ciuitatem regulæ politicæ ſuggerunt, ſed *ius ipſum*, ex hac doctrina petendum. Cui enim totius reipubl. ſalus commiſſa eſt, circa *reformationem* quoque ſollicitus eſſe debet, ſiue per ſe, ſiue per alios illam expediat, exemplo reip. Athenienſis, quæ Solonem conſtituit *reipubl. reformatorem*, quæ periculoſisſimo laborabat. Idem ius affectabat Lycurgus, ſed magis *vi*, quam *iure* moribus corruptam Spartam reformauit, cum ius reformandi ipſi haud demandatum fuerit. Plenius de vtroque exemplo agit Huber. *de iur. ciuit. lib. 3. S. 3. c. 4.* Impudentius autem & maiori cum ſpecie iuris nemo hactenus *ius reformandi respublicas* affectauit, quam præſul Romanus, ex vniuerſali cura circa eccleſias, & cum respublicas quoque ad eccleſias traxerit, has quoque pedo ſuo ſubeſſe iudicauit. Verum res inuertenda eſt. Sunt eccleſiæ in republica, non contra. Clericorum eſt, principem admonere de *reformatione inſtituenda*, non *ius reformandi rempubl.* ſibi tribuere.

(f) In

& poteſt, quibus totius prouinciæ cura & adminiſtratio concredita eſt. (f)

§. V. Ita tamen *ius reformandi* exercendum eſt, (I.) quatenus absque maioris mali metu fieri, & ſtatus reipublicæ illibatus ſeruari poteſt; alioquin non inique imperans quædam reipubl. incommoda & mala tolerat, (g) ne totum corpus interitui exponat.

§. VI.

(f) In ſtatibus popularibus hoc vt plurimum accidit. Solon ex decreto Athenienſium ius reformandi exercuit, vti ad §. *antec.* dictum eſt. Simile ius illis conceſſum erat, quibus apud Romanos prouinciæ demandatæ erant. Prouocat huc Cicero *lib. VI. ad Attic. epiſt.* 1. aiens: *Appius ad me ex itinere bis terue ὑπομεμψιμοίρους literas miſerat, quod quædam a ſe conſtituta reſcinderem. Vt ſi medicus, cum ægrotus alii medico traditus ſit, iraſci velit ei medico, qui ſibi ſucceſſerit, ſi, quæ ipſe in curando conſtituerit, mutet ille: ſic Appius cum ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, ſanguinem miſerit, quicquid potuit, detraxerit, mihi tradiderit enectam: προσανατριβομένην eam a me non libenter videt, ſed modo ſuccenſet, modo gratias agit. Nihil enim a me ſit tum vlla illius contumelia, tantummodo diſſimilitudo offendit hominem &c.* Hinc conſuetæ formulæ apud Romanos, quando magiſtratui rempubl. commendabant: *videret, ne quid respubl. detrimenti caperet*, (quæ formula tamen vltimæ neceſſitatis tantum habita eſt, Liuio teſte, *lib. III. c. 4. in f.*) ageret *vti e republ. fideque ſua eſſe videbitur*, faceret, *quod reipubl. expedire iudicaſſet*, Briſſon. *de ſolenn. pop. R. verb. lib. 2. p. 212. ſeqq.*

(g) Sæpe iniqua ſunt toleranda, ſi absque iactura reipubl. inſigni reformari nequeunt, quod exemplis il-

luſtrat Cicero *lib. II. ad Attic. epiſt. 1.* vbi ſimul imprudentiam Catonis, omnia exacte & ſeuere in ſtatu turbido expedire conantis, notat. Cariolano, ciui optimo, & de ſalute reipubl. admodum ſollicito, nihil magis obfuit, quam *nimis accurata & ſeuera iuris obſeruantia. Cum enim plebeis mediocriter cedere debuiſſet, eorumque cupiditatibus aliquid indulgere, & inter eos principem obtinere locum, id facere noluit, ſed quod contra res omnes iniuſtas diceret, odium ſibi contraxit, & ab iis expulſus eſt.* Dion. Halicarn. *lib. VIII.* Inde poſtea tot mala rempubl. afflixerunt. Equidem, quod miror, ipſe Cicero *lib. III. de LL.*, omnia tentanda vult, nec, an aliquid obtineri poſſit, laborandum eſſe. Ita enim ille: *Iſta ſententia maxime & fallit imperitos, & obeſt ſæpiſſime reipublicæ, cum aliquid verum & rectum eſſe dicitur, ſed obtineri, i. e. obſiſti poſſe populo negatur. Primum enim obſiſtitur, cum agitur ſeuere; deinde opprimi in bona cauſa eſt melius quam male cedere.* Ipſe tamen antea *cit. epiſt. 1.* in Catone hoc notaverat, *quod ſumma fide noceat interdum reipubl., & ſententiam dicat tanquam in Platonis πολιτείᾳ non tanquam in Romuli fæce.* Concedo nimiam timiditatem abeſſe debere a reformandi ſtudio. Si tamen ſimul imprudentia concurrat, & certiſſima reipubl. iactura, non reformatur respubl. ſed deformatur. Quemadmodum medici non raro in deſperatis morbis vnice præcauent, ne malum latius ſerpat: ita quoque imperans in ſtatu admodum corrupto ciuitatis non ſemper pronus eſſe debet, ad ſtatum reipubl. in melius formandum, ſed tunc id tantum videndum, ne moles reipubl. male cohærens plane corruat. *Medici plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo proficiunt*, ait Liuius *lib. XXII. c. 18. in f. & in morbis nihil eſt magis periculoſum quam immatura medicina*, iudice Seneca *in conſol. ad Heluid. c. 1.* Reprehendit hoc Lucanus *lib. III.* in Sulla dictatore ita canens:

Dum

§. VI. (II.) Ipſa media, quibus reformatur ſtatus publicus, ita debent eſſe comparata, ne iuri publico vniuerſali aduerſentur, (h) alioquin Machiauellismum ſapiunt.

§. VII.

Dum nimis iam putrida membra reſcidit,
Exceſſit meditina modum, nimiumque ſecuta eſt,
Qua morbi duxere, manus, periere nocentes,
Sed cum iam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.

Plures in regno Poloniæ ſunt irregulares gubernandi formæ, vnde tot mala reipublicæ imminent; ſed omnes funditus exſtirpandi forent, ſi ſtatus in melius eſſet reformandus. Vtut itaque in ſtatu corrupto finis *ciuilis pacis* non perfecte obtineatur, comparatiue tamen loquendo melius eſt, ſi aliquatenus obtineatur, quam ſi in totum per immaturam reformationem deficiat.

(h) Conſilia ad conſeruandam rempublicam a politicis varia traduntur, quæ tamen ſæpe a regulis iuſtitiæ recedunt, qualia detexit Noricorum decus Pellerus *in Polit. ſcelerato.* Illa autem veram reformandi viam & ſalutem reipubl. continent, quæ (1) *a tramite iuſtitiæ non abeunt*, quale erat conſilium Themiſtoclis, de quo Cicero *lib. III. de Offic. Themiſtocles*, ait, *poſt victoriam eius belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium reipubl. ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe: poſtulauit, vt aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille: claſſem Lacædemoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Cytheum, clam incendi poſſe, quo facto frangi Lacædemoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiſſet, in concionem magna expectatione venit, dixitque, perutile eſſe, quod Themiſtocles afferret, ſed minime honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne vtile quidem putauerunt, totamque eam rem, quam ne audiuerant quidem, repudiauerunt.* Recte Tacitus *lib. IV. hiſtor.* cenſet: *ſola bona, quæ honeſta: mala tantum, quæ turpia.*

De Cyro Xenoph. *in Cyropæd. lib. VIII. p. m. 207. lit. c.* ſimilia docet inquiens: *quamobrem deſpiciens, quo ab iis quoque tutus eſſet, arma quidem illis adimi & reddi ad bellum ineptos, minime probauit: quod eſſe illud & cum iniuria, & cum imperii euerſione coniunctum duceret. Rurſus eos non admittere, ac palam declarare, quod fidem eis non haberet, id belli arbitrabatur eſſe initium. Itaq; hoc vnum iſtorum omnium loco iudicabat, & optimum eſſe ad ſecuritatem ſuam & honeſtisſimum, ſi præſtantisſimos illos ſibi redderet amiciores, quam inter ſe ipſos eſſent.* (II.) *Quæ conſtantem & durabilem reipublicæ afferunt pacem & tranquillitatem.* Gallia, quæ antea imperio Romano terrorem incuſſerat, tandem ſubacta, aſt nihilominus inquieta erat & variis agitabatur motibus. Vnde exiſtimabat Cicero *de prouinc. proconſ.* illam ſempiternis vinculis eſſe adſtringendam: *impolita enim res*, ait, *& acerbæ ſi erunt relictæ, quanquam ſunt abſciſſæ, tamen efferent ſe aliquando, & ad renouandum bellum reuireſcent.* (III.) Denique hæc quoque ratio ſanandæ reipublicæ eſt, *quæ præſenti accommodata eſt ſtatui.* Notat Cicero *lib. II. ad Att. epiſt. I.* Catonem, quod, optimo animo vtens & ſumma fide, noceat interdum reip. *Dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ non tanquam in Romuli fæce ſententiam.* Aliæ rationes in republ. ægra, aliæ in ſana adhibendæ. Eadem fere fata habuit *intempeſtiua ſapientia* Muſonii Rufi, qua ſeditioſum militem ad officium reducere tentauit, de quo ita Tacitus *lib. III. hiſtor. Miſcuerat ſe legatis Muſonius Rufus equeſtris ordinis, ſtudium philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus: cæptabatq; permixtus manipulis, bona pacis & belli diſcrimina diſſerens, armatos monere. Id plerisque ludibrio; pluribus tædio: nec deerant, qui propellerent, proculcarentque, ni admonitus modeſtisſimi cuiusque & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam.* Breuiter, *ad conſilium de republica dandum, caput eſt, noſſe rempublicam*, vt ait Cicero *lib. II. de orat. p. 249.* & ſicuti non ſemper idem ſtatus rerum, ita

Digitized by Google

§. VII. Quo poſito nullum ius imperanti competit e medio remouendi eos, (i) quos ſibi & reipublicæ ſuſpectos credit, cum aduerſus metum incertum ſaniora adſint conſilia.

§. VIII. Multo minus ſupra dicta obligatio imperanti ius tribuere poteſt exercendi *Oſtracismum*, (k) exemplo Athenienſium, qui ſuſpectos reipublicæ exilio mulctabant.

§. IX.

---

ita quoque conſilia ad præſentem rerum faciem directa eſſe debere ratio ſuadet. *Optime*, ait Dion. Halicarnaſſ. *lib. X.*, *adminiſtratur ciuitas, quæ ſe pro rerum ſtatu fortunæ accommodat, & optimus conſiliarius ille eſt, qui non priuatis inimicitiis impulſus aut gratia adductus, ſed publica vtilitate commotus ſuam ſententiam dicit.* Huiusmodi conſilia ſana ſi negliguntur, respublica ex interna ſua peſte, qua laborat, conſumitur. *Sicut enim rubigo*, (vt eleganter ait Polyb. *Hiſt. lib. VI. n. 8.*) *ferro, coſſi & teredines ligno congenitæ peſtes inſunt, adeo vt quamuis nihil extrinſecus illa læſerit, per ea tamen, quæ cum ipſis ſunt nata, intereant: ſic etiam naturæ legibus ſimul cum ſingulis rerumpubl. formis naſcitur aliquod vitium quod aſſidue illas comitatur &c.* id quod in ſeqq. declarat.

(i) Hoc ſceleſtisſimo medio vſus eſt Alexander M. de quo Iuſtinus *lib. XI. c. 5.* ita: „Proficiſcens ad bellum Per„ſicum omnes nouercæ ſuæ cognatos, quos Philip„pus in excelſiorem dignitatis locum prouehens „imperiis præfecerat, interfecit, ſed nec ſuis, qui „apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia „ſeditionis, procul ſe agente, in Macedonia rema„neret.

(k) OSTRACISMUS, dictus ab *Oſtraco* i. e. teſtula, cui

§. IX. Certe qui dominatum defendunt aut illimitatam populi licentiam, non poſſunt non hunc modum defendere: (l) interim tamen

nomen eius, qui eiiciendus erat, inſcribebant, apud Athenienſes in vſu fuit, ad inſtar medicinæ adhibitus, *cuius ope ad expurgandam ciuitatem conſtituto tempore populus vti ſolebat; nam ei exilium indicebatur, qui ceteros gloria, diuitiis, exiſtimatione ſuperaret*, vt ait Plutarch. *in Nic. vita.* Cum vero talis non ob delictum, ſed magis ob virtutem ſuam eiiceretur, bona non publicabantur, quo exilii genere præſtantisſimi viri afflicti ſunt contra meritum, vt Themiſtocles, Cimon, Thucidides, Alcibiades, Ariſtides, & alii, vtpote quos plebs ab autoritatem & virtutem nimis reipubl. ſuæ ſuſpectos habebat. De origine eius vid. *tom. 9. obſ. Hall. 3. §. 8.*

(l) Obiiciunt, rationes *vtilitatis publicæ* ita poſtulaſſe, vt reipubl. ſuſpecti eiicerentur, trahere omne magnum exemplum aliquid ex iniquitate, quod contra ſingulos vtilitate publica compenſetur. Aſt hoc modo quæcunque facta iniqua ſub prætextu *vtilitatis publicæ* abſcondi & excuſari poſſent. Nam alia mitiora media excogitari potuiſſent, infringendi horum autoritatem & potentiam, quam vt ita indignisſime habiti fuerint. & iniquum eſt malo afficere ciues, qui præmiis decorandi ſunt, & denique qui indignisſime patria pelluntur, ſæpe plus poſſunt eandem affligere, vbi abſunt, quam vbi præſentes remanſiſſent. Plus nocuit quam profuit eiectio Cariolani Romanis, qui Volſcos contra Romanos excitauit, iisque inſignem cladem attulit, teſte Dion. Halicarnaſſeo *lib. VIII.* Neque obſtat, quod Oſtraciſmus pœna non fuerit; vt diſerte fatetur Diodorus Siculus *XI. 55.* vel vt Plutarchus loquitur *in vita Ariſtid. non improbitatis*

men conſtat, quod ita optime meriti de republica, publicis decorandi præmiis, ob metum incertum indignisſime habeantur, & inſontes puniantur, quin quod in horum eiectione ſæpe plus damni capere posſit respubl., quam ſi eosdem ex merito fouerit.

§. X. Nec iniquitas remouetur hac ratione, quod æqualitatem inter ciues conſeruauerit. (m) quæ & aliis legitimis modis conſeruari poteſt. Multo minus admittendum, quod oſtraciſmus fuerit *malum* (n) *neceſſarium*, nam talis necesſitas fingitur, non probatur.

§. XI.

tis pœna erat Oſtraciſmus ſed honeſtum nomen impoſitum rei erat, nimiæ potentiæ imminutio, eratque inuidiæ lenimen tolerabile. Sufficit enim, quod fuerit inſignis afflictio, quam ille a republica ſuſtinebat, qui inſignia merita in eandem contulerat.

(m) Nulla poteſt popularis dari ciuitas, in qua omnimoda adſit æqualitas inter ciues, neque vnius vel alterius inæqualitas ſtatim noxia dici poteſt reipublicæ, modo caueatur, ne adminiſtratio reipublicæ tali committatur, quo caſu nihil adeo metuendum eſt. Deinde addunt, experientiam teſtari, ex vnius potentia ſeditiones ortas fuiſſe, adeoque mature eam infringendam eſſe, vt ſecuritas publica conſeruetur. Verum & tales ſeditiones aliis præcaueri potuere mediis, & oſtendunt talia exempla illud tantum, caute in republica potentiam vnius eſſe infringendam.

(n) Imo quidam ne quidem *malum* hic admittunt, quod haud dici posſit *malum*, extra patriam viuere. Quod ſi ita eſt, cur exilia & relegationes ad pœnas referimus? Hoc largior, eum nullum ſentire malum, qui *ſponte* extra patriam viuit, ſed qui viuere extra illam

 cogitur

§. XI. Sunt autem alia media iuſta & æquisſima, & magis tuta, (o) quibus huiusmodi potentiorum ſubditorum autoritas infringi poteſt, quæ inprimis ad ſcholas politicorum ſpectant.

§. XII. Præterea quoque (III.) in exercitio *iuris reformandi* cauſæ morborum (p) ſpectandæ ſunt. Cauſa morbi interni potisſimum eſt ex vitio ſtatus, per leges publicas male adornati. (q) Neutiquam vero imperanti ius concedi-

cogitur, qui e patria eiicitur, non poteſt non affligi. Neque obſtat, quod hæc eiectio non infamauerit; nam etiam, qui a latronibus multis afficitur vulneribus, non notatur infamia, & tamen indignisſime affectus malo dici recte poteſt.

(o) Plura excogitata ſunt conſilia a politicis, quæ referuntur a Forſtnero *in not. ad Tacit. p. 153. ſeqq.* & in *tom. 9. obſ. Hall. 3. §. 19. ſeqq.*

(p) Optime Cicero *lib. III. Tuſcul. quæſt. Vt medici cauſa morbi inuenta curationem eſſe inuentam putant: Sic cauſa ægritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.*

(q) Vitia ſtatus potisſimum ex ipſis inſtitutis publicis deſumuntur, quando leges fundamentales reipubl. ita ſunt comparatæ, vt non posſint non ſubditos diſponere ad turbas, renitentiam inter eos, qui regimini præſunt, producere, & præterea id operari, vt negotia publica, maxime, quæ ſecuritatem internam reſpiciunt, ſegniter & difficulter expediri queant. Nihilominus tamen obligatur illis, quibus cum pactus eſt, veluti ſtatibus prouincialibus, & his inuitis nihil contra pacta hæc audere poteſt. Sunt qui inſtant, imperantem eiusmodi legibus fundamentalibus, reipubl. aduerſis, ſtringi non poſſe, quippe cui antiquior eſſe debeat

cedimus, ſub prætextu melioris ſtatus introducendi, leges fundamentales, quibus ipſe ligatur, diſſoluendi & annullandi, atque alium ſtatum adornandi, niſi fiat conſenſu eorum, quorum intereſt.

§. XIII. Aliud dicendum arbitror de illis promisſionibus, quæ euidenter iuri naturæ repugnant, & ſic nullam producere poſſunt obligationem. (r)

§. XIV.

debeat ſalus totius corporis, quæ in facili expeditione negotiorum publicorum & tranquillitate interna, mutuaque harmonia conſiſtit. Aſt regero α) pacta huiusmodi non eſſe abſolute iniqua; ſed aliquatenus reipublicæ incommoda, interim nihilominus obligatoria. β) antequam imperium acciperetur, cogitandum fuerat, vtrum eiusmodi conditionibus eſſet accipiendum; aſt vbi ſemel conditiones & pacta placuerunt, poſtea diſplicere nequeunt. γ) Vtilius eſt præſenti ſtatui reipublicæ, pacta talia ſeruare, quam, reſciſſis pactis, nouum velle introducere ſtatum, quod certe non in publicam vtilitatem, ſed contra eam vergeret, cum inde prima occaſio ad bella ciuilia, renitentiam, ſeditionem & tandem ἀναρχίαν naſci ſoleat.

(r) Refero huc licentiam duellorum, quæ olim in Germania in ius abierat, adeo vt certis legibus publicis circumſcriberentur, & ad cauſarum deciſiones adhiberentur, indeque olim nota fuere die Kampffrechte und Kampffgerichte vid. Maurit. *de Duell.* §. 29. Rachel. *de duell.* De horum iniquitate plenius agitur *tom. 9. obſerv. Hall.* 5. §. 11. *ſeqq.* Quis vero aſſereret, principem conſtringi ſua promisſione, ne hunc morem impium tolleret? Interim hoc non nego, ſumma prouidentia opus eſſe in tollendis abuſibus, vti ad §. V. iam moni-

§. XIV. Deinde morbi interni ciuitatum etiam oriuntur ex ſubditorum moribus deprauatis. Ad hos itaque, quantum fieri poteſt, emendandos ſummam imperans adhibere debet curam, (s) & hunc in finem iura varia, ipſi competunt infra diſcutienda.

§. XV. Hoc ipſo tamen imperanti haud competit ius extirpandi funditus hanc vel illam ſectam, (t) quæ in conceptibus intellectualibus

monitum eſt, cum mala inueterata difficulter eradicari ſoleant, quod hiſtoria de exſtirpanda licentia duellorum oſtendit.

(s) Hoc impetrabit imperans, (α) *ſi paci ſtudeat*, cum tempore belli ſubditorum mores magis deprauentur. Ita Auguſtus deuictis omnibus & pacatis gentibus *conuerſus ad pacem pronum in omnia mala & in luxuriam fluens ſeculum grauibus ſeuerisque legibus multis coercuit* Florus *lib. IV. c. 12.* (β) *ſi a ſummis in republica viris incipiat*, quippe a quibus luxus, magnificentia aliaque vitia in rempubl. redundant, quosque alii gregatim ſequi ſolent. *Quæcunque autem mutatio morum in his extiterit, eadem quoque in populo ſequetur.* Hoc ſuppoſito Cicero *lib. III. d. LL.* ſatis recte iudicat inquiens: *Ego nobilium vita victuque mutato mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de republica merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiant ipſi, ſed ea infundant in ciuitatem: neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo, quam peccato nocent.* (γ) Si *ipſe imperans optimo exemplo ſubditis praeat,* quod *cap. ſeq.* §. *III.* plenius illuſtrabitur.

(t) Romanæ eccleſiæ ſectatores non tantum ius concedunt imperanti, ſed eum quoque obligatum eſſe volunt

alibus ab aliis differt, ceteroquin mores ſatis probos præ ſe fert; talis enim extirpatio ad pacem internam conſeruandam nihil facit.

§. XVI. Et cum doctrina & ſcriptis nefariis animi ſubditorum ad peſſima quæque contra rempublicam molienda poſſint præparari, (u) ius

lunt ad exſtirpandos hæreticos, quaſi abſque horum exſtirpatione quies interna non poſſit haberi: quod exemplo lanienæ Pariſienſis probant. Non nego, propter diuerſitatem religionum interna odia & diſſidia in republica eſſe orta, ſed autores harum turbarum plerumque fuere Clerici *dominantes*, e quorum re fuit, diſſentientes ſuſpectos facere, & omnium odium in eos excitare, quo ſemel excitato, plebs incauta ſub *ſpecie pietatis* turbas mouere poteſt. Verum in eiusmodi caſibus interna inquies ex diuerſitate religionis non oritur, ſed potius a clero dominante, atque adeo hic conſtringendus, & ciues ad mutuam tolerantiam aſſuefaciendi, quod facile fieri poteſt, vbi autores turbarum ſatis domiti fuere. conf. *infr. c. X.* §. 5.

(u) Inepta plebs deſtituitur iudicio diſcretiuo, & falſa doctrina facile decipi poteſt, qua ſi ſemel mens imbuta fuerit, non iniuſte ſe tumultuari credit. Aſt in *hypotheſi*, quænam tales *ſeditioſæ ſententiæ* ſint, non ſemper ſatis determinari poteſt. Quo magis imperans ad dominatum inclinat, eo minor plerumque dicendi licentia, cum verba quæcunque captentur, & in interitum loquentis explicentur: aſt benignitas imperantium raram illam felicitatem operatur, *vt ſentire quæ velis, & quæ ſentias, dicere liceat*, vt ait Tacitus *lib. I. Hiſtor. c. 1.* Similiter qui diſſentientium opiniones impugnant, non raro dilabuntur ad hanc rationem, clamantes, doctrinam hanc eſſe *ineptam*, *ſeditioſam*, & rti-

ius competit imperanti, libertatem talem reſtringendi & prohibendi, ne ſeditioſæ ſpargantur doctrinæ.

§. XVII.

& *reipublicæ maxime contrariam*, vti ſupra exemplum vidimus de hypotheſi, *quod Maieſtas non ſit immediate a Deo*. Catalogum ſeditioſarum opinionum collegit Hobbes *de Ciue c. XII.* ſed ſæpe fallitur. Sic in §. 1. c. 12. ad ſeditioſam ſententiam refert, *indicationem boni & mali ad ſingulos pertinere*. Aſt confundit varios & diuerſos reſpectus, *iuſti* & *honeſti* & *licentiæ externæ*, id quod ab aliis iam notatum eſt. Poteſt imperans in republ. ſua determinare, quid effectum externum iuris habere debeat nec ne, ſed *naturam rei moralem*, quam ex norma diuina habet, mutare nequit, atque de hac etiam licite iudicant ſinguli, & nos iudicamus in Academiis. Porro ad ſeditioſas opiniones in §. 2. refert, *non eſſe obediendum imperanti iniqua imperanti*, quia ſcilicet credit, omnem actum a principe eſſe iuſtum, quatenus iuſſus eſt. Hoc concedi poteſt quoad forum externum & effectus iuris. Quid itaque, ſi quis iubeatur ab imperante, inceſtum cum matre committere? Deum aut Chriſtum abnegare? Ergo Apoſtoli ſeditioſam opinionem fouerunt, docentes, Deo eſſe magis obediendum quam hominibus? Magis ſobrie philoſophabatur Lycortas prætor apud Liuium *lib. 39. c. 38.* aiens: *Veremur vos Romani, &, ſi ita vultis, etiam timemus, ſed plus veremur & timemus Deos immortales.* In §. 6. impie ad ſeditioſas opiniones refert, *fidem & ſanctitatem non ſtudio & ratione naturali acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter hominibus infundi & inſpirari.* Agnouit hic quosdam abuſus committi, ſed eo ipſo non debebat alterum eligere extremum. S. Scriptura infinitis locis ſatis docet: *fidem eſſe opus Dei*, adeoque *viribus naturalibus acquiri non poſſe*. Similes ſententiæ ſeditioſæ & reipublicæ aduerſæ paſſim a genti-

§. XVII. Inprimis nullæ ſunt tolerandæ factiones (x) in ciuitate, ſed maturis conſiliis mox illis occurrendum.

§. XVIII.

gentilibus Chriſtianis obiectæ ſunt, de quibus videatur Dn. Buddeus *diſſ. de Concord. relig. Chriſt. ſtat. cit. c. 2.* Poſtquam vero hodie religio Chriſtiana in varias ſciſſa eſt ſectas, & ita a vera doctrina Saluatoris noſtri receſſit, negari vtique nequit, in his vel illis ſectis talia dogmata, saluti reipublicæ aduerſantia, deprehendi. Præſertim Romanenſium doctrina tales hypotheſes fouet, veluti, quod fas ſit principem, quem eruditi pro tyranno habent, interficiendi, quod imperantes ſubſint poteſtati pontificis, quod clerici a poteſtate ſeculari exemti ſint, quod pontifex poſſit ſubditos abſoluere a vinculo ſubiectionis &c. Docent omnium ſeculorum hiſtoriæ, quantas turbas hæ ſeditioſæ doctrinæ in rebuspublicis dederint, poſtquam in praxin deductæ ſunt. Anabaptiſtarum & Quackerorum opiniones, an & quatenus ſeditioſæ dici mereantur, ex profeſſo excuſſit Dn. Budd. *cit. l. cap. VI.* Propius ad ſeditioſas opiniones referri debet VVilhelmi Roſſæi impius liber *de autoritate reip. chriſtianæ in reges impios & hæreticos*, qui proinde anno 1594. Pariſiis recte combuſtus eſt.

x) Apprime ad rem Livius *IV. Hiſt. 9.* ait: *Factiones fuere, eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbiue, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt.* Principes Etruriæ de Romano populo non inepte judicarunt, *æternas eſſe opes Romanas, niſi inter ſemetipſas ſeditionibus ſæuiant, id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia eſſent.* Liuius *lib. II. c. 44.* & in genere de vulgi indole ex rei veritate ait Tacitus *lib. I. Hiſt. Vulgus ſeditionibus & ambitioſo imperio lætum, per turbas & raptus facilius ad*

bellum

§. XVIII. Quodſi tandem mala hæc publice erumpunt, & ſubditi turbas mouent contra rempublicam, oritur inde *crimen perduellionis*, eo grauius & ſeuerius puniendum, (y) quo magis gis

bellum ciuile impellitur, uti poſt Galbæ mortem apparuit. Adſunt quidem exempla, quod aliquando imperantes factiones fouerint ad ſtabiliendam tyrannidem, de quibus vid. Forſtnerus ad *Tacitum p. I. p. 241.* verum hæc a iuſtis ratione aliena ſunt, nec ſemper ſperatum effectum ſortiuntur, quod exemplo ſuo ſatis luctuoſo probatum dedit Carolus I. Rex Angliæ, Presbyterianis favens contra Epiſcopales. Huiusmodi imperans infinitis ipſe eſt obnoxius periculis, adeo ut recte Cicero *Philipp. II.* dicat, *millies perire eſſe melius, quam in ſua ciuitate ſine armatorum præſidio non poſſe viuere.* Exemplum optimum ipſe præbet Otho imperator, poſtquam cæde ſeſe maculauerat, *cum timeret, ut euenit inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, timebatur.* ſed imperium eius minus diuturnum erat, Tacitus *lib. I. hiſtor.*

(y) Apud pleroſque populos durisſimæ pœnæ in *rebelles* ſunt conſtitutæ. Veſtigium adhuc aliquod ſupereſt in *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* de cuius æquitate circumferuntur judicia, de qua infra *c. VIII. §. 20.* Intereſt ſane omnium imperantium, tale ſcelus puniri multo magis, ſi ad effectum perductum, & cæde imperantis infauſta auctum ſit. Cum ex rebellione Othonis Galba eſſet occiſus, *plures quam CXX. libellos præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius poſtea inuenit, omnesque conquiri & interfici iusſit, non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum vltionem* Tacitus, *lib. I. Hiſtor.* Hoc interim conſtat, ſæpe populum adeo ad motus ciuiles eſſe pronum, vt non aliter quam grauisſimis

gis Reipublicæ & ſtatus publici interna quies turbatur.

§. XIX. Imo cum etiam inter ipſos ſubditos *peculiare aliquod vinculū ad mutuam* pacem reperiatur, oritur inde ingens crimen, ſi coadunatis hominibus ſeipſos hoſtiliter inuadant, (z) quo ipſo pax publica reipublicæ frangitur.

§. XX. Hinc recte imperantes diiudicationem horum criminum ſibi ſoli vindicant, & pœnæ

uisſimis ſuppliciis coerceri & a ſeditionibus auocari queat, quo ipſo imperans non transgreditur limites iuſtitiæ, qui alia ratione tranquillitatem internam conſeruare nequit. Nonnunquam medios inter motus ſtatim quidam ad ſupplicium rapiuntur, ceſſante omni proceſſu, quem alias *regulæ iuſtitiæ* poſtulant, id quod fit *non pœnæ feſtinatione, ſed periculi præueniendi cauſa* vt dicitur in *l. 6. §. 9. de iniuſto, rupt. & irrit. fact. teſtam.* Et hinc non iniquum judicatum fuit, ſingulis committere vindictam in eum, qui ad patriam delendam venit, adeo vt liberi etiam ſine ſcelere parentes interficere potuerint, præmiis adhuc afficiendi *l. 35. de relig.*

(z) Crimen hoc in imperio noſtro ſatis notum eſt, & non inepte *fractæ pacis publicæ* vocatur. Turbata erat per licentiam diffidationum quies publica, ad quam reducendam tot ſemper fuere curæ imperatorum, quia non poteſt non ipſa ſalus reipublicæ periclitari, ſi impune tales diffidationes permittuntur, & diſcordiæ ciuiles haud ſupprimuntur, quæ ad bellum & interitum viam aperiunt. Tempore belli Cæſar. Rex Pharnaces magis diſcordiæ Romanorum fiducia quam virtutis ſuæ infeſto in Cappadociam agmine ruebat *Flor. lib. IV. c. 2. n. 62.*

 (a) Inter

pœnæ determinationem ſibi reſeruant, (a) licet inferiori magiſtratui in omnibus reliquis delictis cognitionem reliquerint.

§. XXI. Dum itaque rebelles ſub obſequium reducere imperans intendit, non vtitur aduerſus eos *iure belli* (b) proprie loquendo,

(a) Inter ICtos adhuc hodie diſputari videmus, annon etiam iudex inferior, qui merum imperium habet, poſſit cognoſcere de crimine læſæ maieſtatis ſeu perduellionis, cum de omni alio crimine cognoſcere poſſit? quod non dixerim, α) quia hoc crimen immediate concernit imperantem & ſtatum publicum, nec β) huic negotio ſemper ſufficere poteſt magiſtratus inferior, quia rebelles vt plurimum ſocios eiusdem criminis ſibi adſciſcunt, & propterea magis metuendi ſunt. Accedit γ) quod hoc delictum *vniuerſam* rempublicam concernat, cuius defenſio ſoli imperanti data eſt, non inferiori magiſtratui, cui tantum in certo diſtrictu vindicatio criminum commiſſa eſt. Merito tamen præſides prouinciarum excipio, quos *Pro-Reges* vocant, & ſi præſentiſſimum periculum in mora ſit.

(b) Non poteſt bellum dari ſubditorum aduerſus imperantem, ſed vbi manu violenta eidem reſiſtunt, eundem vt hoſtem oppugnant, non tam *hoſtes* quam *rebelles* exiſtimandi. Equidem eadem vis illis quoque opponenda, quæ alias opponi ſolet hoſti in bello, ſed longe diuerſo effectu, ſi *iura belli* intuemur, & a pœnis ciuilibus diſtinguimus. Hoſtes ante captiuitatem fuere liberi, poſt captiuitatem reſeruantur non ſupplicio, ſed ſubiectioni: hi rediumuntur, vel dimittuntur, ſed rebelles deprehenſi propter delictum commiſſum ſuppliciis acrioribus ſubiiciuntur, nec iura hoſtium iisdem applicantur, quamuis potentia rebellium ſæpe

do, ſed potius *iure imperii*, quod in eos habet, & ſic iuſtum ſuum in eos exercet iudicium.

§. XXII. Interim ſi imperans boni publici & quietis internæ reducendæ gratia in certa pacta & placita conſenſerit, ita vt hac ratione pax interna reſtituta fuerit, puto obligari imperantem (c) ad ſemel promiſſa ſeruanda.

§. XXIII.

ſæpe differre pœnam ſuadeat, ne iure retorſionis vtantur. Deinde pax pangitur inter liberas gentes; aliquando rebellibus ſubditis itidem per generalem amneſtiam gratiam imperans facit, aliquando etiam quædam cum iis paciſcitur, vt eo citius ad obſequium ſuum redeant, ſed hæc pacta non tam pacis proprie dictæ, quam legum fundamentalium rationem præ ſe ferunt, quia nihilominus ſubditi ad priorem ſtatum redire, & ſe imperantis imperio rurſus ſubmittere debent. Interim talia pacta, ſi auerti poſſunt, non facile ineunda, ne rebelles videantur *iure* egiſſe, vti optime monet Barclai. *in Argen. lib. III. c. 4.*, vbi Cleobolum ita loquentem ad Regem Siciliæ inducit: *Fœdera, leges, pacta cum armato rebelli nec audi! Vnum ſit pœnitentiæ remedium, ſi ſupplicet, ſi ſupercilium ponat, ſi ſe & cauſam damnet. Lenitatis tuæ erit, ſic compoſito indulgere, niſi pernicioſe errauerit, aut in neceſſitatem diſtulerit pœnitentiæ laruam. Sed ignoſce ea lege, vt aliquid ipſi in mulctam decedat* &c.

(c) Non leues rationes dubitandi hic exſurgere poſſunt. Rebelles enim talia pacta & conditiones a principe extorſerunt *per vim illicitam & iniuſtam*, quales promiſſiones de iure naturæ nullius momenti eſſe videntur. Neque enim a parte promittentis vltroneus adeſt conſenſus, neque, ſi adeſſet, a parte ſubditorum *acceptatio* promiſſionis *legitima* oſtendi poteſt. Eo ipſo enim, quo inique extorquent promiſſionem, a ſuo

 principe

§. XXIII. Sed etiam poteſt contingere, vt vna vel altera prouincia imperanti reſiſtat, nolitque plane ad officium ſuum redire, quo caſu, ne pars ſincera trahatur, dimittenda erit

principe nullum habuere *ius accipiendi* promiſſionem. Aſt enim vero rariſſime in huiusmodi caſibus abſoluta & talis neceſſitas in imperante ſupponitur, ob quam neceſſario debuerit in tales conſentire conditiones, ſed integrum imperanti fuit non conſentire, & vi oppoſita rebelles coercere, & ad officium reducere. Quamdiu itaque imperans ſat virium habet quas rebellibus opponere poteſt, tamdiu pacta talia metu extorta dici nequeunt, cum omnino liberum eidem fuerit, pacta non inire, quæ tamen pacis cauſa inire, & aliquid de ſuo iure remittere maluit, quam tot ciuium ſanguine tranquillitatem redimere publicam. Cum poſt ſeceſſionem ſeditioſam plebis ſenatus coactus eſſet conſentire in creationem tribunorum, ab his vero poſtea multum detrimenti ſtatus publicus perciperet, non deerant, qui pacem cum plebe initam reſcindendam iudicarent. Appius Claudius tamen contra ſenſit, aiens: *Autor ſum vobis, vt quæcunque pacis cauſa gratificati eſtis, & conceſſiſtis plebi, ea quomodocunque rata ſeruetis, & nihil, quod fuerit conceſſum, irritum faciatis, non quaſi illa ſint honeſta, & ex reipubl. dignitate, ſed vt neceſſaria, & quæ corrigi amplius nequeunt.* Dion. Halicarn. *lib. VII.* Quod ſi tamen imperans a rebellibus ad tantas eſſet incitas redactus, ut ulterius nec reſiſtere, nec e manibus rebellium ſe liberare potuerit, non magis hoc in caſu ad placita & pacta obligatus erit, quam ſi quis latroni aliquid ob metum mortis præſentem promiſit. Conf. Dn. Thomaſ. *iurispr. div. lib. II. c. 7. n. 73. ſeqq.*

(d) Hæc

rit potius prouincia [d] quæ iugum excuſſit; quam vt tota reſpublica in periculum interitus totalis coniiciatur.

§. XXIV. Dimiſſo ſemel populo & libertati ſuæ reſtituto, iura gentium ſe in poſterum in talem populum exſerunt, ceſſante *imperio*, ad quod reuocandum nullum ius (e) amplius imperanti priſtino competit.

CAP.

(d) Hæc res nullam difficultatem habet, ſi prouinciæ *patrimoniales* fuerint, quia ſic alienatio imperanti aliaque diſpoſitio denegari nequit. Interim ſi vel maxime omnis alienatio *lege fundamentali* imperanti ademta ſit, idem tamen dicendum arbitror, cum hæc alienatio *neceſſaria*, non *voluntaria* fuerit, ſuppoſito caſu quod totius reipublicæ tranquillitas alia ratione reduci haud potuerit, quemadmodum hac ratione Hiſpani coacti fuerunt, Belgium dimittere. Conſeruatur hoc modo reliqua reipublicæ pars, & ita quod in conſeruationem totius reipublicæ factum, legitime factum videri debet. Eleganter Nabarzanes apud Curtium *lib. V. c. 9. Gubernator ubi naufragium timet, iactura quicquid ſeruari poteſt, redimit.*

(e) Obſtat, quod prouincia inique & iniuſte ſe in libertatem vindicauerit, atque ita hoc pactum non videatur eſſe obligatorium. Sed iam antea reſponſum eſt, poſſe in principio adeſſe vitium ante pacta mutua, quod purgatur ex ſubſequente pacto & dimiſſione, neque violentia tanta inter gentes poteſt occurrere, quæ *abſolute* imperantem cogeret ad conſentiendum in dimiſſionem, atque adeo regulæ de promiſſionibus metu extortis hic applicari nequeunt, quamdiu adhuc belli fortuna dubia, & facile in alteram quoque partem ſe inclinare poteſt.

[f] Si

§. IX. Certe qui dominatum defendunt aut illimitatam populi licentiam, non poſſunt non hunc modum defendere: (l) interim tamen

nomen eius, qui eiiciendus erat, inſcribebant, apud Athenienſes in vſu fuit, ad inſtar medicinæ adhibitus, *cuius ope ad expurgandam ciuitatem conſtituto tempore populus vti ſolebat; nam ei exilium indicebatur, qui ceteros gloria, diuitiis, exiſtimatione ſuperaret*, vt ait Plutarch. *in Nic. vita.* Cum vero talis non ob delictum, ſed magis ob virtutem ſuam eiiceretur, bona non publicabantur, quo exilii genere præſtantisſimi viri afflicti ſunt contra meritum, vt Themiſtocles, Cimon, Thucidides, Alcibiades, Ariſtides, & alii, vtpote quos plebs ab autoritatem & virtutem nimis reipubl. ſuæ ſuſpectos habebat. De origine eius vid. *tom. 9. obſ. Hall. 3. §. 8.*

(l) Obiiciunt, rationes *vtilitatis publicæ* ita poſtulaſſe, vt reipubl. ſuſpecti eiicerentur, trahere omne magnum exemplum aliquid ex iniquitate, quod contra ſingulos vtilitate publica compenſetur. Aſt hoc modo quæcunque facta iniqua ſub prætextu *vtilitatis publicæ* abſcondi & excuſari poſſent. Nam alia mitiora media excogitari potuiſſent, infringendi horum autoritatem & potentiam, quam vt ita indignisſime habiti fuerint. & iniquum eſt malo afficere ciues, qui præmiis decorandi ſunt, & denique qui indignisſime patria pelluntur, ſæpe plus poſſunt eandem affligere, vbi abſunt, quam vbi præſentes remanſiſſent. Plus nocuit quam profuit eiectio Cariolani Romanis, qui Volſcos contra Romanos excitauit, iisque inſignem cladem attulit, teſte Dion. Halicarnaſſeo *lib. VIII.* Neque obſtat, qnod Oſtraciſmus pœna non fuerit; vt diſerte fatetur Diodorus Siculus *XI. 55.* vel vt Plutarchus loquitur *in vita Ariſtid. non improbitatis*

men conſtat, quod ita optime meriti de republica, publicis decorandi præmiis, ob metum incertum indignisſime habeantur, & inſontes puniantur, quin quod in horum eiectione ſæpe plus damni capere posſit respubl., quam ſi eosdem ex merito fouerit.

§. X. Nec iniquitas remouetur hac ratione, quod æqualitatem inter ciues conſeruauerit. (m) quæ & aliis legitimis modis conſeruari poteſt. Multo minus admittendum, quod oſtraciſmus fuerit *malum* (n) *neceſſarium*, nam talis necesſitas fingitur, non probatur.

§. XI.

tis pœna erat Oſtraciſmus ſed honeſtum nomen impoſitum rei erat, nimiæ potentiæ imminutio, eratque inuidiæ lenimen tolerabile. Sufficit enim, quod fuerit inſignis afflictio, quam ille a republica ſuſtinebat, qui inſignia merita in eandem contulerat.

(m) Nulla poteſt popularis dari ciuitas, in qua omnimoda adſit æqualitas inter ciues, neque vnius vel alterius inæqualitas ſtatim noxia dici poteſt reipublicæ, modo caueatur, ne adminiſtratio reipublicæ tali committatur, quo caſu nihil adeo metuendum eſt. Deinde addunt, experientiam teſtari, ex vnius potentia ſeditiones ortas fuiſſe, adeoque mature eam infringendam eſſe, vt ſecuritas publica conſeruetur. Verum & tales ſeditiones aliis præcaueri potuere mediis, & oſtendunt talia exempla illud tantum, caute in republica potentiam vnius eſſe infringendam.

(n) Imo quidam ne quidem *malum* hic admittunt, quod haud dici posſit *malum*, extra patriam viuere. Quod ſi ita eſt, cur exilia & relegationes ad pœnas referimus? Hoc largior, eum nullum ſentire malum, qui *ſponte* extra patriam viuit, ſed qui viuere extra illam

 cogitur

§. XI. Sunt autem alia media iuſta & æquisſima, & magis tuta, (o) quibus huiusmodi potentiorum ſubditorum autoritas infringi poteſt, quæ inprimis ad ſcholas politicorum ſpectant.

§. XII. Præterea quoque (III.) in exercitio *iuris reformandi* cauſæ morborum (p) ſpectandæ ſunt. Cauſa morbi interni potisſimum eſt ex vitio ſtatus, per leges publicas male adornati. (q) Neutiquam vero imperanti ius concedi-

cogitur, qui e patria eiicitur, non poteſt non affligi. Neque obſtat, quod hæc eiectio non infamauerit; nam etiam, qui a latronibus multis afficitur vulneribus, non notatur infamia, & tamen indignisſimo affectus malo dici recte poteſt.

(o) Plura excogitata ſunt conſilia a politicis, quæ referuntur a Forſtnero *in not. ad Tacit. p. 153. ſeqq.* & in *tom. 9. obſ. Hall. 3. §. 19. ſeqq.*

(p) Optime Cicero *lib. III. Tuſcul. quæſt. Vt medici cauſa morbi inuenta curationem eſſe inuentam putant: Sic cauſa ægritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.*

(q) Vitia ſtatus potisſimum ex ipſis inſtitutis publicis deſumuntur, quando leges fundamentales reipubl. ita ſunt comparatæ, vt non posſint non ſubditos diſponere ad turbas, renitentiam inter eos, qui regimini præſunt, producere, & præterea id operari, vt negotia publica, maxime, quæ ſecuritatem internam reſpiciunt, ſegniter & difficulter expediri queant. Nihilominus tamen obligatur illis, quibus cum pactus eſt, veluti ſtatibus prouincialibus, & his inuitis nihil contra pacta hæc audere poteſt. Sunt qui inſtant, imperantem eiusmodi legibus fundamentalibus, reipubl. aduerſis, ſtringi non poſſe, quippe cui antiquior eſſe debeat

cedimus, ſub prætextu melioris ſtatus introducendi, leges fundamentales, quibus ipſe ligatur, diſſoluendi & annullandi, atque alium ſtatum adornandi, niſi fiat conſenſu eorum, quorum intereſt.

§. XIII. Aliud dicendum arbitror de illis promisſionibus, quæ euidenter iuri naturæ repugnant, & ſic nullam producere poſſunt obligationem. (r)

§. XIV.

debeat ſalus totius corporis, quæ in facili expeditione negotiorum publicorum & tranquillitate interna, mutuaque harmonia conſiſtit. Aſt regero α) pacta huiusmodi non eſſe abſolute iniqua; ſed aliquatenus reipublicæ incommoda, interim nihilominus obligatoria. β) antequam imperium acciperetur, cogitandum fuerat, vtrum eiusmodi conditionibus eſſet accipiendum; aſt vbi ſemel conditiones & pacta placuerunt, poſtea diſplicere nequeunt. γ] Vtilius eſt præſenti ſtatui reipublicæ, pacta talia ſeruare, quam, reſcisſis pactis, nouum velle introducere ſtatum, quod certe non in publicam vtilitatem, ſed contra eam vergeret, cum inde prima occaſio ad bella ciuilia, renitentiam, ſeditionem & tandem *ἀναρχίαν* naſci ſoleat.

(r) Refero huc licentiam duellorum, quæ olim in Germania in ius abierat, adeo vt certis legibus publicis circumſcriberentur, & ad cauſarum deciſiones adhiberentur, indeque olim nota fuere die Kampffrechte und Kampffgerichte vid. Maurit. *de Duell.* §. 29. Rachel. *de duell.* De horum iniquitate plenius agitur *tom. 9. obſerv. Hall.* 5. §. 11. *ſeqq.* Quis vero aſſereret, principem conſtringi ſua promisſione, ne hunc morem impium tolleret? Interim hoc non nego; ſumma prouidentia opus eſſe in tollendis abuſibus, vti ad §. *V.* iam moni-

§. XIV. Deinde morbi interni ciuitatum etiam oriuntur ex ſubditorum moribus deprauatis. Ad hos itaque, quantum fieri poteſt, emendandos ſummam imperans adhibere debet curam, (s) & hunc in finem iura varia, ipſi competunt infra diſcutienda.

§. XV. Hoc ipſo tamen imperanti haud competit ius extirpandi funditus hanc vel illam ſectam, (t) quæ in conceptibus intellectualibus

monitum eſt, cum mala inueterata difficulter eradicari ſoleant, quod hiſtoria de exſtirpanda licentia duellorum oſtendit.

(s) Hoc impetrabit imperans, (α) *ſi paci ſtudeat*, cum tempore belli ſubditorum mores magis deprauentur. Ita Auguſtus deuictis omnibus & pacatis gentibus *conuerſus ad pacem pronum in omnia mala & in luxuriam fluens ſeculum grauibus ſeuerisque legibus multis coercuit* Florus *lib. IV. c. 12.* (β) *ſi a ſummis in republica viris incipiat*, quippe a quibus luxus, magnificentia aliaque vitia in rempubl. redundant, quosque alii gregatim ſequi ſolent. *Quæcunque autem mutatio morum in his extiterit, eadem quoque in populo ſequetur.* Hoc ſuppoſito Cicero *lib. III. d. LL.* ſatis recte iudicat, inquiens: *Ego nobilium vita victuque mutato mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de republica merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiant ipſi, ſed ea infundant in ciuitatem: neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur ſed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent.* (γ) Si *ipſe imperans optimo exemplo ſubditis praeat*, quod *cap. ſeq. §. III.* plenius illuſtrabitur.

(t) Romanæ eccleſiæ ſectatores non tantum ius concedunt imperanti, ſed eum quoque obligatum eſſe volunt

alibus ab aliis differt, ceteroquin mores ſatis probos præ ſe fert; talis enim extirpatio ad pacem internam conſeruandam nihil facit.

§. XVI. Et cum doctrina & ſcriptis nefariis animi ſubditorum ad peſſima quæque contra rempublicam molienda poſſint præparari, (u) ius

lunt ad exſtirpandos hæreticos, quaſi absque horum exſtirpatione quies interna non poſſit haberi: quod exemplo lanienæ Pariſienſis probant. Non nego, propter diuerſitatem religionum interna odia & diſſidia in republica eſſe orta, ſed autores harum turbarum plerumque fuere Clerici *dominantes*, e quorum re fuit, diſſentientes ſuſpectos facere, & omnium odium in eos excitare, quo ſemel excitato, plebs incauta ſub *ſpecie pietatis* turbas mouere poteſt. Verum in eiusmodi caſibus interna inquies ex diuerſitate religionis non oritur, ſed potius a clero dominante, atque adeo hic conſtringendus, & ciues ad mutuam tolerantiam aſſuefaciendi, quod facile fieri poteſt, vbi autores turbarum ſatis domiti fuere. conſ. *infr. c. X.* §. 5.

(u) Inepta plebs deſtituitur iudicio diſcretiuo, & falſa doctrina facile decipi poteſt, qua ſi ſemel mens imbuta fuerit, non iniuſte ſe tumultuari credit. Aſt in *hypotheſi*, quænam tales *ſeditioſæ ſententiæ* ſint, non ſemper ſatis determinari poteſt. Quo magis imperans ad dominatum inclinat, eo minor plerumque dicendi licentia, cum verba quæcunque captentur, & in interitum loquentis explicentur: aſt benignitas imperantium raram illam felicitatem operatur, *vt ſentire quæ velis, & quæ ſentias, dicere liceat*, vt ait Tacitus *lib. I. Hiſtor. c. 1.* Similiter qui diſſentientium opiniones impugnant, non raro dilabuntur ad hanc rationem, clamantes, doctrinam hanc eſſe *ineptam*, *ſeditioſam*, *& rei-*

ius competit imperanti, libertatem talem reſtringendi & prohibendi, ne ſeditioſæ ſpargantur doctrinæ.

§. XVII.

& *reipublicæ maxime contrarium*, vti ſupra exemplum vidimus de hypotheſi, *quod Maieſtas non ſit immediate a Deo.* Catalogum ſeditioſarum opinionum collegit Hobbes *de Ciue c. XII.* ſed ſæpe fallitur. Sic in §. 1. c. 12. ad ſeditioſam ſententiam refert, *indicationem boni & mali ad ſingulos pertinere.* Aſt confundit varios & diuerſos reſpectus, *iuſti* & *honeſti* & *licentiæ externæ*, id quod ab aliis iam notatum eſt. Poteſt imperans in republ. ſua determinare, quid effectum externum iuris habere debeat nec ne, ſed *naturam rei moralem*, quam ex norma diuina habet, mutare nequit, atque de hac etiam licite iudicant ſinguli, & nos iudicamus in Academiis. Porro ad ſeditioſas opiniones in §. 2. refert, *non eſſe obediendum imperanti iniqua imperanti*, quia ſcilicet credit, omnem actum a principe eſſe iuſtum, quatenus iuſſus eſt. Hoc concedi poteſt quoad forum externum & effectus iuris. Quid itaque, ſi quis iubeatur ab imperante, inceſtum cum matre committere? Deum aut Chriſtum abnegare? Ergo Apoſtoli ſeditioſam opinionem fouerunt, docentes, Deo eſſe magis obediendum quam hominibus? Magis ſobrie philoſophabatur Lycortas prætor apud Liuium *lib. 39. c. 38.* aiens: *Veremur vos Romani, & , ſi ita vultis, etiam timemus, ſed plus veremur & timemus Deos immortales.* In §. 6. impie ad ſeditioſas opiniones refert, *fidem & ſanctitatem non ſtudio & ratione naturali acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter hominibus infundi & inſpirari.* Agnouit hic quosdam abuſus committi, ſed eo ipſo non debebat alterum eligere extremum. S. Scriptura infinitis locis ſatis docet: *fidem eſſe opus Dei*, adeoque *viribus naturalibus acquiri non poſſe.* Similes ſententiæ ſeditioſæ & reipublicæ aduerſæ pasſim a genti-

§. XVII. Inprimis nullæ ſunt tolerandæ factiones (x) in ciuitate, ſed maturis conſiliis mox illis occurrendum.

§. XVIII.

gentilibus Chriſtianis obiectæ ſunt, de quibus videatur Dn. Buddeus *diſſ. de Concord. relig. Chriſt. ſtat. cit. c. 2.* Poſtquam vero hodie religio Chriſtiana in varias ſciſſa eſt ſectas, & ita a vera doctrina Saluatoris noſtri receſſit, negari vtique nequit, in his vel illis ſectis talia dogmata, ſaluti reipublicæ aduerſantia, deprehendi. Præſertim Romanenſium doctrina tales hypotheſes fouet, veluti, quod fas ſit principem, quem erudiri pro tyranno habent, interficiendi, quod imperantes ſubſint poteſtati pontificis, quod clerici a poteſtate ſeculari exemti ſint, quod pontifex poſſit ſubditos abſoluere a vinculo ſubiectionis &c. Docent omnium ſeculorum hiſtoriæ, quantas turbas hæ ſeditioſæ doctrinæ in rebuspublicis dederint, poſtquam in praxin deductæ ſunt. Anabaptiſtarum & Quackerorum opiniones, an & quatenus ſeditioſæ dici mereantur, ex profeſſo excuſſit Dn. Budd. *cit. l. cap. VI.* Propius ad ſeditioſas opiniones referri debet VVilhelmi Roſſæi impius liber *de autoritate reip. chriſtianæ in reges impios & hæreticos*, qui proinde anno 1594. Pariſiis recte combuſtus eſt.

x) Apprime ad rem Liuius *IV. Hiſt. 9.* ait: *Factiones fuere, eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbiue, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt.* Principes Etruriæ de Romano populo non inepte iudicarunt, *æternas eſſe opes Romanas, niſi inter ſemetipſas ſeditionibus ſæuiant, id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia eſſent.* Liuius *lib. II. c. 44.* & in genere de vulgi indole ex rei veritate ait Tacitus *lib. I. Hiſt. Vulgus ſeditionibus & ambitioſo imperio lætum, per turbas & raptus facilius ad bellum*

§. XVIII. Quodſi tandem mala hæc publice erumpunt, & ſubditi turbas mouent contra rempublicam, oritur inde *crimen perduellionis*, eo grauius & ſeuerius puniendum, (y) quo magis

bellum ciuile impellitur, uti poſt Galbæ mortem apparuit. Adſunt quidem exempla, quod aliquando imperantes factiones fouerint ad ſtabiliendam tyrannidem, de quibus vid. Forſtnerus ad *Tacitum p. I. p. 241.* verum hæc a iuris ratione aliena ſunt, nec ſemper ſperatum effectum ſortiuntur, quod exemplo ſuo ſatis luctuoſo probatum dedit Carolus I. Rex Angliæ, Presbyterianis favens contra Epiſcopales. Huiusmodi imperans infinitis ipſe eſt obnoxius periculis, adeo ut recte Cicero *Philipp. II.* dicat, *millies perire eſſe melius, quam in ſua ciuitate ſine armatorum præſidio non poſſe viuere.* Exemplum optimum ipſe præbet Otho imperator, poſtquam cæde ſeſe maculauerat, *cum timeret, ut euenit inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, timebatur.* ſed imperium eius minus diuturnum erat, Tacitus *lib. I. hiſtor.*

(y) Apud pleroſque populos durisſimæ pœnæ in *rebelles* ſunt conſtitutæ. Veſtigium adhuc aliquod ſupereſt in *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* de cuius æquitate circumferuntur judicia, de qua infra *c. VIII. §. 20.* Intereſt ſane omnium imperantium, tale ſcelus puniri multo magis, ſi ad effectum perductum, & cæde imperantis infauſta auctum ſit. Cum ex rebellione Othonis Galba eſſet occiſus, *plures quam CXX. libellos præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius poſtea inuenit, omnesque conquiri & interfici iusſit, non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum vltionem* Tacitus, *lib. I. Hiſtor.* Hoc interim conſtat, ſæpe populum adeo ad motus ciuiles eſſe pronum, vt non aliter quam grauisſimis

gis Reipublicæ & ſtatus publici interna quies turbatur.

§. XIX. Imo cum etiam inter ipſos ſubditos *peculiare aliquod vinculū ad mutuam* pacem reperiatur, oritur inde ingens crimen, ſi coadunatis hominibus ſeipſos hoſtiliter inuadant, (z) quo ipſo pax publica reipublicæ frangitur.

§. XX. Hinc recte imperantes diiudicationem horum criminum ſibi ſoli vindicant, & pœnæ

uisſimis ſuppliciis coerceri & a ſeditionibus auocari queat, quo ipſo imperans non transgreditur limites iuſtitiæ, qui alia ratione tranquillitatem internam conſeruare nequit. Nonnunquam medios inter motus ſtatim quidam ad ſupplicium rapiuntur, ceſſante omni proceſſu, quem alias *regulæ iuſtitiæ* poſtulant, id quod fit *non pœnæ feſtinatione, ſed periculi praueniendi cauſa* vt dicitur in *l. 6. §. 9. de iniuſto, rupt. & irrit. fact. teſtam.* Et hinc non iniquum judicatum fuit, ſingulis committere vindictam in eum, qui ad patriam delendam venit, adeo vt liberi etiam ſine ſcelere parentes interficere potuerint, præmiis adhuc afficiendi *l. 35. de relig.*

(z) Crimen hoc in imperio noſtro ſatis notum eſt, & non inepte *fractæ pacis publicæ* vocatur. Turbata erat per licentiam diffidationum quies publica, ad quam reducendam tot ſemper fuere curæ imperatorum, quia non poteſt non ipſa ſalus reipublicæ periclitari, ſi impune tales diffidationes permittuntur, & diſcordiæ ciuiles haud ſupprimuntur, quæ ad bellum & interitum viam aperiunt. Tempore belli Cæſar. Rex Pharnaces magis diſcordiæ Romanorum fiducia quam virtutis ſuæ infeſto in Cappadociam agmine ruebat *Flor. lib. IV. c. 2. n. 62.*

pœnæ determinationem ſibi reſeruant, (a) licet inferiori magiſtratui in omnibus reliquis delictis cognitionem reliquerint.

§. XXI. Dum itaque rebelles ſub obſequium reducere imperans intendit, non vtitur aduerſus eos *iure belli* (b) proprie loquendo,

(a) Inter ICtos adhuc hodie diſputari videmus, annon etiam iudex inferior, qui merum imperium habet, poſſit cognoſcere de crimine læſæ maieſtatis ſeu perduellionis, cum de omni alio crimine cognoſcere poſſit? quod non dixerim, α) quia hoc crimen immediate concernit imperantem & ſtatum publicum, nec β) huic negotio ſemper ſufficere poteſt magiſtratus inferior, quia rebelles vt plurimum ſocios eiusdem criminis ſibi adſciſcunt, & propterea magis metuendi ſunt. Accedit γ) quod hoc delictum *vniuerſam* rempublicam concernat, cuius defenſio ſoli imperanti data eſt, non inferiori magiſtratui, cui tantum in certo diſtrictu vindicatio criminum commiſſa eſt. Merito tamen præſides prouinciarum excipio, quos *Pro-Reges* vocant, & ſi præſentisſimum periculum in mora ſit.

(b) Non poteſt bellum dari ſubditorum aduerſus imperantem, ſed vbi manu violenta eidem reſiſtunt, eundem vt hoſtem oppugnant, non tam *hoſtes* quam *rebelles* exiſtimandi. Equidem eadem vis illis quoque opponenda, quæ alias opponi ſolet hoſti in bello, ſed longe diuerſo effectu, ſi *iura belli* intuemur, & a pœnis ciuilibus diſtinguimus. Hoſtes ante captiuitatem fuere liberi, poſt captiuitatem reſeruantur non ſupplicio, ſed ſubiectioni: hi redimuntur, vel dimittuntur, ſed rebelles deprehenſi propter delictum commiſſum ſuppliciis acrioribus ſubiiciuntur, nec iura hoſtium iisdem applicantur, quamuis potentia rebellium ſæpe

do, ſed potius *iure imperii*, quod in eos habet, & ſic iuſtum ſuum in eos exercet iudicium.

§. XXII. Interim ſi imperans boni publici & quietis internæ reducendæ gratia in certa pacta & placita conſenſerit, ita vt hac ratione pax interna reſtituta fuerit, puto obligari imperantem (c) ad ſemel promiſſa ſeruanda.

§. XXIII.

ſæpe differre pœnam ſuadeat, ne iure retorſionis vtantur. Deinde pax pangitur inter liberas gentes; aliquando rebellibus ſubditis itidem per generalem amneſtiam gratiam imperans facit, aliquando etiam quædam cum iis paciſcitur, vt eo citius ad obſequium ſuum redeant, ſed hæc pacta non tam pacis proprie dictæ, quam legum fundamentalium rationem præ ſe ferunt, quia nihilominus ſubditi ad priorem ſtatum redire, & ſe imperantis imperio rurſus ſubmittere debent. Interim talia pacta, ſi auerti poſſunt, non facile ineunda, ne rebelles videantur *iure* egiſſe, vti optime monet Barclai. *in Argen. lib. III. c. 4.*, vbi Cleobolum ita loquentem ad Regem Siciliæ inducit: *Fœdera, leges, pacta cum armato rebelli nec audi! Vnum ſit pœnitentiæ remedium, ſi ſupplicet, ſi ſupercilium ponat, ſi ſe & cauſam damnet. Lenitatis tuæ erit, ſic compoſito indulgere, niſi pernicioſe errauerit, aut in neceſſitatem diſtulerit pœnitentiæ laruam. Sed ignoſce ea lege, vt aliquid ipſi in mulctam decedat* &c.

(c) Non leues rationes dubitandi hic exſurgere poſſunt. Rebelles enim talia pacta & conditiones a principe extorſerunt *per vim illicitam & iniuſtam*, quales promiſſiones de iure naturæ nullius momenti eſſe videntur. Neque enim a parte promittentis ultroneus adeſt conſenſus, neque, ſi adeſſet, a parte ſubditorum *acceptatio* promiſſionis *legitima* oſtendi poteſt. Eo ipſo enim, quo inique extorquent promiſſionem, a ſuo

 principe

§. XXIII. Sed etiam poteſt contingere, vt vna vel altera prouincia imperanti reſiſtat, nolitque plane ad officium ſuum redire, quo caſu, ne pars ſincera trahatur, dimittenda erit

principe nullum habuere *ius accipiendi* promisſionem. Aſt enim vero rariſſime in huiusmodi caſibus abſoluta & talis necesſitas in imperante ſupponitur, ob quam neceſſario debuerit in tales conſentire conditiones, ſed integrum imperanti fuit non conſentire, & vi oppoſita rebelles coercere, & ad officium reducere. Quamdiu itaque imperans ſat virium habet quas rebellibus opponere poteſt, tamdiu pacta talia metu extorta dici nequeunt, cum omnino liberum eidem fuerit, pacta non inire, quæ tamen pacis cauſa inire, & aliquid de ſuo iure remittere maluit, quam tot ciuium ſanguine tranquillitatem redimere publicam. Cum poſt ſeceſſionem ſeditioſam plebis ſenatus coactus eſſet conſentire in creationem tribunorum, ab his vero poſtea multum detrimenti ſtatus publicus perciperet, non deerant, qui pacem cum plebe initam reſcindendam iudicarent. Appius Claudius tamen contra ſenſit, aiens: *Autor ſum vobis, vt quæcunque pacis cauſa gratificati eſtis, & conceſſiſtis plebi, ea quomodocunque rata ſeruetis, & nihil, quod fuerit conceſſum, irritum faciatis, non quaſi illa ſint honeſta, & ex reipubl. dignitate, ſed vt neceſſaria, & quæ corrigi amplius nequeunt.* Dion. Halicarn. *lib. VII.* Quod ſi tamen imperans a rebellibus ad tantas eſſet incitas redactus, ut ulterius nec reſiſtere, nec e manibus rebellium ſe liberare potuerit, non magis hoc in caſu ad placita & pacta obligatus erit, quam ſi quis latroni aliquid ob metum mortis præſentem promiſit. Conf. Dn. Thomaſ. *iurispr. div. lib. II. c. 7. n. 73. ſeqq.*

(d) Hæc

rit potius prouincia [d] quæ iugum excuſſit; quam vt tota reſpublica in periculum interitus totalis coniiciatur.

§. XXIV. Dimiſſo ſemel populo & libertati ſuæ reſtituto, iura gentium ſe in poſterum in talem populum exſerunt, ceſſante *imperio*, ad quod reuocandum nullum ius (e) amplius imperanti priſtino competit.

CAP.

(d) Hæc res nullam difficultatem habet, ſi prouinciæ *patrimoniales* fuerint, quia ſic alienatio imperanti aliaque diſpoſitio denegari nequit. Interim ſi vel maxime omnis alienatio *lege fundamentali* imperanti ademta ſit, idem tamen dicendum arbitror, cum hæc alienatio *neceſſaria*, non *voluntaria* fuerit, ſuppoſito caſu quod totius reipublicæ tranquillitas alia ratione reduci haud potuerit, quemadmodum hac ratione Hiſpani coacti fuerunt, Belgium dimittere. Conſeruatur hoc modo reliqua reipublicæ pars, & ita quod in conſeruationem totius reipublicæ factum, legitime factum videri debet. Eleganter Nabarzanes apud Curtium *lib. V. c. 9. Gubernator ubi naufragium timet, iactura quicquid ſeruari poteſt, redimit.*

(e) Obſtat, quod prouincia inique & iniuſte ſe in libertatem vindicauerit, atque ita hoc pactum non videatur eſſe obligatorium. Sed iam antea reſponſum eſt, poſſe in principio adeſſe vitium ante pacta mutua, quod purgatur ex ſubſequente pacto & dimiſſione, neque violentia tanta inter gentes poteſt occurrere, quæ *abſolute* imperantem cogeret ad conſentiendum in dimiſſionem, atque adeo regulæ de promiſſionibus metu extortis hic applicari nequeunt, quamdiu adhuc belli fortuna dubia, & facile in alteram quoque partem ſe inclinare poteſt.

 [f] Si

CAP. III.

De Iure imperantium dirigendi actiones ſubditorum per leges.

§. I.

INterna reipublicæ quies inprimis promouetur per leges optimas & prudentiæ ciuili conformes, neque enim hoc magnum ex tot diuerſis ingeniis conflatum corpus abſque legibus diu ſubſiſtere poſſet. (f)

§. II.

(f) Si in genere genus humanum non poteſt abſque legibus ſubſiſtere, & vt Plato *lib. IX. de LL.* ait: *Si homines abſque legibus viuerent, nihil a feris atrociſſimis diſcreparent*, quod *P. gen. c. 1.* ſatis oſtenſum eſt; quomodo corpus hoc ciuile, quod adhuc firmiori nexu cohærere debet, contineri abſque legibus, poteſt? Sunt homines a natura inordinati, inter ſe diſcordantes, & ſic abſque certo ordine inter ſe vix conglutinari poſſunt, & niſi præterea huic ordini præſcripto frenum aliquod efficax adderetur, inefficax omnis ordo foret. *Mens & animus*, ait Cicero *pro Cluentio, & conſilium & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt.* Atque hinc Ageſilaus prudenter exiſtimauit, *tunc demum Rempublicam fore felicem, ſi ſubditi legibus ſeruandis incumbere non deſiſterent.* Xenoph. *in Orat. de Rege Ageſil. p. 668.* quia, vt ait Ariſtot. *lib. I. Rhetor. c. 4. in legibus conſiſtit ſalus ciuitatis.* Qui ſola libidine ducuntur, aliter iudicant, exemplo adoleſcentium nobilium coniuratorum poſt regifugium,

exiſti-

§. II. Interim exinde non concludendum, eo beatiorem eſſe rempublicam, quo pluribus abundat legibus poſitiuis; quin potius cum propter improbos condantur, multitudo legum certum eſt indicium *ſtatus corrupti*, (g) & ſæpe

exiſtimantium, *leges rem ſurdam & inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi quam potenti; nihil laxamenti vel veniæ habere, ſi modum exceſſeris; periculoſum eſſe in tot humanis erroribus ſola innocentia viuere.* Liuius *lib. II. c. 2.* Equidem Cicero *lib. II. de offic. p. m. 503. lit. g.* legum conſtituendarum eandem fuiſſe cauſam arbitratur, quæ regum, id quod ſi verum eſt, vitioſum habent initium, quia illorum quoque vitioſum initium eſſe ſupra demonſtratum eſt. Et quidem fateri neceſſum eſt, primos imperantes, qui ambitione ducti imperia in alios introduxere, leges magis ſuæ ambitioni conformes tuliſſe, quam vt reipublicæ ſuæ conſulerent, quamuis forſan paucisſimæ fuerint; interim licet in modo peccauerint, negari tamen nequit, leges eſſe *per ſe* optimum remedium reipublicæ. Audiamus Ciceronem *lib. I. de inuent. Rhetor. lib. I. cap. 38.* vbi ita: *Ea virtute & ſapientia maiores noſtri fuerunt, vt in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud niſi ſalutem atque vtilitatem reip. proponerent. Neque enim ipſi quod obeſſet, ſcribere volebant: & ſi ſcripſiſſent, cum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum cauſa ſaluas eſſe vult, ſed reipubl., quod ex legibus omnes rempublicam putant optime adminiſtrari.*

(g) Optime Plato: *Ubi plurimæ leges, ibi & lites & mores improbi*, quo cum etiam conſpirat vulgatum germanorum: *Viele Aertzte, viele Patienten, viele Geſetze, viele Gezäncke, viel recht, wenig gute VVercke.* Cum enim leges propter improbos feruntur, neceſ-

 ſarium

& ſæpe internam quietem & vnionem inter ſubditos magis deſtruit, quam promouet.

§. III.

ſarium conſequens eſt, rempublicam corruptisſimam eſſe, vbi leges multæ adſunt, ficuti medicorum abundantia ægrotorum præſupponit multitudinem. Inde Tacitus *lib. III. annal.* fatetur in *corruptisſima republica plurimas fuiſſe leges.* Oritur enim multitudo legum α) ex improborum calliditate, quæ plures leges ſæpe imperanti extorquet: β) ex imperantium prauitate, leges magis ad ſuum prauum affectum, quam ad ſalutem reipublicæ accommodantes. Sic in corrupto ſtatu reipublicæ plures huiusmodi leges latas fuiſſe fatetur Tacit. *cit. l.* aiens: *ſecutæ ſunt leges* (ſcil. poſt LL. XII. tabb.) *& ſi aliquando in maleficos ex delicto ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & adipiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob praua per vim latæ ſunt.* Auguſtus conuerſus ad pacem pronum in omnia mala & in luxuriem fluens ſeculum *grauibus ſeueriſque legibus multis coërcuit* Flor. *lib. IV. c. 12. n. 64.* Germania noſtra olim quidem non adeo multis abundabat legibus, ſed paucitate ſua iuſtitiam ſincerius obſeruabat, quam deinceps in multitudine legum neglexit, vid. Lehmann *in Chron. Spir. lib. II. c. 27.* Ubi enim iuris Romani immenſa copia in fora Germaniæ introduci cœpit, lites quoque & multiplicari & in infinitum extendi cœperunt, adeo vt neceſſum fuerit, nouum adhuc conſtituere judicium imperii, ceu eruditi obſeruant. Immerito itaque reprehendit iuſtum Lipſium, mecum ſentientem Forſtner. in *Tacit. p. 1. p. m. 296.*, aſſerens ex legum multitudine non venire tot cauillationes & litigia, ſed ex improbitate hominum; nam licet hanc non excludam, tamen multitudo litium malis hominibus anſam cauillandi ſuppeditat, quæ illis eſſet præſcindenda. Deinde ait, leges multas eſſe quidem argumentum

§. III. Deinde hoc quoque experientia docet, imperantem plus *bono exemplo* quam *infinitis legibus* reipublicæ prodeſſe, (h) quin bonum

tum ægræ ciuitatis, ſed ideo non eſſe eam corruptam aut ægram, quod multas leges habeat. Sed nec hoc abſolute admitti poteſt. Poteſt & plerumque ſolet multitudo legum enaſci ex ſtatu reipublicæ corrupto, ita vt non in ſalutem reipublicæ ſed in oppreſſionem populi aliorumque fiant, quales leges plures apud Romanos fuerunt, vbi patricii omnia eo referebant conſilia, vt plebem opprimerent, vt erudite oſtendit illuſtr. Thomaſ. *in tr. de nau. iurisprud.*

(h) Optime Cicero *lib. III. de leg.* *Vt cupiditate principum & vitiis infici ſolet tota ciuitas, ſic emendari & corrigi continentia.* Verba quodammodo mouent, ſed exemplum ejus, cuius autoritas apud omnes maxima eſt, fortius ad imitationem inclinat & trahit, ceu ſupra *P gener. c. 1. p. 12 ſeq.* iam oſtenſum. Non inepte iudicauit Cyrus apud Xenophont. Cyropæd. *lib. VIII. p. m. 204.* meliores quidem effici homines legibus ſcriptis, ſed *principem bonum eſſe νόμον βλέποντα* legem oculis præditam, vel vt Cicero *Lib. III. de LL.* ab init. loquitur: *eſſe legem loquentem, legem autem, mutum magiſtratum.* Laudat Liuius *lib. I. c. 21.* Numam Pompilium, quod ita ſe geſſerit, *vt ipſi ſe homines in Regis veluti vnici exempli mores formauerint.* De Ageſilao Xenophon *in orat. de Reg. Ageſil. p. 671.* prædicat, quod *non tam aduerſus hoſtes, quam ad omnem virtutem ciuibus ſuis dux fuerit. princeps enim optimus*, ait Vellej. *lib. II. c. 126. n. 5. recte facere ciues ſuos faciendo docet, cumque ſit imperio maximus, maior vult eſſe exemplo.* Grauiter admodum Plutarchus, *ad princ. inerud. p. 780. lit. D. ſicuti neceſſe eſt primo omnium ipſam regulam rectam & firmam eſſe, atque ita deinde quibus*

 appli-

num exemplum eſt *lex viua*, quod ſubditi penitius intuentur quam leges, quas imperantes contrario ſuo exemplo conculcant.

§. IV.

applicatur, ipſa quoque ſui ſimilia facere, atque ad rectitudinem perducere. Ita oportet principem prius in ſe ipſo imperium moresque conſtituere atque dirigere, poſtea ei ſubditos accommodare. Nam neque cadentis eſt, erigere, neque componere incompoſiti, neque ordinare inordinati, neque imperare nulli imperio ſubditi. Optimum exemplum rem hanc declarans occurrit apud Liuium *lib. XXVI. c. 35.* Cum enim conſules edixiſſent, vt priuati ad publicas neceſſitates aliquid conferrent, *tantus*, inquit, *fremitus hominum tantaque indignatio fuit, vt magis dux quam materia ſeditioni deeſſet.* Pergit *in c. 36.* hoc modo: „cum in hac difficultate rerum conſilium hæreret ac prope torpor „quidam occupaſſet hominum mentes, tum Leuinus „Conſul: Magiſtratus ſenatui, & ſenatus populo ſicut honore præſtet, ita ad omnia, quæ dura atque „aſpera eſſent ſubeunda, ducem debere eſſe. ſi quid „iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas, „nec impenſa grauis eſt, cum ex ea plus quam pro „uirili parte ſibi quemque capere principum vident. „Itaque vt claſſem habeat, quam ornare volumus, „populus Romanus, priuatos ſine recuſatione remiges dare nobismet ipſis primum imperemus, aurum „argentum, æs ſignatum omnes ſenatores craſtina „die in publicum conferamus: ita vt annulos ſibi „quisque, & coniugi & liberis & filio bullam, & „quibus vxor filiæue ſunt, ſingulas vncias auri pon„do relinquant: argenti, qui curuli ſella ſederunt, „equi ornamenta & libras pondo, vt ſalinum patel„lamque Deorum cauſa habere poſſint, ceteri ſena„tores libram argenti, tantum æris ſignati, quina mil-

lia in

§. IV. Dum autem requiro leges, non præciſe poſitiuas aut ſcriptas (i) intelligo, cum legum

„lia in ſingulos patres familias relinquamus. Cæte„rum omne aurum argentum æs ſignatum ad trium„uiros menſarios ex templo deferamus, nullo ante „SCto facto, vt voluntaria collatio: & certamen „adiuuandæ reipublicæ excitet ad æmulandum ani„mos primum equeſtris Ordinis, dein reliquæ plebis. „Hanc viam viam, multa inter nos collocuti, con„ſules inuenimus. Ingredimini Deis adiuuantibus: „Reſpublica incolumis & priuatas res facile ſaluas „præſtat: publica prodendo tua nequicquam ſerues. Hoc erat conſilium prudentiſſimum conſulis Leuini, cui etiam optatus reſpondit euentus. Ita enim pergit Liuius: „Senatu inde miſſo, pro ſe quisque au„rum argentum in publicum conferunt, tanto certa„mine iniecto, vt prima inter primos nomina ſua „vellent in publicis tabulis eſſe, vt nec triumuiri „accipiendo, non ſcribæ referendo ſufficerent. Hunc „conſenſum Senatus equeſter ordo eſt ſecutus, e„queſtris ordinis plebs. Merito itaque reprehenditur Pompeius apud *Tacit. lib. III. ann. c. 28. quod ſuarum legum autor & ſubuerſor fuerit.* Egregie idem confirmat Claudianus, vbi ita canit:

In commune iubes ſi quid, cenſesue tenendum;
Primus iuſſa ſubi, tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi, componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Plura hac de re vid. apud Conſtantinum Germanicum *in itinerar. Germ. Polit. p. m. 491.* Conf. Siracid. *c. 10. verſ. 2. 3.*

(i) Si plures Quintii Cincinnati in rebuspublicis eſſent, ſufficeret *ex æquo & bono* lites decidere. Ante huius æquis-

legum naturalium vberrima ſeges ſit, vt vel ſecundum illas rempublicam imperans dirigere poſſit.

§. V. Quo ſimpliciores enim ſunt leges naturæ

æquisſimi viri Conſulatum plebs leges ſcriptas ferendas eſſe acriter urgebat, cum Conſules pro ſuo arbitrio ius dicerent in fraudem & oppresſionem plebis. Sed Quintius *ius ipſe reddebat, maximamque litium partem ipſe ex æquo & bono diiudicabat, per totum diem pro tribunali ſedens, omnibusque, qui ad diſceptandum in ius veniebant, ſe facilem, lenem & humanum præbebat, ut nouas amplius leges non deſiderarent, qui iuris æquabilitate in republica fruebantur, ſed omnes illa iuris legumque æquabilitate, quæ tunc in ciuitate erat, contenti eſſent & gauderent.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. IX.* Similiter Germani priſci nullum ius ſcriptum habebant, & tamen de iis Tacitus prædicat, quod *apud eos boni mores plus valerent, quam apud Romanos ſcriptæ leges.* Corruptiores erant mores Romanorum quam Germanorum, & tamen hi nullo ſcripto iure utebantur, atque adeo leges ſcriptæ per ſe mores haud corrigunt, & ſic nec abſolute neceſſariæ ſunt. Sic etiam valde credibile eſt, primas respublicas nullas alias leges quam naturales agnouiſſe, paucas deinde poſitiuas ſuperadditas eſſe, prout ratio reipublicæ, ſubditorum malitia & imperantis peculiaris ratio id poſtulabant. Reſpexit huc Tacitus *lib. III. annal. c. 26.* vbi aſſerit, quod *leges primum rudibus hominum animis ſimplices fuerint*, atque hic hominum ſtatus forſan beatior fuit, ac quidem ille, vbi in corruptisſima republica plurimæ leges latæ dicuntur. Equidem obiiciunt, ex iure naturali omnia determinari non poſſe. Verum hæc pauciora ſunt (veluti gradus ſucceſſionis) quæ adeo a legislatore facile ſuppleri & adhuc determinari poſſunt.

(k) Ius

turæ, eo aptiores ſunt ad conſeruandam quietem internam, (k) poſitiuæ vero, quia ab hac ſimplicitate recedunt, ad plures lites ſolent ſuppeditare occaſionem.

§. VI.

(k) Jus naturæ vnice tendit ad conſeruandum vinculum, quod natura inter omnes conſtituit homines, & ſic principia eius *ſimplicia*, *facilia* & *omnibus nota*. Quo ſimplicius nunc viuitur, eo minus corrupti ſunt mores, & ſic leges quoque ſimpliciter ſufficiunt. Illuſtrat hoc Strabo *lib. VI.* exemplo Zaleuci aiens, *Zaleucum illum Thuriis olim paucas & ſimplices leges dediſſe. Sed ſecutos alias per ſubtilitatem & nimiam curam addidiſſe: ex quo factum, vt celebres magis quam boni redderentur.* Leges *Germanorum* antiquæ, *ſimplicies* fuiſſe videntur, & iuri naturæ maxime conformes, quia ipſimet maiores noſtri in ſumma *ſimpliuitate* viuebant. Aſt poſtquam luxus corrupit reſpublicas, & ambitio dominari cœpit, mox exuta vita ſimpliciori, ſucceſſit vita delicatior & ſplendidior, omniaque in Republica ad ſplendorem & elegantiam compoſita fuere. quid ergo mirum, quod ſimplicitati legum naturalium multa ſuperaddita ſint, ſub *prætextu decoris & honeſtatis publicæ*, magis tamen ex vitio reipublicæ, & corruptione totali. Hinc leges ciuiles ab antiquis ICtis Romanis non inepte inde definiuntur, quod iuri naturali aliquid addant vel detrahant L. 6. ff. d. I. & I. Addunt enim plura ſolennia, formulas, ritusque actibus expediendis, quæ omnia ſimplicitas iuris naturæ ignorat. Dum itaque aliquid ſimplicitati iuris naturæ addit, ſimul eidem aliquid detrahit, conſtituendo, vt actus forma ſua ſolenni deſtitutus ſit ipſo iure nullus, quo ipſo fit, vt iuris naturæ diſpoſitio effectu careat, & de ipſis ſolennibus & formulis perpetuæ lites foueantur.

(l) Prima

§. VI. Imo, cum per leges ciuiles tolli debebat occaſio corruptionis, nonnunquam accidit, vt magis promoueatur luxus, ambitio & auaritia augeantur, vt nonnulli non inique dixiſſe videantur, leges non raro eſſe inſtrumenta dominationis. (l)

§. VII. Denique huc etiam pertinet, quod boni (*) ſubditorum mores plus proſint reipublicæ, (m) quam tot ſcriptæ leges.

§. VIII.

(l) Prima rerumpublicarum origo eſt ex ambitione, & ita quoque plurimæ poſtea ad ambitionem & auaritiam compoſitæ fuerunt, vt non mirum ſit, ſi etiam leges huc reſpexerint. Appius Claudius LL. XII. Tabb. magis ad ſuam & patriciorum potentiam confirmandam, quam commune bonum reip. promouendum adornauerat, vt vel ex lege de prohibitis connubiis inter Patricios & plebem colligit Dion. Halicarnaſſ. Excipio hic merito legislationem diuinam per Moſen factam, qua ſapientisſime omnia ita adornata ſunt, vt ſubditi magis a luxuria, ambitione & auaritia abducerentur. Hoc quoque cenſet Dion. Halicarnaſſ. *lib. II. antiq. Rom.* principem *eas leges ferre debere, quæ iuſtam & temperantem priuatorum vitam efficiant.*

(*) Vbi ciuium mores optima inſtitutione formati, legum quoque maior reuerentia eſt. De Lycurgo Plutarch. in Numa in f. ait: *Parui fuiſſet momenti iurisiurandi religio, niſi per diſciplinam & inſtitutionem leges puerorum moribus quaſi tinxiſſet Lycurgus, & nutrimenta ardenti ſtudio imbuiſſet inſtitutorum ſuorum.*

(m) In hoc Germanis prærogatiuam Tacitus conceſſiſſe videtur, quod ſcilicet tanta apud eosdem corruptio haud fuerit, vti quidem apud Romanos. Mores huiusmodi non ſcripti magis accommodati ſunt ad genium

§. VIII. Quando tamen ob neceſſitatem publicã (n) leges ferendæ ſunt, ius illas ferendi penes

nium populi, & ad illos ſtatim a prima iuuentæ flore componuntur & formantur, cum leges ſcriptæ magis cauillationibus obnoxiæ ſint, atque adeo tandem in monopolium eruditorum tranſeant, cum tamen ſinguli ſubditorum ius patrium ſcire deberent. Mores quoque ſubditos facilius ad obſequium alliciunt, quam leges latæ. Optime Suidas *in verbo* ἔθος: *Conſuetudo non eſt inuentum hominis, ſed vitæ & temporis. At lex quidem ſimilis eſt tyrannidi: terrore enim & vi cuncta conficit: Conſuetudo autem magis humanitate regit: vltro enim omnes eam abſque neceſſitate ſequuntur.* Idem Cicero confirmat in *Lælio* aiens: *Magna vis eſt vetuſtatis & conſuetudinis. Nemo eſt, ſi nulla res impediat, qui non, quo conſueuit, equo lubentius vtatur, quam intractato & nouo. Nec modo in hoc, quod eſt animal, ſed in eis etiam, quod ſunt inanimata, conſuetudo valet, cum locis etiam montanis delectemur, & ſyluestribus in quibus diu commorati ſumus, ſic veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo etiam inter iniurias detinet:* ſed deſino plura hic addere, poſtquam Dn. Thomaſ. *diſſ. de Content. morum cum iure ſcripto*, ſatis hanc rem explicuit.

(n) Hanc neceſſitatem quandoque extorquent corrupti mores ſubditorum. Manumittendi libertas olim non fuit reſtricta, ſed variis legibus reſtringi cœpit, poſtquam illa ciues R. abuti inceperunt. Idem *de neceſſitate legum annalium* affirmat Cicero *Philipp. 5.* aiens: *maiores noſtri veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant, quas vero multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſent petitionis inter æquales.* Non omittenda quoque hic eſt Pæti Thraſeæ oratio apud Tacitum *lib. XV. annal.* qui hac de re ita philoſophatur: *Vſu probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta apud*

nes ſummum imperantem vnice reſidet, & quidem *radicaliter*, [o] quippe qui ſupremum ius cogendi & ſubditos obligandi habet.

§. IX.

apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem; candidatorum ambitus, Iulias leges: magiſtratuum auaritia Calpurnia ſcita, pepererunt. Nam culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare poſterius eſt. Sic olim ante LL. XII. Tabb. paucæ erant leges ſcriptæ apud Romanos, ſed vt olim reges ita quoque poſtea conſules lites decidebant ex *æquo & bono*, non *iure ſcripto*. Offendebat hoc plebem, quia patricii ita vbique premebant plebeios, ſuam autem libertatem amplificabant, inde tandem ad LL. XII. Tabb. ferendas occaſio data eſt. Dion. Halicarnaſſ. l. IX.

(o) Equidem aliquando ex *rationibus politicis* hanc facultatem imperantes temperant, ne illam exercere videantur, exemplo *Auguſti* & ſucceſſorum, qui ſenatui quoad externam ſpeciem ius condendi SCta indulgebant, ipſi vero præuia *oratione* tantum ſuadere legem videbantur. verum hæc externa ſchemata rem ipſam haud euertunt. Reuera SCtorum autores imperatores Romani erant, neque Senatui integrum videtur fuiſſe a mente & voluntate eorum recedere, adeo vt etiam ICti Romani ſæpe magis verba orationis imperatoriæ allegent, quam ipſius SCti, quod ad præuiam illam orationem factum eſt. In hypotheſi tamen maiores ſolent occurrere difficultates, an hic vel ille imperans ſummus ſit, ut hac facultate gaudere valeat. De Imperatore noſtro certum eſt, quod ſolus leges, totum imperium concernentes, ferre haud poſſit, ſed ſtatus in Comitiis concurrere debeant. *Art. 8. I. P. §. gaudeant.* Aſt quid de ſtatibus ſingulis quoad territorium proprium dicendum ſit, anceps videtur. Olim fuiſſe hanc poteſtatem quadantenus a Cæſare dependen-

§. IX. Quo ipſo hæc poteſtas publica legislatoria ſatis diſtinguitur a iuribus affinibus, priuatis etiam competentibus. Et quidem (I) a PRÆCEPTIS patrum, dominorum &c. (p) quæ

pendentem, ita vt confirmatio Cæſarum acceſſerit, docet Dn. Hertius *de ſuper. territ.* §. 25. Sed hodie, poſtquam ſtatibus in ſuis territoriis ſuprema poteſtas, quam voce *ſuperioritatis territorialis denotare ſolent*, aſſerta eſt, & nulla proprie dicta dependentia a Cæſaris imperio amplius deprehenditur, poteſtas leges ferendi eisdem denegari nequit. Reſtringunt tamen hanc poteſtatem hoc modo, quod contra ius commune nihil poſſint ſtatuere in ſuis territoriis, Myle-rus *de Stat. Imp.* c. 39. §. 5. quod quidem eatenus admitti poteſt, quatenus nihil ſtatuere poſſunt contra publicam imperii ſalutem, alioqui ſi tantummodo leges negotia priuata ſubditorum concernant & dirigant, iisque formam nouam præſcribant, hoc omnino ex eadem ſuprema poteſtate illis erit concedendum, licet contrarientur Receſſibus imperii, quippe quibus ipſi Principes inter ſe propter pactum obligantur, ſed vt quoque easdem in ſuis terris præciſe in obſeruantiam deducant, minime adſtringuntur. Plenius hac de re agit Dn. Thomaſ. *diſſ. de Stat. imp. poteſt. legisl.*

(p) Varia etiam in ſtatu ciuili datur imperiorum & poteſtatis ratio. Nam & in priuatorum familiis imperii aliqua ratio occurrit, veluti dominorum in ſeruos vel famulos, patris in liberos, præceptoris in diſcipulos &c. qualis imperii conditio omnino poteſtatem iubendi & præcipiendi, abſque qua inanis foret, patribus dominis vel præceptoribus concedit, indeque & hodie in famulos noſtros aliqua coercitio ex natura imperii conceditur, licet operas ſuas (cum ſubiectione quadam) locauerint.

 (q) Do-

quæ ſemper publicis legibus Reipubl. ſunt ſubordinata, & intra limites priuatorum & domeſticorum negotiorum concluduntur.

§. X. Differunt (II.) a *dogmate* (q) quod cum magis doctrinam morum reſpiciat, ſub obligationem externam non cadit, internam vnice intendens, & ſic a pari etiam fieri poteſt.

§. XI.

(q) Dogmata (1) per modum imperii haud inculcantur, ſed potius ſuadenda, ſuntque (2) regulæ variæ viuendi a ſapientibus præſcriptæ & mores formantes, atque adeo (3) non a ſuperiori qua tali, ſed etiam a pari imo etiam ab inferiori traduntur, & (4) magis internam obligationem pro fine habent, quatenus hominum vitam tranquillam & beatam reddere annituntur. Leges, inquit Seneca *Epiſt. 94. non perſuadent*, quia minantur. *At hac* (præcepta) *non cogunt, ſed exorant. Deinde leges a ſcelere deterrent, præcepta in officium adhortantur. His adiice, quod leges quoque proficiunt ad bonos mores, ſi non tantum imperant, ſed docent.* Per indirectum in legem abire poſſunt, quatenus, vt talia dogmata publice in republica doceantur, lege publica imperantis ſtatuitur. Interim hi, qui talia dogmata proponunt, nullum imperium affectare debent, quod tamen ſi fiat, reuera tum dogmata peruerſo modo traduntur, tum imperantis imperium violatur, quod ne fiat, imperantis eſt, præcauere. Ex hoc peruerſo modo, dogmata docendi, enata eſt monſtroſa illa Hierarchia, quæ etiamnum hodie cum ſummo tot rerumpublicarum præiudicio vbique regnat. Sunt & fuerunt Clerici a prima origine ſua tantum doctores, ad docendum populum electi & conſtituti, ſed conniuentia imperantium ad imperium ſacrum euecti, contra iuris publici vniuerſalis fundamenta, ceu infra pluribus notabitur.

(r) Com-

§. XI. Porro (III.) a *conſilio* differunt, quod quatenus ex regulis prudentiæ promanat, perſuadet, & ſic interne obligat; (r) ſed etiam a pari vel inferiori procedere poteſt.

§. XII. Denique (III.) a *pacto* (s) in hoc differt, quod hoc ineatur inter pares, *qua tales*, & operetur quidem obligationem externam, vi ſuæ

(r) Commune aſſertum eſt, conſilium non eſſe obligatorium, quod quidem de *externa* facile concedi poteſt; ſed de *interna obligatione* ſecus ſe res habet, quæ tamen ſpecies principalis obligationis eſt, vti *cap. 1. part. gen.* oſtenſum. Ceterum conſilia potisſimum illud pro ſcopo habent, vt oſtendant ſecundum *regulas prudentiæ*, quidnam potius in re ambigua & ancipiti ſequendum, & quodnam in præſenti e re eſſe videatur, *ne honeſtas rerum cauſas, ni iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequantur*, vt ait Otho apud Tacitum *lib. I. hiſtor.* Conſtat enim *omnia inconſulti impetus cœpta initiis valida, ſpatio langueſcere.* Id. *lib. III. hiſtor.* Ad hæc præcauenda conſilio maturo opus eſt, quod ex præteritis prudentiores deſumunt. *Optime enim de futuris conſultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis ſumunt*, ait Titus Romilius apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. X.* atque hoc ipſum quoque præſtare *inferiores* vel *pares* vel *amici* poſſunt. Habet hæc doctrina ſua peculiaria præcepta, quæ ex intima hominum natura itidem, vti dogmata aliaque doctrinalia, caute deſumenda ſunt, & peculiariter expoſita ſunt a Dn. Thomaſio *tr. de prudent. conſult.* Rem ipſam per varia exempla explicuit Cyriacus Lentulus in *tr. quid conſilii?*

(s) Pacta non raro *leges* vocantur, quo ſpeciatim referuntur *leges fundamentales* rerumpublicarum, quemadmodum in noſtro imperio plures eiusmodi leges publicæ

ſuæ naturæ, non tamen, vti lex, in ſe inuoluat coactionem imperantis per modum pœnæ.

§. XIII. Poſſunt quidem hæc omnia in imperantem quoque cadere, ſed tamen diuerſo reſpectu: (t) nam & doctoris & patris & domini & conſulentis officium ſuſtinere poteſt, & ſic quatenus ſub hac vel illa qualitate agit, ita quoque vel legem vel dogma &c. præſcribit.

§. XIV.

publicæ, quæ reuera pacta ſunt, reperiuntur. Sic in Capitulationibus imperator dicit, *er habe ſich mit denen Churfürſten aus freyen VVillen gedings und pactsweiſſe vereiniget* & in *R. I. de anno 1500. in f. und haben uns deß halben mit und gegen einander in Contracts weiſſe vereiniget verpflichtet und verſchrieben* &c. Sed magis pacta ab effectu ſuo leges dicuntur, quamuis formali ratione ab iis differant. Nam in hoc ingens latitat differentia, quod, qui ad legem proprie dictam alterius ad aliquid obſtringitur, neceſſario ſe alteri ſubiectum profiteri debeat, nulloque modo ſummum poſſit habere imperium, quod ſaluum & integrum tamen retinere poteſt, ſi nudo & ſimplici pacto alteri ad quid obligetur, quippe quod paritatem non tollit, nec ſuperioritatem in alterum inducit, vti quidem lex. Pluribus id declaratum *Part. Spec. lib. I. c. 3.* Sic etiam per pactum obligamur *ſponte*, nec adeſt ad paciſcendum ordinarie quædam coactio; ſed per legem etiam *inuiti*, nec in noſtra poteſtate poſitum, vtrum legem accipere velimus nec ne? Vnde & porro lex ex ſolius imperantis determinatione dependet, pactum eius conſenſum requirit, qui per illud obligandus eſt.

(t) Salomon erat rex potentiſſimus & ſic iure imperii leges, *qua rex*, ſubditis præſcribere poterat. Erat tamen

§. XIV. Exercet imperans poteſtatem legiſlatoriam *ſuo iure* & *independenter*, atque adeo conſenſus ſubditorum (u) ad vigorem legum non

men idem quoque ſapientiſſimus doctor & ſic dogmata egregia regulasque viuendi præſcripſit, ſed non qua rex. Marcus Antoninus Imperator idem ſuo exemplo docuit, ceu aureus eius liber *de ſe ipſo ad ſe ipſum* oſtendit. Ipſe Iulianus Apoſtata doctorem & philoſophum agere voluit, vt alios taceam. & hactenus omnes hi diuerſi reſpectus in imperante, quatenus debito ordine exercentur, nullam inuoluunt inconuenientiam; verum vbi confunduntur, veluti ſi dogmata per modum legis imperat, peccatur in *modo exercendi*, & inde eſt *Cæſaropapia*.

(u) Eo ipſo, quo ſubditi in imperium imperantis conſenſere, generaliter quoque obedientiam in omnibus illis promiſiſſe videntur, quæ ad ſalutem publicam iubet & conſtituit. Idem de optimatum legibus dicendum eſſe ratio ſuadet, & quamuis in ſtatu populari populus leges condat, id tamen rurſus vel ideo ſit, quia penes populum eſt ſummum rerum arbitrium, & hoc intuitu olim in populari ſtatu reipubl. Romanæ leges vocabantur *ſponſiones reipublicæ communes*, quia ciues per modum *ſponſionis* ſe ad illas in comitiis obſtringebant. Hoc intuitu patres, cum de legibus ferendis diſceptaretur, dixerunt, *leges eſſe pacta ex communi ciuitatum, non autem partis ciuium in iis habitantium, conſenſu facta.* Dion. Halicarn. *lib. IX.* Equidem ex regulis prudentiæ legiſlatores *prudentum* conſilium in legibus ferendis adhibere ſolent, ſed vt ad illud non præciſe ſint obſtricti, & lex ab imperante lata nihilominus vigorem ſuum habeat, licet neminem in conſilium adhibuerit. Conſtat de Auguſto, quod ius Codicillorum & fidei-commiſſorum non

non requiritur, conſtituuntur enim ex *iure imperii.*

§. XV.

antea introducere voluerit, quam collatione deſuper cum ICtis inſtituta. *pr. I. de codicill.* De Alexandro Seuero refert Lampridius, quod nullam legem ſanciuerit ſine viginti iurisperitis & quinquaginta ſapientisſimis diſertisſimisque viris. Quin etiam aliquando imperatores ſibi ipſis legem præſcripſerunt, quod aliter leges ferre nollent, vti Theodoſius & Valentin. Cæſares in *l. VIII. C. de LL.* diſerte formam hanc approbarunt, adiuncta hac clauſula: *Scitote igitur, patres conſcripti, non aliter in poſterum legem a noſtra clementia promulgandam, niſi ſupra dicta forma fuerit obſeruata. Bene enim cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri imperii & ad noſtram gloriam redundare.* Sed hæc omnia dependent ex imperantis arbitrio & *regulis prudentiæ*, non *iuris neceſſitate.* Multo minus itaque ad *conſenſum ſubditorum* legis vigor adſtringendus eſt, ceu doctisſimus cæteroquin Archiepiſcopus Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. lib. II. c. 16. §. 3. ſeq. exiſtimat*, dum diſtinguit inter ius *publicum* & *priuatum.* Illud quidem abſolute valere concedit, ſed hoc neutiquam, niſi tacito conſenſu populi confirmatum fuerit. Poſtea in §. 5. hoc applicat ad leges eccleſiaſticas & inde concludit, quod non obligent, donec vſu receptæ fuerint. Hac in ſententia etiam fuiſſe videtur Gratianus, qui *D. 4.* ita poſt *c. 3.* ait: *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Sed ita omnis efficacia legum non ab *imperio* imperantis, ſed *ſubditorum arbitrio* dependeret, & pœnæ legibus appoſitæ ægre applicari poſſent, quia ſemper opponere poſſent, communi conſenſu populi & ſubditorum legem

§. XV. Quodſi tamen legibus reipublicæ fundamentalibus aliud prouiſum, cautumque, vt procerum in conuentu (x) de lege noua ferenda deliberari debeat, imperans ad conſenſum procerum obligatus eſt.

§. XVI. Perinde autem eſt, utrum imperans leges per ſe condere, an vero ei, quod priuatis quibusdam æquum iuſtumue viſum fuit, vim

gem non eſſe approbatam. Hoc interim largior, ſæpe legum tantam non eſſe efficaciam, vt quosdam mores inter ſubditos inveteratos posſint tollere, quoniam in ipſa legum latione non ea adhibetur prudentia, quæ adhiberi debebat, de qua vid. Dn. Thomaſ. *diſſ. de content. mor. cum iur. ſcript.* §. 44. *ſeqq.* Interim id fit ex accidenti, non vero exinde, quia leges ſubditorum conſenſum prærequirunt. Conf. *Obſeruat. noſtr. ad Petrum de Marca cit. l.*

(x) Sic olim in regno Franciæ ex more inveterato obtinuit, vt leges in conſenſu procerum conderentur, quem morem ipſe quoque Carolus M. adhuc retinuit. Sic enim Annales Francorum *ad ann. 802.* publicati a Petro Lambecio *L. 2. biblioth. Caſ. c. 5. Imperator* (Carolus) *congregauit duces comites reliquosque apoſtolos Chriſtianos cum legislatoribus*, & *fecit omnes in regno ſuo legi* & *tradi vnicuique hominum legem ſuam*, & *emendare, vbicunque neceſſum fuit*, & *emendatam legem ſcribere*, & *vt iudices per ſcriptum iudicaſſent.* Alicubi ſunt ſtatus Prouinciales, quorum conſilio de ſummis rerum deliberationes inſtituuntur, & ſic quandoque legum ferendarum cura huc referenda, quemadmodum in plerisque Epiſcopatibus conſenſu Capituli leges nouæ conduntur.

vim legis tribuere velit (y) quod ita autoritatem legis ab imperantis approbatione ſortitur.

§. XVII. Atque ita [z] (I) mores & conſuetudines vim legis nanciſcuntur, non ex *ſubditorum uſu*, ſed *imperantis approbatione*, qua deficiente, lex eſſe nequeunt.

§. XVIII.

(y) Hac methodo uſus eſt Auguſtus, quippe qui ICtis quibusdam dedit facultatem de iure reſpondendi, hoc effectu, vt reſponſa eorum vim legis obtinerent, quemadmodum etiam poſtea Iuſtinianus collectis ICorum ſententiis & opinionibus de nouo legis vniuerſalis effectum tribuit. Idem fere dicendum eſt de *decretis tribunalium ſummorum*, quibus itidem Iuſtinianus effectum legis dedit in *l. f. C. de LL.* quamuis magis cauſæ controuerſæ decidendæ quam legis ferendæ gratia eſſent facta. Quod vero eadem hodie effectum legis vniuerſalis non agnoſcant, id eſt ex defectu voluntatis imperantis arceſſendum.

(z) Mores alias ad ius *non ſcriptum* referuntur, ſed qua ratione iuris effectum habere posſint, inquirendum. Mores fere conſiſtunt in *actionibus hominum in vna ſocietate viuentium conformibus*, quam conformitatem ex longæuo temporis uſu traxerunt. Quemadmodum itaque in ſingulis contingere ſolet, vt, quo ſemel eſt imbuta recens ſeruet odorem teſta diu, & mores ſemel aſſumti tenacisſime alicui adhærere ſoleant; ita quoque ſingula corpora ſuos mores peculiares habent, in quibus educantur, nutriuntur, & quaſi a pueritia ad illos aſſueſiunt, quo ipſo fit, vt mores tales a ſubditis æque tenacisſime defendi ſoleant, ac quidem ſinguli ſuos mores fouere ſolent. Atque hinc mores in ius abeunt, & legis vigorem conſequuntur. Sed unde? Quidam *voluntatem* principis *tacite*

§. XVIII. Excipere ſolent mores irrationabiles (a) quos imperans approbaſſe non præſumi-

tacite ſupponunt, ſed illi fingunt aliquid, quod non eſt. Quomodo enim imperans mores ſingulorum corporum & locorum ſcire poteſt? Si autem ignorat, quomodo tacite illos approbare poteſt? vix itaque aliunde colligi poteſt principis approbatio, quam ex generali eiusdem declaratione, quod velit, vt ſecundum mores cuiuscunque loci iudicetur, quem in finem iudicibus iniungi ſolet, vt iuxta leges & mores conſuetudinesque locorum ſingulorum pronuncient. Sic Rudolph. I. in Conſtit. apud Lehmannum *lib V. c. 108. Chron. Spir.* præcepit, *daß alle Unſere Fürſten und alle die Gerichte von uns haben, recht richten, als des Landes Sitt und Gewohnheit iſt.* &, in *Ordin. Cam. p. I. tit. 57.* iudices iudicare iubentur *nach rechtlichen ehrbaren Ordnungen Statuten und Gewohnheiten* &c. Quod ſi expreſſa eiusmodi declaratio deficiat, tunc quidem recurrendum ad præſumtum imperantis conſenſum, quo mores inveteratosq́ ſubditorum approbaſſe eo ipſo videtur, quia nouit, ſingula corpora & loca regi ſuis moribus peculiaribus, quos nec ſemper tollere poteſt per leges contrarias, nec ſemper expedit, pacis internæ ſeruandæ cauſa.

(a) Ante omnia (I) conſtare debet, quinam mores ſint irrationabiles. Plerumque ita homines ſunt comparati, vt ſuos tantum mores vel maiorum inſtituta adorent, & ſecundum illos aliorum mores etiam iudicare velint, quibuscum ſi hi non conueniant, pro irrationabilibus habentur; Interim decorum in moribus variat, & quod alicubi honeſtum dicitur, id inhoneſtum alibi eſt, & contra, quod tamen ſtatim pro irrationabili non habendum. Vitellius apud Tacitum *lib. XII. annal.* de matrimoniis idem iudicat. *noua* ait, *nobis in fratrum filiis coniugia, ſed aliis gentibus ſolennia*

ſumitur; ſed hoc non omni caret dubio. (b)

§. XIX.

nia neque lege ulla prohibita, & ſobrinarum diu prohibita tempore addito percrebuiſſe. Morem accommodari, prout conducat, & fore hoc quoque in his, quæ mox uſurpentur. In omnibus moribus ſolet quædam latitare ſtultitia, vt tamen non in omnibus æque appareat, quam tamen inter homines eradicare non poſſumus. Bene Tacitus: *Vitia donec homines.* Conf. *Cornel. Nepot. præfat. vitis excellentium Imperat.* præmiſſam. Quod ſi itaque mores ob concurrentem ſtultitiam eſſent eliminandi, nulli mores tolerari debent in republica, qui tamen eliminari nequeunt, poſtquam homines tam acriter in mores aſſumtos propendent, licet aliis irrationabiles & abſurdi videantur. Bene Plutarchus *de audiend. p. 37. lit. E. qui in ciuium numerum adſcribuntur alienigenæ & omnino peregrini multa eorum, quæ fiunt, reprehendunt ac inique ferunt: qui vero inquilini educatione ac conſuetudine ſibi leges familiares reddiderunt, abſque moleſtia, quæ ſuarum ſunt partium obeunt, uſuque ſunt contenti.* (II) Illos ergo mores irrationabiles dicendos eſſe exiſtimarem, qui rationi iuris naturalis, ſeu regulis iuſtitiæ repugnant, vbi tamen rurſus cauendum, ne omnia præcepta moralia confundamus, omniaque ad ius naturæ referamus. Sic itaque mores ſubditorum hoc ſenſu eſſent irrationabiles, quibus licentiam reſiſtendi magiſtratui, duella inſtituendi, priuata latrocinia inter ſemet faciendi &c. prætendere vellent.

(b) Non ſemper legiſlatori integrum eſt, illos eliminare, ſed tam diu ob ſtatum reipublicæ ægrotantem tolerandi ſunt, donec paulatim in melius mutentur. Certe legibus funditus eradicari nequeunt, ſed plerumque verendum, ne ſubita mutatio plus damni reipublicæ allatura ſit. *Nocet*, ait Tacitus *lib. I. Hiſtor. rigor &*

nimia

nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus, id quod Galbæ exemplo, militibus Romanis nihil indulgentis, illuſtrat. Idem olim veritus eſt Tiberius imperator apud Tacitum *III. annal. c. 52. ſeq.* vbi de *luxu immenſo eradicando* conſilia agitabantur. Secum enim anxie deliberauit, *an coerceri tam profuſæ cupidines poſſent? num coercitio plus damni in rempubl. ferret, quam indecorum, adtrectare, quod non obtineretur.* Inde literis ad ſenatum compoſitis inter alia philoſophatur: *Quodſi mecum ante viri ſtrenui ædiles conſilium habuiſſent, neſcio an ſuaſurus fuerim omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc aſſequi, vt palam fieret, quibus flagitiis impares eſſemus.* quod in ſequentibus egregie declarat. Et tandem his vitiis ita occurrendum eſſe concludit: *nos, pudor; pauperes, neceſſitas; diuites ſatias in melius mutet*, ſiquidem imperantis exemplum fortius & validius omnibus legibus eſt, vti probavit Veſpaſianus ſuo exemplo, qui non pœnis, non legibus, ſed ſuo exemplo luxum ſuſtulit. Aiunt, tentandum eſſe, per *ſeueritatem ſuppliciorum* omnia prævalida vitia poſſe tolli. Verum prudenter Seneca *lib. II. de ira c. 10.* reſpondet, *lento adiutorio opus eſt contra mala continua & fœcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant*, præſertim cum iudice Cicerone *lib. I. ad Q. fratr. epiſt. I. difficile ſit, mutare animum & ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubito euellere.* Quamdiu itaque iniuſtos mores eradicandi non datur occaſio, hactenus *iuris & impunitatis* effectum habebunt, vti apparet ex moribus duellantium priſtinis, qui adeo iuris auroritatem induerant, vt etiam cauſis iudicialibus decidendis adhiberentur, donec *paulatim* licentia hæc penitus ſuppreſſa fuerit. Imo ſicuti ſcriptæ leges iniquiſſimæ non raro deprehenduntur, & tolerari debent, quid mirum, ſi mores iniqui in republica morbida *iuris* effectum habere poſſint. Bene Antoninus *de ſe ipſo lib. 9. §. 29. non Platonis rempublicam expecta, verum ſufficiat tibi, ſi vel parum admodum res proceſſerit.*

(c) De

§. XIX. (II) Decreta ſummorum tribunalium (c) non aliter legem vniuerſalem conſtituunt, quam ex imperantis voluntate antecedente.

§. XX. Legibus extraneis itidem imperans autoritatem tribuere poteſt ſua *confirmatione* (d) vel

(c) De his iam dictum *ad* §. *16*. In tribunalibus Decreta fiunt decidendarum controuerſiarum cauſa, non vero legum ferendarum, quin quod in iudiciis in decernendo nouum ius haud conſtituatur, ſed tantum ius iam conſtitutum ad facta applicetur, & ſic inde magis declaretur. Hoc poſito iudicia inferiora non tenentur ſequi decreta ſuperiorum tribunalium, quia *legem* per ſe non conſtituunt.

(d) Valet itaque ius extraneum ſeu peregrinum ex *recepto*, quemadmodum olim apud Romanos *leges Rhodia nauales* receptæ & approbatæ erant, quatenus iuri Romano non aduerſabantur. In Germania multa iura extranea valent, *Romanum*, *Longobardicum*, *Pontificium*, eodem ſcilicet modo, ex *receptione*, quæ quidem ab initio magis priuata non publica conſtabant autoritate, dum iudices reliquique iuris periti ad illa prouocarunt, eaque ſenſim in obſeruantiam deduxerunt, qua ſemel introducta, pedetentim acceſſit publica autoritas, non quidem *expreſſa* declaratione, ſed magis generali ad hæc iura prouocatione, quæ obſeruantiam quandam innuit. Cum itaque approbatio iuris huius extranei pleriſque in locis expreſſa haud adſit, vel vbi adeſt, in tantum approbatum cenſeri debeat, quatenus receptum eſt, eundem vbique vigorem leges Romanæ non habent. Ex quo inſignia incommoda promanarunt: α) quod dubium fere vbique maneat in multis materiis, in quantum receptum fuerit. (β) quod etiam in iis, vbi obſeruatur, non raro deprehendatur in-

vel *expreſſa* vel *tacita*, vt valeant intra rempublicam ſuam, quamuis talis legum extranearum receptio non ſemper e re reipublicæ poſſit eſſe.

§. XXI. Quodſi itaque, ſaluis legibus domeſticis, ius extraneum præterea receptum ſit, prout receptio iuris extranei ſemper facta cenſeri debet, & inter vtrumque ius repugnantia quædam deprehendatur, magis pro vigore legum domeſticarum præſumendum, (e) niſi harum derogatio probata fuerit.

§. XXII.

incongrua applicatio ad præſentem ſtatum Germaniæ, qui a Romano plane diuerſus fuit. Et ſic eadem fere imprudentia in receptione iuris Romani occurrit, quæ imputari ſolet Romanis, quod a Græcis leges ſuas petierint, qui in eo tamen prudentiores erant, quod illas *expreſſe* approbauerint, vt de iure certo ſatis conſtiterit, id quod apud nos ex modo recipiendi aliter ſeſe habet. Incommoda hæc ſatis neruoſe depingit Lipſius *in monitis c. 10.* licet in eo erret, quod Lothario reductionem huius iuris tribuat. *Receptæ igitur ſunt*, ait, *& quo fructu? certo illo, litium, nemo negauerit, quæ ex eo nimium quantum ſuccreuerunt. Europam vide, & mentiar, niſi maxima eius pars circa iſtas occupatur; Alii iudicant, alii inſtruunt, alii agunt, & qui miſerrimi ſunt eas habent.* Et deinceps: *Nam quæ tam clara cauſa eſt, quæ non aliqua lege, imo interpretatione [nam & has admittimus] obſcuretur? Quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta eſt cauſidicina, & perite captare aut capere laudem habet.*

(e) Conſtat id quoque ex receptione legum naualium Rhodiarum apud Romanos, quæ eatenus tantum re-

deptæ

§. XXII. Ex quo fluit, allegantem ius extraneum contra ius patrium, obſeruantiam eius docere debere (f) cum maior ſit præſumtio pro iure patrio.

§. XXIII.

ceptæ & approbatæ apud Romanos olim erant, quatenus iuri Romano non aduerſabantur, vt dicitur in *l. 9. ff. ad L. Rhod. de iact.* Idem quoque de *tacita receptione* iudicandum, cum principes magis præſumantur iura propria valere velle, quam extranea, quæ in ſubſidium tantum recepta intelligi debent, ceſſantibus iuribus patriis. In diſſenſu itaque iurium ſtatur *iuri patrio*, niſi de contraria obſeruantia ſatis conſtet, quæ tamen præciſe de illo loco oſtendenda, vbi ius applicandum. Alterius loci & territorii obſeruantia ſe non extendit ad alia loca, unde & hodie varia iuris Romani obſeruantia eſt, alibi plus, alibi minus obſeruatur. Vbi ergo in re quadam ius Romanum in Germania non obſeruatur, ibi rectius dicitur, illud non eſſe receptum, quam quod abrogatum ſit, quia abrogatio præſupponit iuris valorem, qui tamen in Germania nunquam vniuerſalis fuit, nec eſſe debuit.

(f) Concluſio hæc fluit ex antecedentibus, nec adeo in dubium vocari poteſt, niſi ab illis, qui omnem erga ius patrium venerationem depoſuerunt, peregrinis in totum immerſi. Hoc enim conſtat, α) derogationem iuris patrii non præſumi, nec β) factam præſumi ex receptione iuris extranei, quod magis in ſubſidium receptum, & ſic γ) ius parrium conſtituit *regulam*, ius extraneum vero magis *exceptionem*. Sicuti nunc pro *regula* magis præſumitur, ita quoqne idem de obſeruantia iuris patrii dicendum reor. Si a *theſi* ad *hypotheſin* procedimus, certe idem de iure Romano affirmarem, niſi vbi expreſſo edicto illud receptum & ap-

§. XXIII. (IV) Magiſtratus ſubalterni leges condere nequeunt, (g) niſi hæc poteſtas illis fuerit conceſſa & delegata.

§. XXIV. Non tantum vero Magiſtratus condit ſtatuta, vbi expreſſo priuilegio ius hoc acquiſiuit; Sed etiam tunc, vbi totius ciuitatis adminiſtratio (h) & cura cum iurisdictione ipſi commiſſa fuit.

§. XXV.

& approbatum fuit, repudiato patrio, vel vbi conſtat, per *non vſum* iuribus patriis ſemel eſſe renunciatum. Aſt ſi in dubio caſu iura patria cum peregrino collidunt, putarem cum celeberrimo Culpiſio, allegantem diſpoſitionem iuris peregrini probare debere; Si vero ius patrium de tali caſu nihil diſpoſuiſſet, probatio receptionis non deſideratur, cum ſemel generaliter in ſubſidium receptum ſit.

(g) Magiſtratus ſubalterni habent quoddam imperium reſpectu ſuorum ſubditorum, ſed reſpectu imperantium pro priuatis habentur. Neque hæc poteſtas ex iurisdictione conceſſa fluit, cum hæc tantum *applicationem iuris iam conſtituti* ad facta & negotia ſubditorum inuoluat, non uero nouas leges præſcribendi facultatem largiatur. Et hoc intuitu dicuntur *miniſtri* non *arbitri legum*. Condunt tamen nonnunquam *ſtatuta*, ſed non *iure proprio*, ſed ex *conceſſione* imperantis, cuius autoritate quoque valent, & ita nihil aliud ſunt, quam *ius a ſubalterna poteſtate conſenſu imperantis conſtitutum, ligans illius loci ſubditos.* Imo licet vel maxime deficiat hæc ſtatuendi poteſtas, non tamen dubium, quin magiſtratus oppidanus cum ciuibus illius loci per pactum ſtatutum quoddam de illis rebus condere posſint, de quibus libere paciſci valent, id quod tunc inter eos vim legis ex pacto habebit.

(h) A ſola *conceſſione iurisdictionis* non fluere ius ſtatuendi, iam

§. XXV. Et hoc intuitu ſtatuta talia non neceſſario *confirmatione* (i) imperantis indigent, quæ tamen vtilis eſt.

§. XXVI. Interim ſatis reſtricta eſt magiſtratus ſubalterni poteſtas, vt de aliis negotiis, quam quæ *adminiſtrationem publicam* reſpiciunt, ſtatuta condere nequeunt, (k) quemadmodum

iam antea monitum eſt, qualiscunque demum iurisdictio fuerit conceſſa, quia hæc tantum iuris dicundi facultatem continet, licet incaute plures contrarium ſtatuant Vid. Coler. *de prac. execut. P. 1. c. 3. n. 12. ſeq.* Diſſentientes fortean inde decepti videntur, quod viderint, multis in ciuitatibus Senatui ius ſtatuendi competere, cui id adſcripſerunt ex iurisdictione, ſed admodum male. Vtplurimum Senatui vel magiſtratui oppidano quædam cura adminiſtratioque publica ipſius ciuitatis conceditur, quo caſu *vi illius adminiſtrationis* ſtatuta huc pertinentia condere poſſunt, quæ ad *politiam ciuitatis* ſpectant, cum, cui adminiſtratio publica ciuitatis conceſſa eſt, ei non poſſit non quoque conceſſa eſſe facultas quædam ſtatuendi, quæ ad politiam faciunt, vt ſunt *Feuerordnung, Becker Brauer Ordnung, VVochen-Marcts Ordnung, Gaſſen-Ordnung*, Vid. H. Piſtor. *IV. q. 134.*

(i) Plerique confirmationem ſtatutorum ad eorum *validitatem* requirunt, quod tamen in ſuppoſitis caſibus neceſſarium haud arbitror, cum ita ſemel ex *delegata poteſtate* magiſtratus aliquid ſtatuerit, quemadmodum ſententiæ a magiſtratu latæ vim rei iudicatæ obtinere debeat absque noua confirmatione, niſi per appellationem fuerint deuolutæ.

[k] De hoc ſatis conſtat, quoniam omnis poteſtas determinatur ſuo obiecto.

(l) Hos

dum legibus anterioribus imperantis deroga-re haud poſſunt. (l)

§. XXVII.

(l) Hoc inde liquidum eſt, quia ſi contra leges imperantis ſtatuta conderent, ſibi poteſtatem arrogarent, leges, quibus adſtringuntur, corrigendi & mutandi, quod illis haud conceſſum, cum voluntas ſuperioris ſemper prædominari debeat. Omnis poteſtas magiſtratui conceſſa, quanta quanta eſt, ſemper intelligitur, *ſaluo iure imperantis*, cui eſt ſubordinata. Et hinc forſan promanauit commune aſſertum, *quod ſtatuta ſint ſtrictæ interpretationis*, intuitu ſcilicet legum vniuerſalium, quæ vt ius *ordinarium* & *commune* in illo territorio ab imperante latæ ſunt, hoc ſenſu, ne ab illis vllo modo recedant, quoniam ſtatuentes ab illo recedere haud potuere, & ſic ſtatuta iuri ordinario ſubſeruire debent. Verum hoc brocardico inſigniter abuti ſolent. Nam α) minus recte tunc applicatur, quando ſtatutum diſponit de *negotiis iure communi ſeu ordinario non deciſis*, quia ſic per ius commune reſtringi nequeunt. β) Imprudenter ad quæuis ſtatuta ciuitatum applicatur, cum tamen ſtatuta ſint diuerſæ indolis. Solent hodie particulares ciuitatum quarumuis leges *ſtatuta* appellari, præter vel contra ius Romanum introductæ, vti ſunt ſtatuta Hamburgenſia, Lubecenſia, Bremenſia &c. quibus applicant regulam, quod ſtatuta talia ſtricte ſint interpretanda, ne nimis recedant a iure Romano, cum tamen in eiusmodi locis ius Romanum non conſtituat ius *ordinarium*, ſed potius ipſa ſtatuta. Scilicet talia locorum ſtatuta ſunt vel *antiquisſima* vel *recentiora*. Illa voco, quæ iam dudum ante receptionem iuris Romani viguerunt, & ſic *ius proprium* illius ciuitatis dici merentur, vti *ius Lubecenſe*, & plura alia ſtatuta locorum dantur, quæ vt plurimum ex iure antiquo Germanico riuuli ſunt. His in ſuo vigore

§. XXVII. Simile quid fere deprehendimus in *collegiis & corporibus*, quæ de rebus collegii quædam ordinare & determinare poſſunt, (m) vt ad inſtar legis inter membra collegii valeant.

§. XXVIII.

iam exiſtentibus, poſtea per ius Romanum quædam acceſſio facta eſt, non vt illis vim ſuam detraheret, ſed vt *in ſubſidium* valeret. Quæ cum ita ſint, incongrue applicaretur commune illud aſſertum, *ſtatuta eſſe ſtricte interpretanda, ne recedant a iure Romano*; cum potius ius Romanum ibi quieſcere debeat, vbi diſponit ſtatutum, quod intuitu iuris Romani *regulam* conſtituit, & *ius* illius loci *ordinarium*; nec ex iure poſt recepto reſtringi poteſt, ſed potius eandem admittere debet interpretationem, quemadmodum ius illud ordinarium & commune. *Recentius* ſtatutum voco, quod demum poſt ius Romanum ſemel in tali loco, vt *commune* receptum, introductum eſt, & ad hoc ipſum vtique applicari poteſt regula, *quod talia ſtatuta ſint ſtricte interpretanda*, ne a iure Romano, antea ſemel recepto, recedant, id quod rationem habet, modo conſtet α) ſtatutum eſſe nouum, β) ius Romanum, vt *ius commune*, in illo loco antea viguiſſe.

(m) Collegium non aliter ſubſiſtere poteſt, niſi ad certum ordinem membra ejus adſtringantur, vt tamen vnice pacta talia *res collegii* reſpiciant, nec bonis moribus contraria ſint. Poſſunt etiam *pœnam conventionalem* determinare, & ſe ad eandem adſtringere, vnde tamen *proprie dicta iurisdictio* collegiis adſcribi non debet. Inde etiam eccleſiis ab antiquo ius condendi ſtatuta quædam eccleſiaſtica competiit, quoniam itidem collegii vicem gerunt, de quo ſuo loco vberius diſſerendum erit.

(n) Potiſ-

§. XXVIII. Subſunt hæc collegiorum pacta, ſicuti alia ſubditorum negotia, directioni & inſpectioni imperantis, ita, vt ſi illorum abuſum animaduertat, iuſte conuenientiorem ordinem præſcribere & abuſus tollere poſſit. (n)

§. XXIX. Extra conceſſionem ſiue expreſſam ſiue tacitam imperantis, nemo ſibi ius legislatorium intra limites territorii arrogare poteſt, (o) niſi iura imperii violare velit.

§. XXX

(n) Potiſſimum hoc applicandum ad mores ineptos opificum, & alia abſurdiſſima collegiorum ſtatuta, quibus vel monopolia, reipublicæ nociva, inducuntur, vel nimiis exactionibus, hi, qui primum in collegium adſumuntur, premuntur, vt fere inidonei poſtmodum fiant, ad onera reipublicæ ferenda. Pertinet huc *concluſum der dreyen Reichs-Collegiorum de anno 1671. die Abſtellung der Miſsbräuch bey denen Handwerckern betreffend.*

(o) Nullo itaque iure pontifex ſibi poteſtatem legislatoriam in ſacris atrogauit per vniuerſum orbem Chriſtianum, quo ipſo reuera poteſtatem & imperium quoddam exercet ſingulis in rebus publicis, ſummo cum præiudicio eorum, qui illis præſunt, qui etiam ipſi ſe hiſce legibus ſubiectos profiteri debent. Et quamuis tandem per fraudes, dolos, & vim tam *apertam* quam *clandeſtinam* hanc poteſtatem ſibi *ſolitarie & priuatiue* vindicauerit, (vtut Galliæ regnum quandam prærogatiuam libertatis retinuerit) reuera tamen, vt ego exiſtimo, ſemper manſit vitium in ipſo exercitio huius poteſtatis, adeoque Proteſtantibus vitio verti non potuit, quod huic iugo ſe tandem ſubduxerint, & *poteſtatem* eius *vſurpatoriam* amplius agnoſcere noluerint, quo iugo excuſſo, per conſequentiam hanc

§. XXX. Feruntur leges ab imperante; tum vt actiones ciuium ſecundum illas dirigantur in ſalutem reipublicæ; tum vt iniqui debita coactione ad illas adſtringantur. (p)

poteſtatem, in ſacris leges ferendi, recte ſibi ipſi principes vindicarunt.

(p) Hinc duplex legis officium eſt: *directiuum* & *vindicatiuum*. Alterutrum non ſufficit; Quando lex quid diſponit, nec tamen punit & cogit, ſi contra fiat; magis *monitum* & *conſilium*, quam *lex* eſt, & hinc olim vocata fuit *lex imperfecta*. Talis dicitur fuiſſe *lex Cincia*, quæ prohibuit, ne Patronis quid daretur a Clientibus, ſed factum non puniuit. Vlpianus *in fragm. Inſtit. tit. I. §. I.* Similis fere lex fuit Valeriana, apud Liuium *lib. X, c. 9.* quæ eum, qui prouocaſſet, virgis cædi ſecurique necari vetabat; *Si quis aduerſus ea*, pergit, *feciſſet*, *nihil vltra*, *quam improbe factum adiecit*; *id* (*qui tum pudor hominum erat*) *viſum*, *credo*, *vinculum ſatis validum legis. nunc vix ſeruo ita minetur quisquam*. Facit itaque hominum malitia, quod leges debeant eſſe *armatæ*, quæ alioquin ſolo hoc vinculo, *improbe in contrarium fieri*, ſuſtineri poſſent. In legislatione Moſaica plures huiusmodi leges occurrunt, quæ coactionem externam adiunctam non habent, nec eam commode ex natura obiecti ſui, de quo diſponunt, recipiunt, atque inde magis ſunt *monita paterna*, interne vtique obligantia, quamuis contemtus eorum varias calamitates poſt ſe trahat, quo inprimis præcepta *de exercenda humanitate & amore erga proximum* ſpectant. Quod itaque lex iubet, aut vetat, *vnice* & *primario* a legislatore intenditur, non pœna, niſi in *ſubſidium*. Errant, qui legi obligationem alternatiuam adſcribunt, vt delinquens eidem ſatisfeciſſe videatur, pœnam ſoluendo. Fieret hoc modo

§. XXXI. Principalis pars, *diſpoſitiua* ſcilicet, verſatur circa actiones ciuium recte ad præſcriptum eius adornandas, vbi (I.) primario illa, quæ ius naturæ poſtulat, (q) inculcanda.

§. XXXII. (II.) Cum libertas naturalis in iis

modo diſpoſitio legis eluſoria, quia in arbitrio ſubditorum ſitum foret, vellentne ſoluere pœnam, an legi obedire. Aſt ita legislatoris voluntati nondum ſatisfit, qui non vult pœnam, ſed id, propter quod pœna a delinquente ſoluta eſt. Contingere quidem poteſt, vt lex alternatiue feratur, veluti *vt ſubditi non amplius curru vehant per plateas, aut quotannis ſoluant 10. thaleros.* Sed tales alternatiuæ leges proprie pœnales non ſunt, quia *præciſe* nihil præcipiunt, ſed tantum volunt, vt facultas, hoc vel illud faciendi, certo demum redimatur pretio, quod inſtar *tributi* eſſe videtur.

(q) Ideo respublicas ſtatui naturali præferendas eſſe, dictum ſæpius eſt, quoniam in *hoc ſtatu* legum naturalium, quæ tamen vinculum humani generis conſeruant, cultura admodum fragilis eſt, quæ in ſtatu ciuili propter accedens imperium ciuile ſuos effectus neceſſarios habent. Eo magis autem per leges ciuiles huius iuris cultura eſt inculcanda, quo magis per illam fundamenta publicæ ſalutis ſtabiliuntur & firmantur; ſicuti e contrario eo maioribus periculis respublica obnoxia eſt, quo magis a tramite iuris naturalis recedunt. Et cum homines illa, quæ iuris naturalis ſunt, pro ſuis prauis affectibus varie peruertere, & præterea in remotioribus concluſionibus nodum in ſcirpo quærere ſoleant, hinc aliquando neceſſarium videtur, lege poſitiua illa, quæ iuris naturalis, declarare.

 (r) Quan-

iis, quæ iure naturali nec præcepta nec prohibita reperiuntur, a plerisque in abuſum trahi ſoleant, (r) hæc ipſa inprimis per leges poſitiuas in ſalutem reipublicæ, quatenus huic noxia videtur, reſtringenda eſt.

§. XXXIII. (III.) Diſponendi ſunt ſubditorum animi (rr) per leges, quantum fieri poteſt,

(r) Quanta incommoda libertas naturalis in ſtatu naturali ſoleat producere, ſupra plenius expoſitum eſt, quæ ne affligant rempublicam, merito præcauendum. Hoc intuitu Appius Claudius apud Dion. Halicarn. *lib. V.* cenſuit, *nullam peiorem eſſe conſuetudinem aut ipſis rebuspubl. aut familiis, quam ſi vnusquisque ſemper pro ſua libidine viuat.* Atque adeo inprimis ius imperanti circa illam reſtringendam & determinandam concedi debet, quia homines alias ſolius honeſtatis internæ rationem non adeo habent, quæ alioquin eos impellere debebat, ne libertate hac abuterentur. *Quæ enim vnusquisque ſolus*, pergit Appius Claudius *cit. l. aut pudore proprio aut ab alio impeditus facere veretur, ea, ſi more publico recipiantur, ab eo in ſua voluntate aliorum exemplo & conſuetudine confirmato, facilius & audacius patrantur.* Sunt hæc quidem adiaphora, vti vocantur, ſed illis tamen periculoſa, qui libertatis vſum genuinum ignorant, quales plerique ſunt in republica. *Cum cupiditates vulgi ſtulti ſunt inexplebiles*, pergit rurſus Appius Claudius *cit. l. & infinitæ, earum principiis obſtandum eſt.* Sed tamen hic quoque temperamentum adhibendum eſſe, dixi ſupra *lib. I. p. Spec. c. 5. §. 29.*

(rr) Quo magis ſubditorum animi per leges conglutinari poſſunt, eo meliori ſtat respublica loco. Tyranni eſt, leges ferre ad disiungendos ciuium animos, prout feciſſe legitur Appius Claudius Decemuir, legem ferens,

eſt, ad humanitatem erga ſe inuicem exercendam, (s) quippe quæ amorem, vinculum illud pacis arctiſſimum, egregie operatur.

§. XXXIV.

rens, *ne Patriciis connubia cum plebeis contrahere liceret, non ob aliam cauſam*, vt iudicat Dion. Halicarn. *lib. X. quam ne familiis coniugii & affinitatis vinculo conſociatis ordines in concordiam coirent.*

(s) Equidem *officia humanitatis* directo per leges vix inculcari, aut pœnis homines ad hæc adduci poſſunt, interim tamen per indirectum illa, quæ maxime humanitati reſiſtere poſſunt, aut illi impedimento eſſe, recte eliminari & omnia ita diſponi poſſunt, vt homines in ſuis actionibus ad humanitatem exercendam adducantur. Sunt homines plerique *inhumani*, & niſi ratio ambitionis, auaritiæ, vel luxuriæ id poſtulat, plane alieni ab hiſce officiis, ex qua inhumanitate tamen vinculum pacis communiter multum patitur. Hic vero α) ante omnia requiritur *bonum exemplum imperantium*, quod hic potiſſimum ſubditos ad imitationem trahere ſolet. Eleganter id ipſum declarat Xenophon *in Cyroped. lib. VIII. p. m. 204. ſeq.* vbi de Cyro hoc habet: *etiam pudore ac verecundia putabat omnes magis impletum iri, ſi palam ipſe declararet, ita ſe omnes reuereri, vt nihil fœdum ac turpe nec diceret nec perpetraret*, & paucis interiectis: *nam cum vident homines eum, cui maxima facultas eſt, inſolenter agendi, modeſte ſe gerere, nolunt imbecilliores alii quidquam inſolentius palam agere.* Deinde de continentiæ ſtudio ita edifferit: *Continentiam ſic exercitatum iri à ſuis maxime putabat, ſi ipſe declararet, ſe per occaſiones oblatarum voluptatum ab iis, quæ honeſta & bona eſſent, non abſtrahi, ſed velle potius ante voluptatum gaudia laborem cum honeſtate coniunctum ſuſcipere.* Idem de decoro in ſequentibus affirmat, aiens:

iens: *neminem ibi animaduertiſſes vel iraſcentem cum vociferatione vel inſolente cum riſu gaudentem, ſed eos adſpiciens exiſtimaſſes, reapſe ad honeſti decorique normam viuere.* Mirandum eſt, barbaras gentes humaniores inter ſe plerumque fuiſſe, quam ita dictas gentes moratas. Saluianus *lib. V. de gubernat. Dei* huc prouocat, aiens: *Omnes ſe fere barbari, qui modo vnius ſunt gentis & regis, mutuo amant.* Speciatim vero de Gothis praedicat, *eam apud eos iuſtitiae conſeruandae curam fuiſſe, vt plurimi Romani & inter eos nobiliſſimi ciuis boni fruendi cauſa, e Rom. terris ad hos confugerint, quaerentes apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poterant.* Id ipſum verò legibus duriſſimis quin adſcribi debeat, non dubito. Deinde quoque β) neceſſe eſt, vt leges quoque ſuo modo huc dirigantur, vt homines humanitatem erga alios exerceant. Licet enim vel maxime officia humanitatis aliquatenus virtutem ſuam amittant, ſi legibus poenalibus iubeantur, cum *ſpontaneus affectus* illa producere debeat; in ſtatu ciuili tamen magis neceſſitatis ſunt, & ſaepe expedit reipublicae, vt ad illa ſubditi cogantur, quae ſponte facere recuſant, quod fit, ſi legibus imperantur. Sic propter ingratitudinem ordinarie non datur actio, ſed, quia ingratus magis inhumanus quam iniuſtus eſt, pudore ſuffunditur, & quidem adeo, vt magis odioſum inter homines habeatur nomen *ingrati*, quam *iniuſti*. Interim cum ingratitudo diſſidia & odia ingentia inter homines diſſeminare ſoleat, hinc Perſae poenas in ingratos poſuerunt. Ita enim Xenophon *lib. I. Cyropaed. p. 4.* de horum inſtitutis loquitur: *Iudicium dant* (Perſae) *de illo quoque crimine, propter quod inter homines odia mutua potiſſimum exiſtunt, cum poſtulationes in iudiciis de eo minime fiant, nimirum de ingratitudine. Itaque ſi quem intellexerint gratiam non referre, cum poſſit, in eum etiam valde animaduertunt. Nam ingratos homines*

inpri-

§. XXXIV. (IV.) Sicuti ambitio, auaritia & luxuria potiſſimum corrumpit & euertit rempublicam, ita legibus præſcindi debent irritamenta & occaſiones, (t) huiusmodi paſſiones irritantes.

§. XXXV.

inprimis nulla Deorum cura, nulla parentum, patria, amicorum adfici arbitrantur. Equidem Seneca *lib. III, de benef. c. 7.* multas adducit rationes, propter quas crimen hoc in legem cadere non debere arbitratur; ſed omnes magis huc vergunt, quod ita beneficium amittat virtutem ſuam, quod quidem non negatur, ſimul tamen odia & ſimultates graues inter ſubditos præcauentur. Deus ipſe, ſapiens in populo Iudaico legislator, populum iudaicum per leges varias ad humanitatem adducere voluit, id quod nunc paucis declarandum eſt exemplis. Huc reſpexit in præcepto de honorandis parentibus *Ex. XX, 12.* de ſeruo poſt ſeptennium manumittendo *Exod. XXI, 2. ſeqq. Deut XV, 12. ſeqq.* De humanitate & hoſpitalite erga extraneos exercenda *Exod. XXII, 21. ſeq. Deut. X, 18. ſeq.* de vſuris non exigendis, ſed mutuo gratis dando *Exod. XXII, 26.* de commodo alterius promouendo *Exod. XXIII, 4. ſeqq. Deut. XXII, 1. ſeqq.* De meſſe non adeo auare facienda *Leuit. XIX, 9. ſeq. Deut. XXIV, 19. ſeqq.* de vitando odio erga proximum *Leuit. XIX, 18.* de veneratione erga ſenes *ibid. 32.* de re vendenda ſecundum qualitatem vtilitatis *Leu. XXV, 14. ſeqq.* de fouendis viduis & orphanis *Deut. X, 19. XXIV, 17.* de paupertate non toleranda *Deut. XIX, 14.* de non capiendo pignore ob debitum *Deut. XXIV, 10. ſeq.* de exercenda humanitate erga bruta *Deut. XXV, 4.* de bonis alienatis ad priorem dominum reuertendis *Leuit. XXV, 25. ſeqq.* & quæ ſunt huius generis plura alia, quæ humanitatem ſingulariter commendant, & ſubditos ad eam ducunt.

(t) Quod plures reſpublicæ tot turbis agitentur, & ab

omni vnione ciuili alienæ ſint, id non raro malis legibus adſcribendum, quibus paſſiones hominum irritantur & aluntur. *Quemadmodum enim*, vt philoſophatur Polybius *hiſtor. lib. VI. c. 45. quoties in aliquo populo mores legesque laudabiles vigere exploratum habuerimus, & ciues & ipſam remp. fore laudabilem non dubitamus affirmare: ſic cum & priuatorum vitam auaritiæ deditam, & publicas actiones iniuſtas alicubi obſeruauerimus, quis dubitat merito dici poſſe, & leges apud ipſos eſſe malas, & tam mores ſingulorum quam vniuerſam rempublicam vituperabilem.* Ratio itaque naturalis præcipit, omnem materiam mali, qua ali paſſiones humanæ poſſunt, per leges, quantum fieri poteſt, exſcindi & remoueri debere. De Perſicis legibus Xenophon *lib. I. Cyrop. p. 3. in f.* ſequentia narrat: *Perſicæ leges hoc anteuertentes primum procurant, ne prorſus eiusmodi ciues ſint, qui praui alicuius fœdiue facinoris libidine ducantur*, quod quomodo perfecerint, in *ſeqq.* tradit, quæ verba ſupra *lib. I. P. Spec. c. V. §. 26.* iam adducta ſunt. Eleganter hoc demonſtrat ſimili deſumto a medicis Dn. Thomaſ. *de content. mor. cum iure ſcripto* §. 45. aiens: *Qui ægrotantes curant, operam dare ſolent, ne, quod externum ac viſibile in morbo eſt, ſaltem auferant, ſed etiam vt intrinſecam hominis conſtitutionem & intemperiem ſanguinis emendent. Alias ſi morbus reprimatur quidem, ſed non cauſa morbi tollatur, vitæ periculo ſæpe exponitur æger, morbo plerumque maiori cum violentia ac damno redeunte. Eadem eſt ratio legislatoris, ſi ſaltem prohibeat effectus vitiorum, non ſublata cauſa, id quidem efficere poteſt legibus ſcriptis, vt certa quædam vitii ſpecies omittatur, ſed mox in eius locum ſubſtituantur mores adhuc peiores prioribus.* Certe legislator diuinus optime omnium hoc obſeruaſſe videtur, cum plures leges vbique occurrant, quæ irritamentis harum paſſionum obicem ponunt, quo pertinet lex de non exercendo fœnore *Exod. XXII, 25.* Apud Romanos quoque huius rei ratio habita fuit. Sic enim

Taci-

§. XXXV. (V.) Interim in legibus ferendis *imbecillitatis humanæ* ratio habenda eſt, ne *nimis amare* (u) omnia exigantur.

§. XXXVI.

Tacitus *lib. VI. annal. Vetus Vrbi fœnebre malum, & ſeditionum diſcordiarumq. creberrima cauſa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus.* Huc quoque pertinet lex diuina de muneribus ſpernendis *Ex. XXIII,* 8. de delectu in cibis habendo, quibus luxuria & libido potisſimum irritatur *Leu. III. 17. 19. ſq. Leu. XVII. 10. ſeqq. Num. VI. 3. ſeqq.* De Neruiis transrhenanis populis Cæſar *de B. Gall. lib. 2. c. 15.* refert: *nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus, nihil pati Vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relangueſcere animos, eorumque remitti Virtutem exiſtimarent.*

(u) Exemplum ipſe Deus præbuit in legislatione ſua, qui in multis ſe accommodauit ad genium populi, vnde fere omnes leges ceremoniales profluxiſſe videntur, ceu optime demonſtrat Io. Spencer *de LL. Hebr. ritual.* Sic etiam leges de *diuortio, polygamia* &c. reuera ex eadem ratione latæ videntur, quin quod ipſe ſaluator diſerte aſſerat, hæc Moſen tantummodo indulſiſſe populo ob σκληροκαρδίαν. Leges Platonis contra hoc præceptum vbique peccaſſe videntur. Vnde eas ridet Athenæus *lib. II. dipnoſ. c. 22. quod iis præſcripta ſint, quos imaginatione finxerit, Vt qui legibus illis pareant, perquirendi ſint.* Neſcio vero, vtrum hæc indulgentia legislatoris tam late ſit extendenda, vt etiam, quæ contra ius naturæ ſunt, legibus permitti, & ſuo modo legitimari posſint. Talem legem reperio apud Ægyptios, de quibus Diodorus *lib. I. bibl. p. 72.* hæc refert: *Iusſit lex eos, qui Volunt hanc artem* (furandi) *habere, nomen profiteri apud præfectum furum, & e Veſtigio furtum ad eum ex pacto referre. Eos Vero, qui amiſerunt, ſimiliter ſcribere, quæcunque amiſſa ſunt, additis*

§. XXXVI. Dirigunt leges actiones ſubditorum omnium, qui ſunt in illo diſtrictu, & ſic Clerici (x) nullo iure ſe huic ſubiectioni ſubducere poſſunt.

§. XXXVII.

ditis loco, die, & hora, qua perierunt. Hoc modo cunctis facile repertis neceſſe erat, eum, qui amiſerat, ſoluta quarta parte pretii, ſua ſola habere. Rationem vero legis hanc reddit: *cum fieri non poſſet, vt omnes a furto abſtinerent, viam legislator inuenit, qua quicquid amiſſum fuerat, ſeruaretur; exigua data redemtione.* Ceterum de ſingulari Dei indulgentia, ad genium populi duriſſimi ſe accommodantis ita iudicat doctiſſ. Clericus *in Pentateuch. Exod. XXV. 10. Niſi Deus συγκαταβάσει ſingulari legem aptaſſet indoli Hebræorum, hoc eſt, opinionibus & conſuetudinibus inter eos dudum receptis, non aliam tuliſſet, quam quæ poſtea a Chriſto lata eſt; omiſſisque illis infirmis elementis ad perfectiora omnia Hebræorum animos erexiſſet. Deus, qui idem eſt hodie atque heri, eodem modo coli illo tempore ſe voluiſſet, ac poſtea iuſſit. Verum cum in plurimis deſcenderit ad abiectos & humiles Iſraelitarum animos, propter eorum σκληροκαρδίαν, in hac quoque re receptis ritibus eos vti paſſus eſt, vt in ceteris omnibus, in quibus nulla naturalis honeſtas, nihil ſpiritali numine dignum, nihil mortalibus proficuum deprehenditur.*

(x) Equidem clerici eccleſiæ Romanæ exemtionem a legibus ciuilibus cuiuscunque reipubl. prætendunt, ſed ſatis impudenter. Cum enim in republica viuant, ſunt quoque ſubditi illius reipubl., vbi commorantur, & ſic ſe accommodare debent ad leges reipublicæ. Præter rationem iuris antiqua praxis omnium fere rerumpublicarum hoc inculcat, imo & primitiuæ eccleſiæ, nec ab hac ſententia alieni fuiſſe videntur ipſimet patres, ceu docet Arniſæus *de ſubiect. & exemt.*

cleric.

§. XXXVII. Quin etiam extranei per indirectum legibus alterius territorii poſſunt ſubjici, ſi bona ibidem ſita habeant, circa quæ leges diſponunt. (y)

§. XXXVIII. Sic itaque ipſius imperantis actiones aut bona legibus illis haud ſubiacent, (z) quam-

cleric. c. 3. n. 2. ſeqq. Veſtigia adhuc plura ſuperſunt in iure Canonico, quæ oſtendunt, olim clericos ſe ſubiectos imperio ciuili agnouiſſe. Sic Gregorius M. in c. 41. C. 11. q. 1. vult, vt imperatores ſacerdotibus ita dominentur, vt tamen debitam iis reuerentiam impendant, quo ipſo ſubiectionem clericorum non negauit. In Concilio Carthaginenſi III. poteſtati ſeculari non omnino clerici exemti leguntur vid. c. 45. ibi Alia huius rei documenta ex Ambroſio adduxit Gratianus in c. 27. ſeq. ibid. Plenius hoc thema perſecutus eſt Dn. Coccei. diſſ. de fundata in territ. & pl. loc. concur. poteſtate c. 3. per tot.

(y) Summum imperium fundatum eſt in perſonas & bona intra eius limites ſita, vt leges de iis ferri, & per conſequens poſſeſſores ad illas adſtringi posſint, ſiue ibidem deprehendantur ſiue non. Atque ſic (I.) imperans poſſeſſores lege publica lata adſtringere poteſt ad homagium quoddam, quemadmodum contingere ſolet in iis locis, vbi *Landſaſſiatus* eſt receptus, de quo vid. Schilter *pecul. diſſ.* (II.) Et quia itaq; territorii iurisdictio in bona illa fundata eſt, conveniens eſt, vt etiam extranei ratione bonorū illorum forum ibidem ſortiantur: ſicuti etiam (III.) ratione bonorum illorum ad quæuis onera, ex bonis reipublicæ præſtanda, obligantur &c.

(z) Videlicet α] ſibi legem imperans præſcribere noluit; ſed ſubditis, β] leges præſcribuntur *vi imperii*, & quidem *ſubditis*. Imperans autem ſibimet ipſi non eſt ſubdi-

quamuis ſecundum regulas prudentiæ (a) legibus quoque ſuis viuere debeat.

§. XXXIX.

ſubditus. γ) ceſſat in imperante obligatio ad leges ſeruandas, quæ vnice fluit ex *ſubiectione*. Loquor de legibus mere ciuilibus, ſiue de vi *coactiua*, ſiue *directiua*, vti quidam diſtinguunt, ſermo ſit. Naturalibus vtique ligatur, vti in *part. ſpec. lib. I. c. 5.* oſtenſum eſt, & ſic vi huius iuris aliquando per indirectum ad leges reipublicæ ſpeciales obligatur, ſi ſub auſpicium regni ſubditis promiſit, quod has vel illas leges etiam in ſua perſona valere velit.

(a) Hoc ipſum apparet ex iis, quæ dicta ſunt ad §. 3. *huius cap.* quod exemplum principis plus proficiat, quam infinitæ leges. Non rectius leges in obſeruantiam deduci poſſunt, quam ſi princeps ipſe ſecundum eas viuat, quo in ſenſu Theodoſius & Valent. in *l. 4. C. de LL.* dixerunt, *dignam vocem eſſe maieſtate regnantis*, h. e. vtile & conſultum maxime eſſe, *legibus alligatum ſe principem profiteri*, vel vt dicitur in *l. 23. ff. de leg. 3. Decet* (h. e. non quidem ex regulis *iuſtitiæ* obligatur; bene tamen ex regulis *decori* & *prudentiæ*) *tantæ maieſtati, eas ſeruare leges, quibus ipſe* (ex regulis iuſtitiæ) *ſolutus eſſe videtur.* De Ageſilao refert Xenophon *in Orat. de eod. p. m. 668. edit. Francof.*, quod quamuis in republica ſe plurimum poſſe ſciret, maxime tamen ſe legibus ſeruire declarauerit. *Nam*, inquit Xenophon, *quis tandem obedire his noluiſſet, cum eis regem obtemperantem videret?* Jacobus Rex Angliæ *Orat. V. fol. 547.* de ſemet ita: *Vbi meum agebatur patrimonium, rem foro permiſi, vt vnus è multis: nec iniuria, cum regem deceat ad legum obedientiam ſuo exemplo ceteros inuitare.* Et huc pertinent verſus Claudiani elegantes ad §. 3. *h.* ſupra adducti, & alterius Poëtæ, qui ita canit:

Nam nihil, vt verum fatear, magis eſſe decorum

Aut

§. XXXIX. Vt autem ſubditi ſecundum illas leges actiones ſuas dirigere & inſtituere poſſint, neceſſaria eſt promulgatio (b) & quidem

Aut regale puto, quam legis iure ſolutum
Sponte tamen legi ſeſe ſupponere regem.

(b) Promulgatio eſt illud medium, per quod voluntas imperantis ſubditis innoteſcit, atque adeo demum lex obligat poſt promulgationem, niſi tempus quoddam præſtitutum ſit, a quo lex obligare debeat. Conf. Petrus de Marca *de Concord. ſacerd. & imp. lib. 2. c. 15.* Modus publicandi arbitrarius eſt. communiter *ſcriptura* adhibetur, non tamen neceſſario, ſicut Romani plures leges antiquitus tulerunt, *quarum maxima pars nullis ſcriptis eſt mandata, nonnullæ etiam ſunt ſcriptæ*, vt ait Dion. Halicarnaſſ *lib. II.* Quæ ſcriptæ ſunt, olim apud Romanos publice in foro proponebantur, vti in ſpecie *de LL. XII. Tabb.* conſtat. Apud Athenienſes in *tabulis quadratis* ſcribebantur, quæ vocabantur *κύρβεις*. Suid. *hac voc.* vel etiam *ἄξονες*. Iulius Pollux *lib. VIII. c. 10.* Horum morem poſtea videntur imitati Romani, vnde & leges publice promulgatæ, *XII. Tabularum*, vocatæ ſunt. Quin etiam apud Græcos leges *cantari* ſolitæ fuerunt, forſan antequam mos leges tabulis inſcribendi inoleuiſſet. Ita enim Ariſtoteles *Sect. 19. probl. 28. Cur leges pleræque cantilenæ appellantur? An quod homines priusquam literas ſcirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent, quod etiam noſtra ætate Agathyrſis in more eſt.* Germani idem medium conſeruandi leges habuiſſe videntur: nam refert Tacitus *de Morib. Germ. c. 2.* quod *carmina apud illos vnicum memoriæ & annalium genus ſit*, & tamen leges ſuas habuere, licet forſan paucas. Imo licet vel maxime apud Romanos leges XII. Tabb. publicis tabulis proſcriptæ eſſent, tamen a pueris mandari itidem ſolebant memoriæ, teſte Cicerone *lib. 2. de LL.* ibi: *a par-*

dem in tali lingua facienda, quam intelligere poſſunt ſubditi. (c)

§ XL.

uis enim, Quinčte, didicimus: ſi in ius vocat atque eat, & eiusmodi leges alias nominare. & deinceps: *Diſcebamus pueri XII, vt carmen neceſſarium.* Poſt vbi ſcribi cœperunt, publicatio facta eſt per *prælectionem*, tradebantur a ſummo cancellario, epiſcopis & comitibus, vt eas in ſuis diœceſibus & comitatibus recitari procurarent. Ita enim *Capit. Ludov. P. anno* 823. *lib.* 2. c. 24. *In ſuis comitatibus coram omnibus relegant, vt cunctis noſtra ordinatio & voluntas nota fieri poſſit.* ex quo concludit Schilter *in Præf. ad Ius Allem. feud.* §. 10. capitula talia non in alia lingua promulgari potuiſſe niſi vernacula, quia ſic finis haud potuiſſet obtineri.

(c) Finis promulgationis eſt, vt leges in cunctorum ſcientiam veniant, & ita quoque promulgatio huc debet eſſe directa, quemadmodum olim verba ſolemnia edictorum id indicabant: *Vnde de plano recte legi poſſit.* Briſſon. *de formulis lib.* 3. *p. m.* 324. non vero eo modo, prout, referente Suetonio, Caligula fecit, qui legem propoſuit minutisſimis literis & anguſtisſimo loco, vti ne cui deſcribere liceret, multo minus legere. Obſeruarunt hoc Imperatores Valentinianus & Martianus, qui in *l.* 9. *C. de LL.* ita diſpoſuere: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſo præſcripto earum manifeſtius cognito vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur.* Quo poſito, id quod quidem recta ratio dictitat, valde incongruum eſt, leges in *peregrino idiomate* in republica introducere, prout in noſtra republica id contingit, vbi leges Romanas, Longobardicas & Pontificias latino idiomate ſcriptas habemus, quas paucisſimi intelligere poſſunt, de qua peruerſa ratione ita iudicat Ioh. Ludouicus Praſchius *de ICto vero & perſonato* §. 17. *Omne*, ait, *ius eatenus obligat, qua intelligitur;*

nec

§. XL. Hunc in finem quoque quælibet lex clara eſſe debet, vel ſi nimis obſcura ſit, ius declarandi & interpretandi *authentice* (d) eſt itidem penes imperantem.

§. XLI. Interim his, qui iura docent & illuſtrant, aut ſecundum illa iudicant, non erit ademta facultas, ſenſum ex legibus eruendi ſecundum probabiles coniecturas, (e) cum absque

nec lex habetur niſi promulgata, niſi ad notitiam hominum ſufficienter atque adeo lingua vernacula remigio deducta. Caligulæ crimini datur, quod leges minutisſimis literis præſcriptas anguſtisſimo propoſuerit loco, ne poſſent legi. Quantum intereſt, minutis an peregrinis lex ſit ſcripta literis? Notabilis profecto incuria tum neſcientium ius, quo viuunt, tum voluntatem ſuam ſciri ab omnibus non deſiderantium, nec facientium in foro, quod in eccleſia nonnulli faciendum ſibi putauerunt.

(d) Quilibet eſt optimus ſuorum verborum interpres, & ſic etiam legiſlator, præſertim ſi legis ſententia adeo dubia ſit, vt commode intelligi nequeat. Et hæc declaratio ſeu interpretatio ſolet alias dici *authentica*, habetque eandem virtutem, quam lex ipſa, quia ita imperans ſenſum legis declarat. Cui ergo ius ferendarum legum conceſſum, illi quoque ius leges authentice interpretandi haud denegandum. Quin etiam legiſlator collegio cuidam hanc poteſtatem delegare poteſt, vt interpretatio eorum in caſibus dubiis authentica habenda ſit, prout in Concilio Tridentino congregationi Cardinalium hoc negotium delatum eſſe conſtat, & olim ſuo modo ICtis, quibus per ſpeciale beneficium hoc ius datum erat, quamuis an prudenter hoc ita fiat, merito ſubdubitem.

[e] Doctrina iuris non eſt ſine *legum interpretatione*, imo tota in ea conſiſtit, cum verba tenere non ſufficiat,

 ſed

abſque hoc medio interpretandi iura nec doceri nec applicari valeant.

§. XLII. Ex quo oritur conceptus iurisprudentiæ, conſiſtentis in habitu leges legitime intelligendi, & applicandi (f) & qui hoc habitu præditi ſunt, ICti vocantur.

§.XLIII.

ſed potius *vis* & *poteſtas* eruenda. Atque hinc in finem *ſolent* ICti conſtitui, qui caſus dubios ſua interpretatione reſoluant, ne vbique recurratur ad imperantem. Dico, quod *ſoleant* conſtitui. Alia quæſtio eſt, an conſultum ſit, illos conſtituere. Feliciores Germani fuerunt, vbi ICtos non nouerant. Romanas leges corruperunt ICti. Audi Ciceron. *Orat. pro L. Muræn. cum permulta*, ait, *præclare legibus eſſent conſtituta, ea ICtorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata ſunt.* Sufficere poſſent *iudices*, quibus eſſet interpretatio committenda, quid enim aliud eſt *iudicare quam leges ſingulis caſibus interpretando applicare:* vid. Hobbes *de ciue c. 14. §. 13. in f.* Verum hæc interpretatio a priori adhuc differt, quod non ſit *authentica*, adeoque *probabilitatem* tantum operetur, nec liget iudicem, vt ſecundum illam præciſe iudicare debeat, quamuis iudicis interpretatio, quæ in ipſo iudicando ſeſe exſerit, in illa lite, de qua ius dicit, ius perfectum conſtituat.

(f) Leges ſunt propter applicationem; hæc vero aliter fieri nequit, niſi quis vim & poteſtatem legum, h. e. genuinum earundem ſenſum, intelligat. Optime Cicero orat. *pro A. Cluentio p. m. 385. lit. A. Legum miniſtri, magiſtratus; legum interpretes, iudices.* Atque adeo omnis Iuriſprudentia duabus partibus abſoluitur: (I.) *legum intellectu*, quæ ſi naturales ſunt, demonſtratione opus eſt, prout ſupra dictum; ſin poſitiuæ, ex rationibus propriis ſeu ciuilibus eruendæ. Neque enim fertur lex abſque *ratione*, licet hæc ſæpe no-

pe nos lateat, qua tamen inuenta, lex demum recte intelligitur. Præſtitit hinc ſingularem operam & induſtriam Io. Spencer. in euoluendis variis rationibus *legum ritualium Moſaicarum*, vtut in tanta rerum obſcuritate facile fieri potuerit, vt falſas pro veris adduceret, quod tamen ei facile condonari poteſt. Simile inſtitutum fuit doctisſimi Clerici, qui in *Comment. ad Pentateuch.* rempublicam iudaicam variis antiquitatum deliciis exornauit, legesque Moſaicas miro iudicii acumine ex rationibus hiſtoricis illuſtrauit explicuitque. Quantam induſtriam Iacobus Gothofredus in commentariis ſuis ad Codicem Theodoſianum attulerit, eruditi norunt, vbi ſane egregium interpretem egit, quod rationes legum ex circumſtantiis hiſtoricis deduxerit. Eſt enim hiſtoria legum quaſi primus aditus & via ad ſenſum earundem inueniendum. (II.) *LEGUM APPLICATIONE*, circa quam notandum α] *ipſum factum*, vt illud ex ſuis circumſtantiis rite cognitum ſit, & quia ICto impoſsibile eſt, vt omnia negotia, quibus ius applicandum, ipſe per ſe ſatis calleat, peritiorum in illa arte iudicio & ſuggeſtione ſtare debet. Et hoc ſenſu ICtus aſſumit vulgatum illud, *quod peritis in ſua arte credendum.* vid. *diſſert. prælim. ad Petrum de Marca de Concord. ſacerd. & imp.* β] *modus applicandi.* Exſerit autem ſeſe applicatio vel *conſulendo* ſeu *cauendo*, vel *iudicando*, vel advocando ſeu cauſas in iudicio perorando & iura litigantibus ſuggerendo. In quibus omnibus ICti officium verſatur. Exemplo eſſe poteſt Seruius Sulpicius, de quo Cicero *in Philipp. X. p. m. 900. lit. f. g.* inter alia ita loquitur. *Neque ille magis ICtus, quam iuſtitiæ fuit, itaque quæ proficiſcebantur a legibus & a iure ciuili, ſemper ad facilitatem æquitatemque referebat, neque conſtituere litium actiones malebat, quam controuerſias tollere.*

§. XLIII. Quod porro dictum eſt, actiones ſubditorum dirigi per leges ciuiles, hoc intelligendum eſt [I.] *de actionibus externis*, non *internis* (g) *animi motibus*.

§. XLIV. (II.) *De actibus voluntatis*; quæ ad intellectum [h] & credenda ſpectant, lege imperari

(g) Hinc cogitationum pœna *ciuilis* non eſt, tum quod per illas haud turbatur tranquillitas & vnio reipublicæ, tum quia in poteſtate legislatoris non eſt, per leges internos animi motus ad rectitudinem dirigere, id quod ſanctioris philoſophiæ opus. Sunt ciuitates *cœtus hominum iure ſociati*, ut ait Cic. *in ſomn. Scip.* qualis ſocietas potisſimum externe ſeſe exſerit, actionibusque externis contrahitur, exercetur, firmatur. Equidem in legibus ſuo modo habetur ratio internorum motuum, veluti *bonæ & malæ fidei*, *ſcientiæ*, *ignorantiæ*, *doli*, &c. ſed notandum eſt, hos reſpectus verſari ſemper circa actus externos, quatenus ex illis quis actiones ſuſcepit vel peregit, vel neglexit, quales externæ actiones diiudicantur ex ſuis principiis. Aliquando etiam *ſcientia nuda* punibilis eſt, quatenus ex illa quis ad aliquid faciendum vel patefaciendum obligatus fuit, neque tamen fecit, quod tamen reipublicæ ſalus poſtulabat, nam & *non facta* ſub *factis* in moralibus comprehenduntur & puniuntur.

(h) Actiones hominum externæ fluunt ex voluntate, & cum illæ ſint tantum legum obiectum, *voluntas* potisſimum, non vero *intellectus* ſub legum directione eſt. Sic itaque imperari ciuibus per metum pœnæ nequeunt *doctrinalia* ſeu *credenda*, h. e. ut præciſe ſuos conceptus inſtituant ad præſcriptum imperantis, id enim nec in poteſtate legislatoris eſt, neque eousque voluntatem ſuam ei ſubmiſerunt, vt etiam credere velint,

perari nequeunt, niſi vt hactenus, quænam doctrina publice doceri tantum debeat, *ciuilis pacis cauſa* (i) determinetur.

§. XLV. (III.) *De negotiis futuris.* (k) Præterita ordinarie non iudicantur lege ſubſequente, niſi *ex iuſta cauſa* (l) lex expreſſe ad negotia pendentia tracta fuerit, quamuis pœna legi addita nunquam ad præterita applicari debeat.

§. XLVI.

---

velint, quæ ipſe in credendis præſcribit. Quæ credenda ſunt, alia methodo indigent, vt homines ad illa perducantur, & inde ſi vel maxime a principe proponantur, magis *dogmata*, quam *leges* ſunt, vel ſaltem publicam doctrinam reſpiciunt.

(i) Hoc infra plenius *cap. V. §. 24.* enucleabitur.

(k) Hæc regula ſicuti naturalis eſt, ita tam in Cod. Theodoſiano quam Juſtinianeo ſæpe ejus iniicitur mentio. Siue enim lex aliquid prohibeat ſub *nullitatis*, ſiue alia *pœna*, illa nullo modo applicari poteſt ad eum caſum, qui delictum non continet, qualis eſt omnis actus ante legem ſuſceptus. Optime Cato Vticenſis apud Jac. Gothofr. *ad l. 3. C. Theod. de conſtit. Princ. Neq; enim definiri facile, quousque extendere ſe debeat in præterita inquiſitio: & ſi novæ ſtatuantur ante commiſſum pœnæ, fore ut inique cum iis agatur, qui punientur ex lege, quam nec violarunt, nec ex parte læſerunt.*

(l) Ex gravi cauſa contingere poteſt, vt lex ad *præteritas* vel adhuc *pendentes* cauſas transferatur, (id quod tamen legislator in lege ſua expreſſe cauere debet, alias ſubſiſtendum in regula) vel quod hactenus negotia quædam ſecundum mores incertos & ambiguos fuerint deciſa, qui ex poſt facto per leges ſpecialius determinati ſunt, quia ſic tantum mores magis de-

 claran-

§. XLVI. (IV.) *De negotiis iure naturæ non ſatis vel plane non determinatis.* (m) Eatenus enim legis ciuilis nomen ſtricte meretur.

§. XLVII.

clarantur, antea dubii & obſcuri, ſicuti lex dubia, poſtea declarata, recte ad præterita trahitur: vel quod ſalus publica id poſtulet, de qua arbitratur legislator. Id vero impium & iniuſtum eſt, ſi hoc medium, protrahendi leges ad cauſas præteritas, in fraudem & detrimentum aliorum adhibeatur, quale exemplum recenſet Procopius *in anecdotis n. 519.* occaſionem referens introductæ *centenariæ præſcriptionis* contra eccleſiam, in quo quidem defendere conatur Juſtinianum Jo. Eichelius *in animadu. ad anecdot. cit. l.* Verum fraus manifeſtisſime ex ipſis legis verbis finalibus perſpicua eſt, ita enim in *l. 23. C. de SS. Eccl. in f.* dicitur: *Hæc autem omnia obſeruari ſancimus & in his caſibus, qui vel poſtea fuerint nati, vel iam in iudicium deducti ſunt*, quæ clauſula oſtendit, Procopium ſatis veroſimilia enarraſſe, legemque illam vnice latam fuiſſe in fraudem eorum, a quibus eccleſia Emeſſena fraude Priſci aliquid petebat.

(m) Quæ legislator ciuilis ex iure naturæ in lege ſua repetit, promiſcue quoque legis ciuilis nomen adſumunt propter publicam ſanctionem, ſed propterea vim ſuam & poteſtatem propriam non deponunt, vnde non *ex mera voluntate legislatoris probabili*, vti leges ciuiles ſtricte dictæ, ſed *ex propria naturali ratione* interpretationem & quidem *per demonſtrationem* accipiunt. Sed plura ſunt adhuc determinanda circa leges naturales, quæ in plurimis indefinita ſunt, & hoc intuitu *additamentum ciuile* accipiunt. Sic (I.) legis ciuilis eſt, legi naturali ad maiorem eius obſeruantiam, quam facile homines negligunt, *addere ſanctionem pœnalem*, quam ius naturæ non determinat: (II) *determinare perſonas*, quæ actum aliquem in republ. ſuſcipe-

re,

§. XLVII. Pars altera legis *vindicatiua* conſiſtit in *obligatione coactiua*, ſine qua, quicquid in lege diſpoſitum eſt, effectum ſortiri nequit. (n)

§.XLVIII.

re, quæ ab illo repelli debeant. Hac determinatione facta, ſequitur, vt actus hic a perſona prohibita ſuſceptus legi naturali, quæ perſonas non determinat, non amplius ſubiaceat. (III.) *Addere negotiis in republica agendis certam formam*, ſub qua itidem præciſe peragi debeant: lex enim naturalis modum non determinat, ſed legislatoris arbitrio relinquit. Quamuis itaque lex naturæ aſſerat, pacta eſſe ſeruanda, tamen poſtquam legislator certum modum formamque pactis præſcripſit, non amplius pro pactis in republica haberi poſſunt, quæ forma præſcripta deſtituuntur. Atque hæ *determinationes iuri naturali ſuperaddita*, ſunt proprie *leges ciuiles*. His illæ leges accedunt, quæ negotia in mera libertate poſita, ſeu adiophora determinant, prohibent, vel præcipiunt. Ex quo tamen cum Hobbeſio non concludendum, quod fieri non poſſit, vt lex ciuilis iuri naturali repugnet; nam plura ſatis certe determinata in iure naturæ occurrunt, qu[illegible]iter in genere definirentur, iuri naturali co[illegible]um diſponeretur. Audiamus Ciceronem *lib. I. de LL.* vbi ita: *Jam vero ſtultisſimum illud, exiſtimare, omnia iuſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis aut legibus. Etiamne, ſi quæ ſint Tyrannorum leges, ſi triginta illi Athenis leges imponere voluiſſent? aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iuſtæ haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noſter tulit, vt dictator, quem vellet ciuium, indicta cauſa impune poſſet occidere. Eſt enim vnum ius, quo deuincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit vna.*

(n) Cum hominum voluntates ſemper in vetitum nitantur

§. XLVIII. Obligatio coactiua varie ſeſe exſerit. Nam (I) aliquid præcipitur vel prohibetur *ſub metu pœnæ proprie dictæ.* (o)

§. XLIX. Præterea (II.) leges diſponunt *ſub metu*

---

tur, vinculum adſtrictius legi addendum eſt, ne diſpoſitio legis fiat eluſoria. Pertinet autem hæc pars ad leges proprie dictas, non vero ad nuda *monita, dogmata* & *conſilia*, quæ *leges proprie dictæ* non ſunt, licet legislator, vt quandoque fieri ſolet, in legislatione ſua illorum mentionem fecerit.

(o) Pœnalis obligatio eſt arctiſſima & de voluntate legislatoris *præciſe* ſeruanda indicium præbet, quam qui contemnit, contra fidem principi datam & ſubiectionis rationem & conſequenter contra Deum quoque peccat. *Rom. XIII.* Hæc obligatio tamen ſemper intelligi debet ſub clauſula, *ſaluo iure Dei, ſeu obligatione Deo debita*, quod optime obſeruarunt obſtetrices Ægyptiacæ & Daniel. *Dan. III. 6.* vt & Apoſtoli *Act. V.* 29. ſed de hac materia infra *lib. III.* agendum erit. Peccant autem ſubditi contra legem non tantum *aperte* & *directo*, ſed vt plurimum *occulte*, quando *in fraudem legis* aliquid faciunt, & mentem legis [illegible]ueniunt. De huius farinæ hominibus apprime Plautus:

Rogitationes plurimas propter vos populus ſciuit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam
Quaſi aquam feruentem frigidam eſſe: ita vos putatis leges.

Applicat hoc ad leges circa vſuras Tacitus *lib. VI. annal.* aiens: *multis plebiſcitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ miras per artes rurſum oriebantur.* Quæ vero fraudes hic commiſſæ ſint, eleganti exemplo docet Liuius *lib. XXXV. c. 7.*

(p) Talis

metu irriti ſeu nullitatis, (p) hoc effectu, vt in foro externo omnis denegetur aſſiſtentia; qui tamen contra eiusmodi leges facit, non ſemper reatum in conſcientia committit.

§. L. Neque tale negotium, quod ob deficientem formam nullum eſt, aliquam efficaciam conſequitur ex *accedente iuramento*, (q) quod ſequitur naturam actus, cui accedit.

§. LI.

(p) Talis effectus legis potiſſimum ſeſe exſerit, quando forma peculiaris in lege præſcribitur, ſub qua actus præciſe peragi debeat, qua omiſſa, actus pro non facto habetur *ciuiliter*. Ex quo fit, vt qui ſolennia non adhibet, modo contemtus legis abſit, non peccet in conſcientia, ſed *nihil*, imo *imprudenter* egiſſe cenſeatur; niſi præterea alia pœna in contemtores ſtatuta fuerit, quæ magis ſtringit. Qui non adhibet ſolennia negotii, ſibi tantum nocet, & imprudenter agit, ſed neminem præterea lædit. Alia autem quæſtio eſt, an ille, qui defectum ſolennium allegat, & a negotio reſilire vult, quandoque contra regulas decori & honeſtatis agere poſſit, dum quidem alteri haud facit iniuriam, qui ſibi imputet, quod non debito modo egerit, ſed propterea non ſemper in conſcientia tutus eſt, id quod ex eius intentione æſtimandum. Volunt enim communiter, eum qui non obſervatis debitis ſolennitatibus aliquid promiſit, eſſe naturaliter obligatum, ſeu inſpecto ſolo iure naturali, ex quo ICti Romani varias deduxere concluſiones.

(q) Iuramentum eſt oratio acceſſoria, ad maiorem fiduciam alteri, quocum agitur, ingenerandam inuentum. Debet ergo negotium validum eſſe. ſi non valet per ſe, nec iuramentum valet, quod, quia acceſſorium eſt, præſupponit principale valere. Et hoc quoque a-

 gnouere

§. LI. Quodſi tamen lege publica (r) iuramento noua vis conceſſa fuerit obligandi, valent hactenus actus alias irriti, ob vinculum iuramenti, neutiquam vero illi, qui abſolute & ſub pœna prohibiti. (s)

§. LII. Vel denique (III.) aliquid iniungitur *ſub comminatione facienda reſtitutionis vel coactionis iudicialis* ad id, quod alteri, quomodocunque in commerciis hominum debetur. (t)

§. LIII.

gnouere leges ciuiles in *l. 5. C. d. LL.* Quod Pontifices contrarium diſpoſuerint ſub prætextu metuendi periurii, id in fraudem legum ciuilium factum eſt, quia eo ipſo modus a lege præſcriptus eluſorius, & diſpoſitio ciuilis inanis reddita eſt, id quod potiſſimum Clerici intendiſſe videntur.

(r) Non conſultum tamen eſt, hanc efficaciam iuramento tribuere, quia α) per indirectum diſpoſitio & obligatio ad legis præſcriptum ſeruandum inanis fit, β) ad multiplicanda iuramenta anſa præbetur, quibus parciſſime vtendum erat, id quod praxis quotidiana oſtendit, poſtquam ius Canonicum hoc in paſſu retinuimus, γ) in fraudem legis vt plurimum ibi etiam adhiberi ſolet, vbi adhiberi non debebat, quæ incommoda & alia plura euitantur, ſi iuramento nulla noua vis tribuatur.

(s) Si contra legem *præciſe prohibitiuam* iuramentum valeret, vinculum iniquitatis fieret, & operaretur, vt quis impune poſſit contra voluntatem principis facere. Proinde ſedulo animaduertendum eſt, an prohibitio legis ſit *abſoluta* & *præciſa*, an vero tantum aliquid diſpoſitum in fauorem eius, quem lex reſpexit, vt tamen eius libero relictum ſit arbitrio, an iure ſuo vti velit nec ne?

(t) Exſerit potiſſimum hic effectus ſeſe in commerciis humanis

§. LIII. Quicquid ita lege ciuili non eſt determinatum, neque iure naturæ prohibitum, id *iure* (u) fieri dicitur, & ſic in foro externo attendendum.

§. LIV. Determinatur tamen hoc ius, quod libertatis vocatur, etiam lege ciuili, (x) vt quatenus ſubditi illo vti posſint, conſtet, nec eo abutantur in perniciem reipubl.

§. LV. Sicuti vero imperantis arbitrio relictum, quatenus & quousque obligatio legis ſeſe exſerere debeat; ita quoque penes imperantem

manis, vbi quilibet ſuum intereſſe priuatum perſequitur, nam ibi legum obligatio potisſimum in eo ſe exſerit, quod mediante iudiciali executione quis posſit cogi ad ſatisfaciendum alteri, qui aliquid exigit. Ne autem lites in infinitum excreſcant, ad quas homines alias proni ſunt, recte limites eisdem ponit legislator determinando, quando & quatenus & ex qua cauſa & denique quousque actio ſit concedenda.

(u) Supra *P. gen. c. 1. in f.* iam eſt notata diſtinctio inter *legem* & *ius*, quæ hic ſuo modo recte applicantur. Qui ædificat in ſuo, tamdiu iure egiſſe videtur, donec oſtendatur, quod libertas ædificandi hoc paſſu fuerit ademta.

(x) Huc pertinet, ius agendi determinare ad certum tempus, reſtringere libertatem ad hunc vel illum locum & tempus &c. Inde ad differentiam illorum negotiorum, quorum libertas lege ciuili eſt reſtricta, reliqua *indefinita* dicuntur, *res mere facultatis naturalis*, quæ iuxta libertatem naturalem peraguntur, nec limites legum ciuilium habent, vt ſunt, ire per viam publicam, ad hoc vel illud molendinum, altius ædes tollere &c.

(y) Si

rantem erit, quoſdam (y) ab obligatione legis eximere.

§. LVI. Hoc intuitu imperanti ſoli competit ius concedendi *priuilegia*, (z) quamuis ad offici-

(y) Si poteſt imperans in totum tollere legem, cur non etiam quoad certas perſonas? Verum non dubium eſt, quin etiam hæc libertas eximendi aliquos ab obligatione poſſit lege reipubl. fundamentali vel ſuo modo reſtringi vel in totum aboleri, in qualia pacta dum imperans ſub auſpicium regiminis ſui conſentit, inde obligatur. In LL. XII. Tabb. reperitur hæc lex: *priuilegia ne irroganto*, cuius rationem hanc Cicero pro domo ſua affert, aiens: *Vetant leges ſacratæ, Vetant XII. Tabulæ, leges priuatis irrogari. Id eſt enim priuilegium, quod nemo Vnquam tulit, quo nihil crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre poſſit.* Videlicet ſtatus *democraticus* inprimis æqualitatis conſeruationem inter ciues deſiderat, ad quam obtinendam nullum aptius medium eſt, quam vt omnes inter ſe *æquali iure* fruantur; cum autem per priuilegia recedatur ab illa æqualitate, paucorum libertas laxetur, ceterarum reſtringatur, cum tamen omnes libertatis deſiderio trahantur, non poſſunt non inde odia, inuidiæ, diſſenſiones & æmulationes inter ciues oriri, quæ vnioni ciuili e diametro aduerſantur. Verum exſurgente poſtmodum ſtatu *Monarchico*, & ſuppreſſa libertate ciuium Romanorum, priuilegiorum dandorum vſus quoque in republ. romana ſeſe exſeruit, qui ad hunc ſtatum aptior eſſe videtur, quo minori libertatis vſu ſubditi in illo gaudent.

(z) Priuilegia quoad certam perſonam legem mutant, vel tollendo vel detrahendo. Magiſtratui ergo ſubalterno hoc ius tribui nequit, quibus arbitrium circa leges

officium eius pertineat, non aliter, quam *ex graui* & *iuſta cauſa* (a) eadem irrogare.

§. LVII. Facilius (b) ius ſingulare quam priui-

ges non eſt relictum, niſi forſan imperantis non adeo interſit, & magiſtratus per modum *conuentionis cum ciuibus inita* aliquem ex ſubditis ab oneribus eximere, & onera eiusdem, ratione reipubl. ferenda ſubire paratus ſit, qualia priuilegia *conuentionalia* dici merentur. Praeterea quemadmodum quandoque magiſtratui ſubalterno ius ſtatuendi competit, ita quoque eidem certas perſonas ab obligatione ſtatuti eximendi ius haud denegandum, ſuppoſita iuſta cauſa, de qua mox. Nihil enim a ſuo munere alienum magiſtratus hic facit, ſed illud ipſum, quod in iure ſtatuendi comprehenditur. Modus dandi priuilegia arbitrarius eſt, neque adeo praeciſe ad ſui vigorem *ſcripturam* requirunt, vti nec leges, quamuis vt de iis in poſterum conſtet, haec perutilis ſit; cum priuilegia in dubio vel ideo praeſumi non poſſint, quod potius pro generali & vniuerſali legum obligatione praeſumtio capienda, niſi forſan quis ab immemoriali tempore, absque vlla contradictione vſum alicuius priuilegii exercuiſſet, cum ex tanto lapſu temporis vrgens praeſumtio conceſſi antiquitus priuilegii ſit capienda, licet ſcriptura nulla deſuper adſit.

(a) Quod *grauis cauſa* in priuilegiis concedendis neceſſaria ſit, patet ex iis, quae ad §. *antecedentem* dicta ſunt.

(b) Loquor comparatiue. Alias ſi ius aequale conſtituatur ciuibus, id omnino, quatenus fieri poteſt, vnionem inter ſubditos magis conſeruat. Optime Seneca *epiſt. 30. prima pars aequitatis eſt aequalitas* & Cic. *lib. I. de orat. p. m. 180. lit. e. ſit igitur in iure ciuili finis hic legitimae atque vſitatae in rebus cauſisque ciuium aequalitatis conſeruatio.* Atque hoc ipſum in legislatione Moſaica ſa-

priuilegium conſtitui poteſt, cum hoc *in quasdam tantum perſonas feratur*, illud vero magis *negotia ciuium peculiaria, certumque in republica ordinem perſonarum* reſpiciat, adeoque ſuo modo facilius ad vniuerſos ciues applicari posſit, qui vel in his negotiis vel in tali ordine commorantur.

§. LVIII. Priuilegium dari poteſt illis, quibus inde aliquod commodum afferri poteſt, & ſic etiam non ſubdito. (c)

§. LIX.

ca ſapientisſima perſpicere licet. Interim quando legiſlator ex iuſta cauſa aliquando recedit a iure communi ſeu lege generali, ius ſingulare conſtituit, quod in effectu exceptionem a regula conſtituit. Atque hoc ipſum non in *certum indiuiduum* conſtituitur, vti quidem priuilegium, ſed vel ordini certo perſonarum v. c. *maſculis*, *mulieribus*, *minoribus*, *ſenibus*, &c. vel negotiis & cauſis v. c. *nundinis*, *mercaturæ*, *rei ſalinariæ*, *agriculturæ*, *doti*, &c. tribuitur, & peculiaria iura iisdem asſignat, quæ cum non pauca, quædam indiuidua reſpiciant, ſed per vniuerſos ciues quodammodo ſe diffundant, non adeo æmulationes inter ſubditos producunt. Interim hoc commune cum priuilegiis habent, quod cum recedant a legibus vniuerſalibus, & ſic exceptionem præbeant, non præſumantur, ſed expreſſe indulta eſſe, oſtendi debeat. Atque inde fluit commune aſſertum, *quod ſtricte interpretanda ſint*, id quod in ratione naturali fundatur.

(c) Hinc vniuerſalis non eſt illatio, quod priuilegii conceſſio arguat imperium concedentis in eum, cui conceditur. Obſtare quidem videtur, quod extranei non ligentur legibus alterius reipubl. & hoc intuitu quoque

§. LIX. Dependent omnia priuilegia ex voluntate imperantis, quoad modum tamen concedendi diuerſitas adeſt, dum quædam conceduntur in *remunerationem bene meritorum*, quædam pro *pretio* conceduntur, quædam ex *mera gratia* indulgentur. (d)

§. LX.

quoque legibus illis eximi haud poſſint. Verum poſſunt etiam extranei aliquando conſtringi legibus alterius reipubl., quatenus lucrum vel quæſtum ex illa quærere intendunt, & quemadmodum penes imperantem eſt, extraneos omnes excludere, ita ſpecialiter quosdam ab hoc interdicto excipere poteſt. Imo per indirectum quoque ſic extraneo conceſſiſſe priuilegium videtur, *quatenus ſubditis propriis quid prohibet in fauorem extranei*, veluti bibliopolis, ne certum librum imprimant. &c.

(d) Hinc fluit vulgata diuiſio priuilegiorum, quod ſint vel titulo *gratioſo* vel *oneroſo* acquiſita. Equidem omnia priuilegia ex *gratia* concedentis dependent, quatenus ex mero debito haud proficiſcuntur; ſed tamen gratia non ſemper vnica eſt cauſa concedendi priuilegia, ſed α) vel pretium oblatum vel β] antecedentia bene merita. Quoad prius, reuera res in contractum emtionis incidere videtur, cum illud ius, quod pretio acquiritur, ſit pretio æſtimabile, licet vt plurimum res non per modum contractus peragi, ſed quoad ſchema externum ius hoc in alterum quaſi ex gratia transferri videatur, & hoc intuitu talia priuilegia dicuntur *conuentionalia*. Si ob bene merita conceduntur, multum participare videntur ab illis, quæ alias titulo oneroſo conceſſa ſunt. Equidem remuneratio non præſupponit tale debitum, quod *obligationem perfectam* producere poſſet, nam quæ in ſubdito vocantur bene merita, illa nihil aliud, quam exple-

§. LX. Similiter penes concedentem eſt, modum priuilegio præſcribere, & an *reale* an vero *perſonale* eſſe debeat, determinare. (e)

§. LXI. Ex priuilegio ſemel conceſſo priuilegiato ius aliquod naſcitur, & quidem perfectum intuitu ceterorum conciuium: (f) ratione

expletionem officii, quod quilibet reipubl. debet, continent, nec tanta poſſunt excogitari, quanta non poſſunt requiri a ſubdito. Verum cum etiam imperantis ſit, eos, qui ſingularem reipubl. curam impenderunt, omnibus modis fouere, & præmiis exornare, & vero ad præmia conceſſiones priuilegiorum quoque ſpectent, conueniens eſt, vt ex *natura præmiorum* talia priuilegia interpretemur, quorum hæc ſolet eſſe ratio, vt ei, qui præmiis ob ſingularia bene merita ornatur, *ius irreuocabile* largiantur, vt in contractibus fieri ſolet, & hoc reſpectu forſan ad priuilegia *titulo oneroſo quæſita* referuntur.

(e) Reſpexit huc ICtus in *l. 169. d. R. I.* Quodſi voluntas concedentis dubia ſit, recurrendum ad coniecturas, quæ potisſimum ex cauſa priuilegii aliisque circumſtantiis deſumendæ. Similiter ex modo concedendi quoque multum dependet, quando enim pretio priuilegium aliquod eſt quæſitum, illud pro reali & perpetuo reputandum, quoniam per huiusmodi conuentiones intendimus communiter ius irreuocabile & ſtabile acquirere. Et quamuis concedens ſit optimus priuilegii ſui interpres, tamen nec doctrinalis interpretatio hic eſt excludenda, præſertim ſi concedens mortuus ſit, nec ita amplius mentem ſuam declarare poſſit.

(f) Priuilegium obligat ceteros conciues, ne priuilegiatum turbent in exercitio iuris ſui, contra quos quoque ſe defendere legitimis mediis poteſt, quæ ius ciuile, cuius-

tione concedentis vero vel *imperfectum*, vel *perfectum*. (g)

§. LXII. Ius imperfectum & reuocabile poteſſi-

cuiuscunque loci adornat, ſicuti etiam magiſtratus eſt, priuilegiatum in exercitio iuris ſui contra quoscunque defendere. Hoc intuitu quoque plerumque moris eſſe ſolet, vt eiusmodi conceſſionibus addatur mandatum ad omnes & quoscunque magiſtratus ſubalternos, ad defendendum priuilegiatum ratione ſui priuilegii, quo intuitu priuilegium *lex* dici poteſt, tum reſpectu magiſtratus inferioris, ſecundum quam pronunciare debet, vbi controuerſia priuilegium concernens ingruit; tum reſpectu ceterorum, qui firmiter inde obligantur, prout dictum eſt.

(g) Difficultas maxima occurrit intuitu concedentis, *an & quatenus inde obligetur? an libere eadem reuocare poſſit?* Hobbeſius concedit ex abſoluta poteſtate imperantem *vbique* & *ſemper* priuilegia reuocare, neque adeo perfectum ius ſubditos intuitu concedentis impetrare poſſe. vid. *tr. de Ciue c. 6. §. 15. ſeqq. Leuiath. c. 18.* ſupponit enim generaliter, *principem ſubditis ſuis non obligari.* In eandem fere ſententiam inclinat Adrian. Houtuyn *Polit. gener. §. 26. circa f.* addito tamen hoc temperamento, *niſi in vim contractus abierint, & de eo manifeſto conſtet.* Idem defendit Bodinus *de republica lib. I. c. 8.* ſed ex nouo fundamento, *quod omne priuilegium lex ſit, adeoque abrogationi obnoxia.* Alii vero nulla priuilegia *ſine cauſa* reuocari poſſe ſtatuunt, ex eo fundamento, quod etiam gratuita priuilegia in donationem transeant, quam nec princeps reuocare queat. Rauchbar *lib. 2. qu. 11.* Alii aliter. Verum cum non vna ſit natura priuilegiorum, vna deciſione quoque quæſtio hæc abſolui nequit, vt in ſequentibus expediendum.

§. LX. Similiter penes concedentem eſt, modum priuilegio præſcribere, & an *reale* an vero *perſonale* eſſe debeat, determinare. (e)

§. LXI. Ex priuilegio ſemel conceſſo priuilegiato ius aliquod naſcitur, & quidem perfectum intuitu ceterorum conciuium: (f) ratione

expletionem officii, quod quilibet reipubl. debet, continent, nec tanta poſſunt excogitari, quanta non poſſunt requiri a ſubdito. Verum cum etiam imperantis ſit, eos, qui ſingularem reipubl. curam impenderunt, omnibus modis fouere, & præmiis exornare, & vero ad præmia conceſſiones priuilegiorum quoque ſpectent, conueniens eſt, vt ex *natura praemiorum* talia priuilegia interpretemur, quorum hæc ſolet eſſe ratio, vt ei, qui præmiis ob ſingularia bene merita ornatur, *ius irreuocabile* largiantur, vt in contractibus fieri ſolet, & hoc reſpectu forſan ad priuilegia *titulo oneroſo quaeſita* referuntur.

(e) Reſpexit huc ICtus in *l. 169. d. R. I.* Quodſi voluntas concedentis dubia ſit, recurrendum ad coniecturas, quæ potiſſimum ex cauſa priuilegii aliisque circumſtantiis deſumendæ. Similiter ex modo concedendi quoque multum dependet, quando enim pretio priuilegium aliquod eſt quæſitum, illud pro reali & perpetuo reputandum, quoniam per huiusmodi conuentiones intendimus communiter ius irreuocabile & ſtabile acquirere. Et quamuis concedens ſit optimus priuilegii ſui interpres, tamen nec doctrinalis interpretatio hic eſt excludenda, præſertim ſi concedens mortuus ſit, nec ita amplius mentem ſuam declarare poſſit.

(f) Priuilegium obligat ceteros conciues, ne priuilegiatum turbent in exercitio iuris ſui, contra quos quoque ſe defendere legitimis mediis poteſt, quæ ius ciuile cuius-

tione concedentis vero vel *imperfectum*, vel *perfectum*. (g)

§. LXII. Ius imperfectum & reuocabile potiſſi-

cuiuscunque loci adornat, ſicuti etiam magiſtratus eſt, priuilegiatum in exercitio iuris ſui contra quoscunque defendere. Hoc intuitu quoque plerumque moris eſſe ſolet, vt eiusmodi conceſſionibus addatur mandatum ad omnes & quoscunque magiſtratus ſubalternos, ad defendendum priuilegiatum ratione ſui priuilegii, quo intuitu priuilegium *lex* dici poteſt, tum reſpectu magiſtratus inferioris, ſecundum quam pronunciare debet, vbi controuerſia priuilegium concernens ingruit; tum reſpectu ceterorum, qui firmiter inde obligantur, prout dictum eſt.

(g) Difficultas maxima occurrit intuitu concedentis, *an & quatenus inde obligetur? an libere eadem reuocare poſſit?* Hobbeſius concedit ex abſoluta poteſtate imperantem *vbique* & *ſemper* priuilegia reuocare, neque adeo perfectum ius ſubditos intuitu concedentis impetrare poſſe. vid. *tr. de Ciue c. 6. ſ. 15. ſeqq. Leuiath. c. 18.* ſupponit enim generaliter, *principem ſubditis ſuis non obligari.* In eandem fere ſententiam inclinat Adrian. Houtuyn *Polit. gener. §. 26. circa f.* addito tamen hoc temperamento, *niſi in vim contractus abierint, & de eo manifeſto conſtet.* Idem defendit Bodinus *de republica lib. I. c. 8.* ſed ex nouo fundamento, *quod omne priuilegium lex ſit, adeoque abrogationi obnoxia.* Alii vero nulla priuilegia *ſine cauſa* reuocari poſſe ſtatuunt, ex eo fundamento, quod etiam gratuita priuilegia in donationem transeant, quam nec princeps reuocare queat. Rauchbar *lib. 2. qu. 11.* Alii aliter. Verum cum non vna ſit natura priuilegiorum, vna deciſione quoque quæſtio hæc abſolui nequit, vt in ſequentibus expediendum.

tiſſimum illa priuilegia conferunt, quæ *iure precario* (h) conceſſa ſunt, qualia vt plurimum habentur gratioſa, & ita quoque in dubio habenda videntur.

§. LXIII.

(h) Ius precarium hanc habet naturam, vt ſemper & pro lubitu reuocari poſſit, cum hac intentione alicui quid concedatur, vt *ius irreuocabile* in alterum non transferatur. Tale ius potiſſimum eſt, quod *ex gratia* principis & confertur, & in poſterum quoque dependet, vbi ſemel collatum eſt. Sunt tamen, qui aiunt, *conceſſionem* quidem eſſe ex gratia, ſed neutiquam eius *exercitium*, exemplo donationis, quæ ab initio ex libera voluntate & gratia donantis ſit, ſed, vbi ſemel facta eſt, non amplius ex gratia dependet, ſed ius perpetuum operatur. Equidem hanc comparationem admitto, ſi in priuilegiis gratuitis expreſſe ſe declarauerit princeps, quod ius irreuocabile & perpetuum in priuilegiatum transferre velit, quia ſic conſtat, *iure precario* priuilegium haud eſſe collatum, vti plerumque in Gallia concedi ſolent, quod clauſula priuilegiis communiter ſubiici ſolita: *quand' il nous plaira* indicat. Sicuti enim princeps irreuocabiliter ceteras res corporales ſubditis donare poteſt, ita nulla apparet ratio, cur non etiam ius aliquod eodem modo & efficacia in alterum transferre valeat? An vero hoc ipſum voluerit in dubio, alia quæſtio eſt, id quod negandum exiſtimaui; quia α) conceſſio precaria in dubio magis præſumitur, quam abſoluta donatio, maxime β) in eiusmodi iuribus, quæ vt plurimum *iure precario*, & *ex gratia* conferri ſolent. Neque γ) omnis gratioſa conceſſio ſtatim donatio eſt, cum etiam commodatum & precarium gratioſa conceſſione nitatur. Ceterum an ſemper talis reuocatio conſulta ſit, ex regulis prudentiæ metiendum,

§. LXIII. Irreuocabile vero ius priuilegia conferunt, quæ eis modis acquiſita ſunt, quibus alias ius plenum ſeu proprietas acquiri ſolet, vt ſunt priuilegia titulo oneroſo (i) acquiſita.

§. LXIV.

tiendum, ex quibus rationes iuris non deſumuntur. Conf. interim Conring. *diſſ. de Priuil. recte confer. & reuoc.*

(i) Priuilegia titulo oneroſo conceſſa illa dicuntur, quæ non ex nuda & mera *gratia* & *liberalitate* principis prouenere, ſed vel *pretio* aliaue re interveniente comparata ſunt, vel ob *bene merita inſignia*, & *præmia compenſanda* ſunt conceſſa prout §. 59. dictum. Sicuti itaque in negotiis priuatorum ex titulo potiſſimum cognoſcitur, quale ius in alterum translatum ſit, cum *titulus index noſtræ voluntatis ſit*; ita quoque ex titulo, mediante quo priuilegium aliquod comparatur, iudicandum, an ius *perpetuum* & *irreuocabile* translatum ſit nec ne? Quodſi titulus dominii translatiuus interuenerit, veluti emtio, permutatio, &c. ius perfectum & plenum priuilegiato collatum cenſeri debet. Neque obſtat, quod ſubditis non poſſit competere ius perfectum intuitu imperantium; quod eo ſenſu accipiendum, vt non poſſint principem ex iure ſibi competente cogere; interim tamen hoc ſenſu ius perfectum ex huiusmodi priuilegiis habebunt, vt princeps abſque violatione iuris naturæ illa reuocare haud poſſit, quod ſecus erat in priuilegiis gratioſis. Princeps enim ſummus æque ex contractibus ſuis cum ſubditis initis obligatur, vt priuati, cum & legibus naturæ ſubiaceat, & *principis dignitas poſtulet, vt fidem datam ſeruet, etiam cum aliquali ſuo incommodo*, vti ait Bodin. *de republ. lib. I. c. 8. p. m. 156.* Eadem intentione concedi ſolent priuilegia ob bene merita

§. LXIV. Dicuntur autem irreuocabilia talia priuilegia *comparatiue*, quod pro lubitu, vti quidem gratioſa, reuocari haud poſſint; ceteroquin, ſalute reipublicæ id exigente, (k) recte reuocantur, vt tamen indemnes ſeruientur, qui ex tali reuocatione læduntur.

§. LXV.

conceſſa, vt ſcilicet ius perfectum & irreuocabile in alterum transferatur, id quod animus compenſandi ſingularia bene merita indicat, a quo alienum eſt, reuocare illud, quod compenſationis cauſa datum eſt. Conf. Dn. Stryk. *de priuil. tit. oneroſo quaeſit. c. 3. §. 6. ſeqq.*

(k) Fuſius hæc quæſtio tractata eſt in *Obſ. Hallenſ. 16. & 17. tom. 3.* Scilicet notum eſt vulgatum illud ſupra iam toties quoties inculcatum: *ſalus populi ſuprema lex eſt*: & ita ex hoc principio omnia iura ſubditis competentia ſunt limitanda, & ſaluti reipubl. ſubordinanda. ſicuti itaque ad ſalutem reipublicæ ſubditi omnes ſuas conferre debent vires, ita quoque priuilegii impetrati commodum, quod hactenus habuere, reipublicæ cauſa dimittere ſponte debent; tale enim ius nec acceperunt nec accipere potuerunt, quod cum ſalute reipublicæ pugnaret. Eiusmodi priuilegia vel ſtatim ab initio talia ſunt, vel ex poſt facto nocere reipubl. incipiunt. Ad priora referri poſſet priuilegium ſenatui datum *de non reddendis rationibus de bonis ciuitatum*, quod e diametro ſaluti reip. aduerſatur, cum ita ſenatui anſa detur diſponendi de bonis ciuitatum pro lubitu, quorum conſeruatio reipublicæ ſicuti valde proficua eſt, ita non poteſt non illud eidem eſſe damnoſum, quod interitum horum bonorum promouet. Idem eſſet dicendum de monopolio alicui conceſſo ſine pretii determinatione. Ad poſterioris generis priuilegia illi caſus potiſſimum ſpectant, quando ſtatus

§. LXV. Aliquando etiam in caſu neceſsitatis priuilegiorum exercitium ad tempus ſuſpenditur, (l) qua ceſſante, vigor eorum reuiuiſcit.

§. LXVI.

tus reipublicæ ita ex poſtfacto mutatus eſt, vt præſens ſtatus, ſtante tali priuilegio antiquitus conceſſo, ſaluus & incolumis eſſe haud poſsit, veluti ſi imperans videat, priuilegium collegio conceſſum ex poſtfacto perpetuas parere inter ſubditos diſcordias & ſeditiones, nec aliter rebellem plebem ad concordiam deduci poſſe. Vtut vero princeps de eo iudicare poſſit, an priuilegium ſaluti reipubl. aduerſum ſit, non tamen quodlibet leue incommodum, quod ex priuilegio in rempubl. redundat, iuſtam cauſam reuocandi priuilegium operari poteſt, cum certum ſit, priuilegium vix concedi poſſe, ex quo non aliquod incommodum reſpubl. percipiat, quod tamen compenſatur vel *meritis antecedentibus*, ſi ob hæc conceſſum; vel *pretio interueniente*, quod in rem reipublicæ verſum eſt. Licet vero princeps ſuo iure agat, quando tale priuilegium reuocat, hoc ipſo tamen non excluditur *ſatisfactio* eo nomine illi facienda, qui inde læditur, modo læſionem allegare poſsit, veluti ſi reditus ex exercitio priuilegii percepti haud reſpondeant pretio, pro quo priuilegium comparatum eſt. Dn. Stryk. *cit. l.* §. 23.

(l) Hoc caſu proprie non reuocatur, ſed tantum ad tempus quieſcit, quoniã deficit illa occaſio, vbi commode exerceri poſsit. Credendum omnino eſt, omne priuilegium ita conceſſum eſſe, *modo commoda occaſio adſit*; illa ergo ceſſante, quieſcit quoque vſus priuilegii, veluti tempore neceſsitatis bellicæ, quo quieſcunt omnia immunitatis priuilegia. Neque aliud dicendum in priuilegiis per contractum quæſitis, vt vult Myler ab Ehrenb. *de Princip. & Statib. imp. c.* 62. §. 17. quaſi contra-

§. LXVI. Hæc obligatio de non reuocandis priuilegiis, irreuocabiliter conceſſis, etiam ſucceſſores (m) ſtringit, licet titulo ſingulari (n) ſuccedant, quatenus conceſſio Priuilegii é re reipubl. facta.

§.LXVII.

ctus neceſſitatem præſtationis habeant; nam de hoc non eſt quæſtio, ſed quouſque neceſſitatem habeant? tantum quæritur, id quod ex natura priuilegiorum colligendum. Et cum ſummæ neceſſitati renunciari haud poſſit, inualida erit clauſula priuilegio adiecta, *quod nec neceſſitatis caſu priuilegium ſuſpendi debeat*, cum præterea priuilegium hoc modo qualificatum euidentem reipublicæ jacturam inuoluat, & eatenus haud obligatorium ſit, Dn. Stryk. *c. l.* §. 21.

(m) De ſucceſſoribus *vniuerſalibus*, qui *iure hereditario* ſuccedunt, forſan minor ratio eſt dubitandi, cum iuris naturæ ſit, vt ille qui ſuccedit in omne commodum defuncti, incommoda quoque a ſe non declinet, & quemadmodum per defunctum heres acquirit, ita æquum eſt, vt per eum quoque obligetur, Bodin. *de republ. lib. I. c. 8. p. m. 164.*

(n) Qui ſuccedunt titulo *ſingulari*, *electione* forſan populi, vti hodie in Epiſcopatibus & Abbatiis contingit, vel *pacto publico*, quemadmodum per *inſtr. P.* plura territoria Regi Boruſſiæ, Sueciæ aliisque ceſſa ſunt, hi non æque ex facto anteceſſorum ſuorum obligantur. Neque enim per anteceſſorem ſuccedunt, ſed ex *nouo plane iure;* interim tamen cum in *officio* anteceſſori ſurrogentur, æquum eſt, vt ex conceſſione illorum priuilegiorum obligentur, quæ *intuitu officii* facta eſt, ſeu vbi ceſſit reipubl. commodo. Bodin. *cit. l.* veluti ſi ob bene merita in rempubl. collata, vel pro pretio, quod in manifeſtam reipubl. vtilitatem verſum eſt, ſunt conceſſa.

(o) Et

§. LXVII. Sicuti vero imperantis voluntas legem conſtituit, ita contraria eandem tollit, (o) ſiue *expreſſa* ſiue *tacita*. (p)

§. LXVIII.

(o) Et *legislatio* & *legum abrogatio* ex eadem poteſtate fluit, vt tamen prudentis principis ſit, leges ſemel latas & reipubl. maxime conducibiles haud temere reuocare, cum ea plerisque populis retinendæ vetuſtatis innata ſit cupido, vt vix ferre talem mutationem posſint, & non raro fluctus inde in republ. ſint metuendi, Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. lib. III. c. 9. §. 9.* Quin etiam leges optime excogitatæ in abuſum trahi ſolent, ſed propterea non ſtatim tolli poſſunt ob reipubl. corruptionem, qualis olim erat lex *de manumittendis ſeruis*, qua tamen ſæpe abutebantur Romani. Verum addit Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV. Ego hanc legem tollendam minime cenſeo, ne quod grauius malum inde in rempublicam erumpat, verum tamen, quantum fieri poteſt, corrigendam cenſeo.* Sicuti vero in legibus *ferendis*, ita quoque in *abrogandis* concurſum ſubditorum non requirimus, niſi quod ex peculiari reipubl. ratione imperans aliquando adſtrictus ſit, ad ſtatuum quorundam conſenſum.

(p) Hoc fit vel *conſuetudine* introducta *contraria*, vel *ſtatus mutatione*, qua neceſſario mutari debent illæ leges, quæ neceſſariam connexionem cum ſtatu publico habent, vti videmus in Romana republ. poſt regifugium, vbi leges regiæ paulatim exoleuerunt, maxime, quæ quandam connexionem cum regimine regio habuere; nam omnes omnino exoleuiſſe non conſtat. Imperii noſtri ſtatus a temporibus Caroli IV. valde mutatus eſt, & ſic non mirandum, quod multa Aureæ Bullæ capita hodie mutata eſſe deprehendantur, quæ collegit Dn. Iac. Brunnem. *diſſert.*

de mutat. A. B. In iure publico particulari, hoc inprimis attendendum, vbi de legum obſeruantia nemo recte iudicare poteſt, niſi qui notitia *ſtatus* publici, tum *antiqui*, tum *nouioris*, ſatis eſt imbutus; alioquin enim in applicatione ſæpisſime erratur. atque hæc *tacita* legum mutatio facilius fieri poteſt, quam *expreſſa*, cum ad hanc ſæpe requiratur conſenſus ſtatuum reipubl. Quæ itaque poſt tacitam hanc legum mutationem facta ſunt, merito vigorem ſuum obtinent. Lege Pompeia cautum erat, *ne alii in Bythinia ſenatui adſcriberentur, quam ciues illarum ciuitatum.* Hæc lex per contrarium vſum in deſuetudinem abierat, hinc quæſtio exoriebatur, an alienigenæ in ſenatum aſſumti ejiciendi eſſent. Reſpondit Traianus Plinio quærenti: *Nam & legis autoritas, & longa conſuetudo vſurpata contra legem in diuerſum mouere te potuit. Mihi hoc temperamentum eius placuit, vt ex præterito nihil nouaremus, ſed manerent, quamuis contra legem adſciti quarumcunque ciuitatum ciues, in futurum autem lex Pompeia obſeruaretur: cuius vim ſi retro quoque velimus cuſtodire, multa neceſſe eſt perturbari.* vid. Plinius ſecundus *lib. X. epiſt. 116.* Neque hanc poteſtatem leges abrogandi ſibi ipſi vel poſteris ſuis imperans adimit, ſi vel maxime clauſulam legi antea latæ adiecisſet: *vt ne abrogari vnquam poſſit.* cum enim ſummus imperans ſuperiorem ſe habeat neminem, legibus eiusmodi ſe adſtringere nequit, præſertim cum per hanc clauſulam magis ſeriam & conſtantem ſuam voluerit declarare voluntatem, quam ſubditis aliquid promittere. Fit legislatio μονομερῶς a ſolo principe atque ita talis clauſula *nudæ aſſertionis*, non *promisſionis* virtutem habet, quæ concurſum aliorum, qui promiſſum accipiunt, requirit, Dn. Hertius *diſſ. de lege clauſ. ne abrog. poſſit munita* §. 4. vbi adducit verba Ciceronis *lib. III. ad Attic. epiſt. 24.* quæ cum rem egregie illuſtrent, huc transſcribere placet. Ita autem ille: *Scis Clodium ſanxiſ-*

ſe, vt

§. LXVIII. Eadem poteſtas quoque imperanti indulget *facultatem diſpenſandi* (q) in legibus a ſe latis quoad certas perſonas.

CAP.

ſe, vt vix aut omnino non poſſit nec per Senatum nec per populum infirmari ſua lex: ſed vides, nunquam obſeruatas eſſe ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur: nam ſi id eſſet, nulla abrogari poſſet: (neque enim vlla eſt, quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis) ſed cum lex abrogatur, illud ipſum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat. Hoc cum reuera ita ſit, cum ſemper ita habitum obſeruatumque ſit, octo noſtri Tribuni pl. caput poſuerunt hoc: Si quid in hac rogatione ſcriptum eſt, quod per leges, plebiscita vel SCta, hoc eſt, quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare, S.F. non liceat, non licuerit; quodue ei, qui promulgauit, abrogauit, derogauit, obrogauit, ob eam rem pœnæ mulctæue ſit e. h. l. n. r. *i. e. eius hac lege nihilum rogator.* Conſtat Auream B. hac clauſula variis in locis fuiſſe munitam, & tamen variis in locis mutationem iam paſſam fuiſſe, vti antea dictum, & præterea etiam obſeruatum ab illuſtri Hertio *cit. l. Sect. 2. §. 3. ſeq.* Facilius tamen talis abrogandi licentia reſtringi *pacto publico* poſſet, quemadmodum imperans ſub auſpicio regni ſui ſæpe promittere debet, ſe nullo modo leges antiquas abrogare velle, qualis promisſio tamen rurſus limitationem patitur ex ſtatu poſtea mutato.

(q) Dum ius diſpenſandi ſoli *imperanti* adſcribo, inde *magiſtratum ſubalternum* excludo, niſi quatenus ex *delegata* ſibi *poteſtate* diſpenſant, ceu quandoque Conſiſtoriis datum eſt, vt posſint in quibusdam gradibus matrimonialibus diſpenſare, qua delegata pote-

 ſtate

CAP. IV.
De
Iure imperantium circa collegia & vniuerſitates.

§. I.

Collegium ſeu vniuerſitas eſt *collectio plurium perſonarum vnitarum ad certum aliquem finem communiter obtinendum.* (r)

§. II.

ſtate deficiente, a iure diſpenſandi deſiſtere debent, quod a gratia & *poteſtate legislatoria*, non *iudiciaria* dependet. Inde quoque eſt, quod magiſtratui inferiori haud conceſſum ſit, pœnam lege conſtitutam remittere, aut in aliam mutare, ſed ſimpliciter legem ſequi debent. Non confundenda tamen eſt cum diſpenſatione *interpretatio reſtrictiua*, quæ itidem ad magiſtratus inferiores ſpectat, cum ita tantum iudex declarat, caſum ob peculiarem concurrentem circumſtantiam haud contineri ſub lege, neque principis voluntatem, licet in lege generaliter declaratam, ad caſum propoſitum extendendam eſſe.

(r) (1) Requiruntur ad collegium *plures perſonæ*, ad minimum tres, vt eo facilius poſſint inter ſe conſentire, & maiora efficere. (2) Debent eſſe *vniti inter ſe ad vnum finem*, quæ *vnio* ad eſſentiam requiritur, & per illam *vnum corpus*, vel *vna perſona moralis* conſtituuntur. Hæc vnio eſt *anima collegiorum*, & hinc illa penitus diſſoluta, collegium quoque interit, quia ita quaſi ſpiritum ſuum amittit; e contrario, quamdiu eadem vnio manet, idem collegium durare cenſetur, licet paulatim mutentur perſonæ, & aliæ aliis ſurrogentur. Porro quicquid ita vniti agunt, hoc non *ſingulis* imputandum, ſed *omnibus coniunctim ſumtis*, atque

§. II. Collegia & ſodalitia inire eſt res libertatis naturalis, adeoque in ſtatu naturali permiſſa, imo ad amicitias ſtabiliendas ſatis apta, quamuis propter finem malum (s) *ex accidenti* iuri naturæ repugnare poſſint.

§. III. Neque, introductis rebuspublicis, collegia illicita fieri cœperunt, quia cum his optime conſiſtere poſſunt, tanquam *ſocietates æquales*, (t) & quæ reipublicæ adhuc eodem modo

atque hac ratione, quod vniuerſitas debet, ſinguli haud debent. Neque ſtatim quod ſinguli egerunt, vniuerſitati imputandum, vt ſi ſinguli deliquerunt, ſed non qua ſunt collegæ, id quod ratione pœnæ infligendæ attendendum, vbi ſinguli ſeparatim coercendi. Quando autem collegium deliquit, id quod fit, ſi ex decreto collegii aliquid factum, pœna in ipſum collegium conueniens dictatur. Denique (3) *Vnus idemque finis* omnibus communis eſſe debet, quod de licito haud dubie intelligendum. A *ſocietate negotiatoria* in eo differt, quod non inſtituantur ad commune lucrum & quæſtum, ſed ſinguli ſua propria bona habeant.

(s) Sic quando inſtituuntur ſodalitia ad generis humani oppugnationem, qualia olim *latronum* erant *ſodalitia*, iuri naturæ repugnant, licet vel maxime inter gentes tolerentur, vel a republica approbentur; quorſum refert Solonis legem in *l. Vlt. ff. de Colleg.* Bodin. *de republ. lib. III. c. 7. p. 513.* vbi verba: ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, aliter interpretatur, ac quidem vulgata verſio admittit.

(t) Collegia ſunt ſocietates æquales, quatenus ordo imperandi & parendi talis, qualis in republ. viget, ibidem ceſſat. Solet quidem aliquis collegio præfici, qui dirigat collegii negotia, ſingulos conuocet, acta collegii

modo ſubſunt, vti ſinguli. Quia quod ratio reipubl. nonnunquam certa collegia requirat, per quæ adminiſtratio reipubl. expediri queat.

§. IV. Et quia collegia quædam proprium & a reip. fine diuerſum finem habent, non inuoluit contradictionem, ſi imperans ſemet quoque collegio ſubditorum adiungat, quo caſu non vt *imperans*, ſed vt *membrum collegii* (u) conſideratur.

§. V.

legii cuſtodiat, & iura eius tueatur, ſed absque *imperio*, cum reliquorum votis propterea nihil detrahatur. Hoc poſito, noua respubl. in republica per collegii conſtitutionem non erigitur, ſed tum ſinguli, tum omnes coniunctim & pro vna ſumti perſona, ſubſunt imperio reipublicæ, cuius tamen nihilominus eſt præcauere, ne ſimplex collegium æquale in formam reipubl. paulatim excreſcat, quod facile fieri poteſt, ſi poteſtas ſingulorum collegiorum non ſatis circumſcribatur.

(u) Sunt *eccleſiæ* nihil aliud quam *collegium æquale*, quibus princeps cum ſe adiungit, ibidem haud conſideratur vt *princeps*, ſed vt *auditor*, & *Chriſtianus*, qui cum reliquis eundem finem intendit, quod non recte animaduertunt hi, qui triplicem ſtatum in eccleſia fingunt, *eccleſiaſticum*, *imperantem*, & *plebeium*. Similiter cum princeps etiam vt *paterfamilias* circa rem familiarem poſſit conſiderari, quid prohiberet, ſi collegio mercatorum, metallicorum aliorumque ſe adiungeret? prout praxis rerumpublicarum docet. Verumtamen nihilominus vt ſummus princeps adhuc in ipſum collegium retinet & exercet ſummam poteſtatem, ex quo fit, vt minus tutum ſit ceteris ſodalibus, habere imperantem collegam.

(x) Ha-

§. V. Introductis tamen ciuitatibus ex fine reipublicæ imperantis erit, præcauere, ne per collegia aliquod præiudicium reipubl. inferatur. (x)

§. VI. Imo ſicuti ſinguli, ita quoque integra collegia imperantis directioni adhuc ſubſunt. (y)

§. VII.

(x) Habent collegia in republ. ſua commoda, habent incommoda. Promouent commercia, vnionem inter ciues firmant, & defenſioni reipubl. inſeruiunt, quæ ſæpe magis a collegiis quam ſingulis haberi poteſt. Sed incommoda a collegiis quoque metuere debet respubl. Jam antea dixi, facile poſſe degenerare in respublicas nouas, certe apta ſunt ad ſeditiones in republica fouendas, ad declinandum obſequium, ad factiones colendas, quæ omnia a ſingulis non tam facile metuenda ſunt. Cogitandum eſt, rempubl. eſſe corpus ægrotans, ex multis corruptis membris conſtans, quo magis autem eiusmodi membra putida inter ſe cohærent, eo plus damni reipubl. imminet. Ad hoc vero auertendum, finis reipubl. imperanti curam ſingularem commendat.

(y) Nouum argumentum, ex quo ius imperanti in collegia adſtruitur. Collegia coaleſcunt ex ſubditis, qui inter ſe adhuc manent æquales, & ſic collegium ipſum, licet *nouam perſonam moralem* in republ. ſuſtineat, a ſubiectionis vinculo tamen haud liberatur. Quale ius ergo in ſingulos, tale multo magis imperanti in collegium competit, quod itidem *vnius perſonæ vicem* gerit, ſed magis reipubl. nocere poteſt, ac quidem ſinguli, & ita quoque eo magis imperanti incumbit, omnibus prouidere modis, ne reip. damnum a collegiis inferatur.

(z) Iu-

§. VII. Sic itaque imperanti competit (I.) ius plane prohibendi (z) collegium aliquod, quo facto, collegium perſonæ ciuilis amittit iura.

§. VIII.

(z) Iudicat ipſe imperans, quæ collegia ſint toleranda in ciuitate, quæ reprobanda. Si *tolerat*, habent effe-ctus ciuiles, licet omni iuſtitiæ & pietati aduerſa ſint. Si *reprobat*, amittunt omnes effectus ciuiles, licet pietati & bonis moribus congruant. Sic *eccleſiæ* & *Heteriæ*, vti agapæ primorum Chriſtianorum vocantur a Plinio, optimum & ſanctiſſimum habuere ſcopum: aſt poſtquam ſub imperatoribus Ethnicis prohibebantur, pro *corpore ciuili* in republ. Romana nec haberi, nec ex teſtamento capere, nec immobilia aut alia bona poſſidere poterant, donec per Conſtantinum M. facies rerum mutaretur, & eccleſiæ approbarentur, quo ipſo ſtatim effectus ciuiles conſequebantur. Pertinet huc Plinii ad Traianum epiſtola de collegiis Chriſtianorum, vbi circa finem ita: *Quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coeundi, ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium, quod ipſum facere deſiiſſe poſt Edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetarias eſſe vetueram*, vid. *lib. 10. epiſt. 97.* vbi contextus docet *hetarias* idem denotare quod *collegium*, vti obſeruat Clariſſ. Samuel Basnage *tom. 2. annal. ad ann. 110. §. 3.* Sic etiam de Auilio Flacco Ægypti Præfecto Philo *in Flacc.* ait: *Vetabat cœtus promiſcuæ multitudinis, ſublatis etiam ſodalitiis, quæ prætextu ſacrorum vacabant mero & crapulæ.* Scilicet eadem ratione vſus eſſe videtur, qua patres, qui ob eandem rationem vigilias nocturnas, ex quibus multa incommoda in eccleſiam redundabant, ſeculo XIII. paſſim ſuſtulerunt, ſic quoque agapæ tandem ſublatæ ſunt, cum in comeſſationem degenerarent.

(a) Quan-

§. VIII. Quem in finem (II.) imperans quoque diſponere poteſt, ne vllum aliquod collegium in republica toleretur, (a) niſi quod confirmatum, & publice approbatum ſit.

§. IX. Similiter (III.) imperanti competit ius

(a) Quantopere Romani in republ. libera timuerint conuentus promiſcuos ciuium, docet Liuius *lib. XIX. c. 15.* Ita enim Poſthumius ibidem: *Maiores veſtri, ne vos quidem, niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſa exercitus edictus eſſet, aut plebi concilium tribuni indixiſſent, aut aliqui ex magiſtratibus ad concionem vocaſſent, forte temere coire voluerunt, & vbicunque multitudo eſſet, ibi & legitimum multitudinis rectorem cenſebant debere eſſe.* Nouerant enim incommoda, quæ ex promiſcua coitione ciuium in rempubl. redundare poſſent. Ita quoque iure Lubecenſi prouiſum, vt omnibus collegiorum conuentibus quidam ſenatores interſint, ne quid in detrimentum reipublicæ ibidem ſtatuatur. vid. *ius Lubec. lib. IV. tit. 13. art. 3.* Atque hinc ſatis prudenter in iure Romano conſtitutum fuit, nullum collegium pro legitimo habendum eſſe, niſi autoritate publica eſſet conſtitutum, & hac ratione *criminis extraordinarii* rei erant, qui abſque publica approbatione coiuerant. Licet enim collegia per ſe non ſint illicita, tamen talia ſiunt, vbi lege publica certa ratione ſunt prohibita. Neque hoc tantum ad collegia profana pertinet, ſed etiam ſacra, cum imperantis ſit prouidere, ne ſub prætextu ſacrorum & pietatis aliquid fiat contra rempublicam. Experti ſunt imperantes cum maximo ſuo damno, quantas turbas ſæpe dederint tot pia, vt vocantur, collegia, fraternitates, ordines, & ſocietates, quæ cum ab initio ſub inuolucro pietatis permiſſa fuerunt, poſtea, vbi altas radices egerunt, ſatis eradicari non potuerunt.

(b) De

ius noua collegia & ſocietates inſtituendi, (b) & illis certum regimen, leges, priuilegia aliaque iura præſcribendi, prout ſalus reipublicæ poſtulare videtur.

§ X.

(b) De priuatis hactenus. *Publica* ſequuntur, quæ quoad ſuam inſtitutionem primam & directionem a publica dependent autoritate reipubl., & ſic in multis a collegiis ceteris priuatis differunt, tum ratione priuilegiorum & iurium, tum ratione adminiſtrationis bonorum, quæ hic non æque ſolet eſſe libera, vti quidem in priuatis: in his enim collegium de bonis ſuis adhuc libere diſponere poteſt, prout priuati: publica collegia quæ bona poſſident, autoritate publica poſſident, & imperanti eo nomine ratio eſt reddenda, atque adeo ſine eius præſcitu ordinarie de iis diſponere nequeunt, vti ſunt bona ciuitatum, communitatum, Academiarum, imo etiam eccleſiarum. Quid enim aliud ſunt, quam cœtus publici? Pertinent huc inſtitutiones *collegiorum commerciis inſeruientium*, *Academiarum, Gymnaſiorum & Scholarum*, variarumq; *ſcientiarum*, vt ſunt paſſim *les ſocietes des ſciences.* Idem collegiorum *ICtorum*, *Medicorum*, *Scabinatuum*, *Iudicum*, *prouentuum & redituum reip. curandorum* &c. Imo ex hoc iure fluit ius dandæ ciuitatis, vt ſcilicet pagus vel vicus poſſit erigi in ciuitatem quoad iura, priuilegia & alia, quæ ciuitatem conſtituunt, quæ vnice ex imperantis autoritate dependent, cum hoc ius regimen reipubl. reſpiciat. Hinc olim ſatis diſputatum fuit, vtrum dominis regionum ius dandæ ciuitatis competeret. Adducit hunc in finem Illuſtris Hertius *diſſ. de ſuper. territ. §. 18.* chartam de anno 1312. ex Io. Iſaaci Pontani *Hiſt. Gelr. lib. 6.* vbi concluſum fuit per principes, *quod nullus princeps aut dominus poſſit alicui oppido vel concedere aliquas libertates, vel priuilegiare*

§. X. Hæc collegia publica ad adminiſtrationem reipublicæ pertinent, proinde (IV.) imperanti competit ius cogendi ſubditos, vt in tale collegium ſe referant, (c) & quod ſui muneris ibi erit, peragant.

§. XI. Circa priuata collegia (V.) ius habet proſpiciendi, nequid ibidem ſtatuatur in præiudicium reipublicæ. (d)

§. XII.

giare aliqua oppida abſque manu & expreſſo conſenſu Regis, in cuius regno dominium ipſius domini ſitum exiſtit, id quod etiam exemplis aliis declarat, non omiſſis tamen contrariis, ſiquidem principes eo tempore tanta haud gaudebant ſuperioritate, vti quidem hodie, propter quam iis quoque hoc ius denegari nequit, vt probatum dedit Dn. Thomaſius peculiari diſſ. *de iure ſtatuum dandæ ciuitatis.*

(c) Præſuppoſui talia collegia, quæ adminiſtrationi reipubl. inſeruiunt, quæ reuera ad munera publica referenda ſunt. Et hoc intuitu quoque admitto, renitentem cogi poſſe ad ſubeundum munus eccleſiaſticum, ſi α) ſatis idoneus β) & religioni illius eccleſiæ, cui præficiendus, addictus ſit. Ziegler. *de cleric. renit.*

(d) Hoc inprimis attendi debet circa collegia opificum, qui non raro inter ſe conſtituere ſolent, quæ vel monopolia ſapiunt, vel aliter noxiam reipubl. inferunt. Grauiter de eiusmodi abuſibus conqueritur Io. Ferrarius Montanus *lib. 6. de inſtit. reip. c. 5.* aiens: *In ſocietatibus ſuis atque collegiis iſthæc ordinant, atque ſtatuunt, quod priuatim commodet, atque a publica vtilitate tam alienum ſit quam quod alieniſſimum. Hinc eſt quod in rebuspublicis non bene inſtructis piſtores inter ſe ſtatuunt, donec alteri panis ſuperſit, ne alter venalem proponat.*

§. XII. Quamuis itaque cuilibet collegio integrum ſit, per modum pacti aliquid ſtatuere de negotiis collegii, ſecundum quod in iis procedatur; tamen etiam hæc ſtatuta ſubſunt (e) imperantis iudicio & inſpectioni.

§. XIII.

proponat. Calcearii, ſartores, linteones atque alii, vt arctus ſit famulitii numerus. Inter pannicularios conueniri ſolet, ne vltra præſtitutum quisquam pannos annuo ſpatio conficiat. Quæ ex eo promanant, quod in collegiis plerumque ſunt plures eorum, qui vel artificia male callent, ægreque exercent, aut ſua luxu alea & comeſſationibus profundunt ac decoquunt, quam qui ſedulo laborant, rebusque acquirendis ſtrenuam & honeſtam operam locant, artisque exercitium ſibi vtile faciunt. Inter quos facile numerus vincit, & quod priuatum eſt vtili præfertur: tametſi fax illa hominum parum conſideret, quid vtile ſit, etiam vtcunque, ſed cum ipſis nulla emergendi ſpes ſit, aliis quoque ſucceſſum inuident, & hoc pacto non ſolum, quod publice perniciosum eſt, vrgent, verum etiam, quod priuatim commodaret, interuertunt. Vnde fit, vt collegia illa artificum præter hoc, quod ob inconſultam ſtatutorum temeritatem illicita atque inhoneſta habent, etiam multis oppidis pernicioſa ſint; Quo magis inuigilandum eſt magiſtratibus, ne tale quidpiam fiat, ſed peſtibus illis interdicatur. Eſt itaque principi relicta reformatio eorum, quæ peſſimis moribus in collegiis introducta in detrimentum reipublicæ vergunt, de quibus mediis pleniſſime agit Petrus Gregorius *de Republ. lib. 13. c. 3.*

(e) (I) Leges quidem condere ſoli imperanti conceſſum, interim priuatis haud interdictum, inter ſe pacta de negotiis inter ſe peragendis inire, quin cum collegium abſque certo ordine non ſubſiſtat, hic vero per pacta certa determinari debeat, cenſetur quoque collegio

legio ius pacta talia conſtituendi datum, eo ipſo, quo publice approbatum eſt. Neque adeo (II) confirmatio talium ſtatutorum neceſſario a principe vel ſumma poteſtate petenda, cum etiam absque illa vim obligandi ex propria virtute habeant, quamuis omnino vtilis ſit. Poteſt tamen (III.) imperans confirmationem eorum ſibi reſeruare, vt absque illa non valeant, id quod maxime reipubl. conducit, cum alias collegia plerumque talia ſtatuant, quæ reipubl. quidem damnoſa, ſingulis autem de collegio proficua eſſe ſoleant. Hac confirmatione accedente pacta talia (IV) in leges proprie dictas tranſeunt, & ſic non amplius a collegio poſſunt reuocari, vti quidem nuda pacta. Cæterum (V) pacta talia tantum valent, quatenus de rebus collegii inita, extra quas ſi aliquid ſtuatuatur, id merito pro inualido habendum, quo etiam pertinet, ſiquidem aliquid determinent de rebus collegii ſui, ſed (VI) in præiudicium reipublicæ, quia in genere omnia pacta priuatorum ad hanc normam dirigenda, & ea, quæ aduerſantur ſaluti reipublicæ, pro illicitis habenda. Sic damnoſum eſt reipublicæ collegiorum ſtatutum, ſi opifices ſtatuant, vt nemo operam ſuam minoris locet, vel rem ſuam minoris vendat, quam inter ſe conuenerint, vel vt iniuriam paſſus tamdiu ab opificio excludatur, donec iniuriam vindicauerit &c. Cum autem (VII) talia pacta eſſent otioſa, niſi etiam quædam coactio illis adiiceretur, ita quoque permiſſum collegio pœnam conuentionalem in transgreſſores ſtatuere, quæ tamen mulctam pecuniariam leuiorem excedere nequit, quo ipſo (VIII) proprie dictam iurisdictionem haud exercet, quippe quæ absque imperio eſt inefficax, quod in collegio æquali ceſſat: interim hoc collegio quoque datum cenſeri debet, vt poſſit cognoſcere de negotiis ad collegium ſpectantibus, & per maiora determinare, an aliquis pacta violaverit, in qua *notione* ſi excedatur, tunc demum iudex ordinarius de hoc

§. XIII. Ex eodem fundamento (VI.) fluit, Imperanti competere ius, collegiis præſcribendi certos limites, (f) quatenus hoc reipublicæ conducibile viſum fuerit.

CAP. V.
De
Iure imperantis circa ſacra.

§. I.

IUra circa ſacra non recte examinari & diiudicari poſſunt, niſi antea cognouerimus, quomodo religio & eccleſia ſe habeant ad Rem-

grauamine cognoſcet & ſententiam deciſiuam ferre poteſt. Atque hinc etiam eſt, quod illa, quæ per iurisdictionem proprie dictam exerceri debent, coram collegio fieri nequeant, veluti quod non poſſint dare tutores, recipere teſtamenta &c.

(f) Huc pertinet (I) ne extranei in tale collegium adſumantur, quatenus originarii opifices adſunt, his enim primario, vt propriis ſubditis, proſpiciendum. (II) ne alii recipiantur, quam qui in tali loco degunt. (III) Poteſt præterea determinare numerum collegarum & prohibere, ne vltra numerum alii adhibeantur, neque alii opifices, quam qui intra numerum ſunt, tolerentur. Ab antiquo enim in plerisque rebuspubl. receptum fuit, vt in ciuitatibus certa & diſtincta haberentur collegia, & ne promiſcue vnusquisque opificium quoddam peragere poſſet, niſi a collegio fuerit approbatus, & in illud receptus. Quo ipſo collegio naſcitur *ius prohibendi*, ne aliquis in ciuitate extra collegii membra opificium exercere audeat.

(g) Inde

Rempubl., & qualis vtriusque potiſſimum finis ſit. (g)

§. II. Sacra hic primario *modum colendi Deum externum* (h) denotant, atque adeo non huius ſed illius vitæ ſalutem pro ſcopo habent: quo poſito, apparet, religionem non pertinere primario ad actiones hominum *inter ſe.* (i)

§. III.

(g) Inde omnis diſſenſus inter eruditos de hac materia, quod diuerſos conceptus ſibi de *religione*, & *ſtatu eccleſiæ* forment, & ad illos conceptus præſuppoſitos iura applicent. Qui ex religione commercium faciunt, iura fini huic conformia excogitant; ſimiliter qui eccleſiam eſſe volunt rempublicam, ordinem parendi & imperandi in ea fingunt &c.

(h) *Religio* ſumitur partim pro *interno*, partim pro *externo* cultu. Hic conſiſtit in certis actibus externis, ad Deum colendum & pietatis culturam directis, vel *reuelatione* determinatis, vel *humano conſilio* ſuperadditis. Finis eſt *æterna beatitudo*, & ſic rurſus primario ſocietatis externæ ſeu vitæ hujus felicitatem non reſpicit, quamuis per conſequentiam hæc exinde fluat: Si enim actiones omnes ad æternam diriguntur ſalutem, actiones reliquæ in *vita ciuili* neceſſario erunt iuſtæ & legibus conformes.

(i) Cum religio *primario* dirigatur ad Deum, (I) non requirit *per ſe* ſocietates humanas, ſed extra easdem eſſe, & quilibet ſibi ipſi ſufficere poteſt ad colendum Deum (II) non pertinet ad actiones hominum inter ſe *primario*, adeoque non poteſt primario de *cultu Dei externo*, quomodo a ſingulis inſtituendus ſit, quomodo cultura pietatis promoueri debeat, in iure naturæ agi, & quamuis (III) *ſocietates* ad colendum Deum & exercenda coniunctim pietatis exercitia homines ineant, ius naturæ tamen tales ſocietates non præ-

§. III. Et quamuis ſacra externo cultu & externis actionibus perficiantur, *finem* tamen *internum* reſpiciunt, adeoque non abſolute coactionibus obnoxia ſunt, (k) ſed plurima libertati conſcientiarum relinquenda.

§. IV. Neque primario ciuitates ſunt introductæ propter religionem, nec dici poteſt, quod ciues ſubmiſcrint quoque in hiſce cauſis voluntatem ſuam imperantis arbitrio, (l) cum id ne quidem potuerint.

§. V.

cipit, ſed conſtitutas dirigit; quin quod ſæpe *rationes accidentales* ſacra externa ſeu *coitiones* inter gentes produxerint. Ita obſeruat doctisſimus Clericus *in Pentateuch. Ex. XII. 11.* ſacra plura eſſe nata ex defectu literarum. *Antiquisſimis temporibus*, ait, *cum raræ eſſent literæ, dies feſti inſtituebantur, in quibus euentus memorabiles ſolennibus eorum imitaminibus celebrabantur, atque inde natæ plurimæ ſanctisſimæ ethnicorum ceremoniæ.*

(k) Ordinarie externa negotia quidem coactionem recipiunt, ſed non aliter, quam quatenus *ciuilia* ſunt, ſeu *ad ciuilem ſocietatem in republica pacifice peragendam pertinent*, & ita reſpiciunt *actiones hominum inter ſe*. Verum actiones immediate ad cultum Dei directæ, *abſque vlla hominum inter ſe coitione*, non eadem ratione ſunt obnoxiæ coactioni ciuili, cum ne quidem ad negotia reipubl. pertineant, ſed internam vnice ſingulorum emendationem reſpiciant, vti *part. gen. c. 1. §. 13.* plenius dictum. Et ſic iuri naturæ aduerſabatur *praeceptum Darii, nequis intra triginta dies Deum quemcunque adoraret*, & preces ad eum mitteret, vnde non peccabat Daniel, quod illud non attenderet *Dan. VI.*

(l) Finis rerumpubl. primarius eſt *tranquillitas externa & ſecuri-*

§. V. Retinuere itaque ſubditi libertatem, (m) vt posſint colendi Dei gratia coire, & ſacra facere, dummodo de cetero pacifice & tranquille viuant.

§. VI.

ſecuritas: illa itaque omnia, quæ huc ſpectant, in imperantis arbitrium contuliſſe ciues videntur, h. e. quæ *priuati iuris* & *arbitrii* erant. Peccat in hoc ipſo Houtuyn. *in polit. gener.* §. 63. dum idem *de religione* aſſerere conatur, ex *ſubmiſſione generali*, ſed huic reſpondet Puffendorf. *de habitu religionis ad vitam ciuilem in calce*, quod ſubmisſio illa generalis vtique limitanda ſit *ex fine inſtitutarum ciuitatum.* Hoc enim ſuppoſito poſſet imperans quemuis externum cultum idololatricum ſubditis iniungere, & a vero Deo auertere, quod ſanæ rationi repugnat.

(m) Quod Ethnici libertatem hanc ſubditis haud conceſſerint, *idololatricæ religionis principiis*, non *rationi iuris* adſcribendum. Illa ritus ſibi aduerſos ferre nequit, ſolida enim pietate deſtituta eſt. Inde odia, ſimultates, bella denique ciuilia. Audiamus Iuuenalem, qui *Sat. XV.* ita canit:

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus vtrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit vterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit &c.

Rex Scythiæ Anacharſim & Scylem interfecit, quod hunc græco ritu Baccho, illum matri Deum clam ſacrificaſſe comperiſſet, teſte Herodoto *lib. IV. n. 109.* Cum animos Romanorum multiplex religio & pleraque externa inuaſiſſet, *datum hoc negotium ædilibus, ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur.* Liuius *lib. IV. c. 30.* Eodem ex fonte

M. Æmilius edixit, *ne quis in publico ſacroue loco nouo aut externo ritu ſacrificaret.* Id. *lib. XXV. c. 1.* Hoc ipſum in Romanis admiratione dignum cenſet Dionyſ. Halicarn. *lib. II.* quod *licet innumeræ gentes in vrbem venerint, quibus omnino neceſſe eſt, colere Deos patrios ritu domeſtico, nulla tamen peregrina ſacra ciuitas Romana ſit æmulata, ita vt publice ea ſint recepta.* quo ipſo tamen *priuatum ſacrorum exercitium* non penitus excluſiſſe videtur. Aſt vero cum religio animam concernat, & per ſe pacem ciuilem non tollat, coactionis omnis neſcia eſt. De Ægyptiis tradit Io. Leo *lib. VIII. deſcript. Africæ. quatuor ſectas inter eos vigere, quæ inter ſe ritibus ſententiisque differant, etſi ex Muhametis dogmate initium omnes trahant. Earum tamen antiſtites & ſacerdotes inter ſe ſine odiis & concorditer viuere, ſed nec inconditam plebem inimicitias aut rixas ideo fouere.* Quando ex diſſenſione religionum pax ciuilis turbatur, hoc fit culpa eorum, qui ſacris præſunt, non vero diſſonantiæ religionum adſcribendum eſt, adeoque iniuſtum eſt, ſub hoc prætextu conſcientiis vim inferre, *cum tamen nihil tam voluntarium quam religio ſit, in qua ſi animus aduerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt*, vt ait Lactant. *lib. V. c. 14.* Valentinianus imperator hæc perpendens *hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuerſitates medius ſteterit, nec quenquam inquietauerit, neque vt hoc coleretur imperauerit, aut illud, nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id, quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes, vt repperit.* Marcellinus *lib. XXX. c. 30.* Ipſe Maximilianus II. agnouit, *nullum enormius peccatum dari poſſe, quam in conſcientias imperium exercere velle.* Quin ne quidem rationes politicæ oppresſionem libertatis huius ſuadent, quippe quæ turbas ſeditionesque in republ. excitare ſolet.

(n) Con-

§. VI. Hæc libertas tamen non impedit, quominus (I.) imperans proſpicere & præcauere poſſit, imo debeat, ne ſub prætextu ſacrorum, ſcelera, fraudes, coniurationes [n] aliaque nefanda committantur.

§. VII. Præterea (II.) haud interdictum eſt imperanti, eos, qui peregrinis dediti ſacris ſunt, non recipere, (o) aut ſi iam recepti ſunt, eis emigrationem ex iuſta cauſa iniungere. (p)

§. VIII.

(n) Coniurationes prætextu religionum in rebuspublicis quandoque ſuſceptas fuiſſe docet plenius Liuius *lib. XXXIX. c. 8.* vbi ſimul in *ſeqq. cap.* plenius *ſacra* nefanda *nocturna* & *Bacchanalia* recenſet, & quantam curam in illis eliminandis conſules poſuerint, refert. Talia nefanda, quæ *crimina publica*, non *ſacra* ſunt, neutiquam in republica tolerari debent.

(o) Sicuti extraneos imperans recipere non tenetur, ita etiam ſub *certa* poteſt *conditione* recipere, ſi religioni publice approbatæ ſe ſubmittere velint; tunc enim eis integrum manet, velintne recedere, an ex pacto ſe conformare ſacris publicis, id quod in *receptione Iudæorum* vbiuis animaduertimus, quos imperans recipere non tenetur. Poſtquam tamen ſemel eos ſimpliciter recepit, ad Chriſtianam religionem eos cogere minime poteſt, nec quæ in contrarium proſtant exempla, *ius* faciunt, ſed *mera facta* referunt.

(p) Supponi poteſt caſus, ſi ob diuerſitatem religionis pax publica ita turbata ſit, vt aliter reduci non poſſit, quam ſi his, qui diſſentiunt a religione dominante, diſcedendi neceſſitas imponatur; tunc enim haud inique agere imperantem exiſtimarem, ſi ad maiora mala euitanda emigrandi neceſſitatem ſubditis imponat.

(q) Prin-

§. VIII. Porro (III.) nec interdictum imperanti eſt, *cultum* ſacrorum *publicum* (q) prohibere, vt interim *priuata ſacra* ſubditis relinquantur.

§. IX.

(q) Principis arbitrio relictum eſt, quid *publice* fieri debeat, decernere. Aſt priuatæ coitiones colendi Dei cauſa huc non pertinent. Equidem periculoſas priuatas coitiones eſſe obiiciunt, ſed ſatis idonea media ſunt, pericula talia euitandi, ſi, vt publice tolerentur, permittatur, neque enim ex publicis coitionibus aliquid mali reſpublica ſentit. Porro obiiciunt, principem collegia priuata prohibere poſſe, ergo etiam huiusmodi priuata conuenticula. Verum alia collegia verſantur circa negotia arbitraria & mere ciuilia, & hactenus ſubſunt diſpoſitioni reipublicæ; hæc vero collegia talem finem haud habent, ſed pietatis animæque culturam, de qua non æque princeps diſponere poteſt. Probarunt hanc *libertatem*, quæ ciuili imperio non ſubiacet, ſuo exemplo primi Chriſtiani, quæ cum eis inique ab Ethnicis imperatoribus denegaretur, tamen non intermiſerunt, colendi Dei cauſa clanculum coire, id quod facere haud potuiſſent, ſi prohibitio eos obſtrinxiſſet. Nouerant enim, magiſtratui eſſe obediendum, & nihilominus tamen hic obedientiam denegabant, & quæuis aduerſa potius experiebantur & patienter tolerabant. Plinius *lib. X. epiſt. 97. de Chriſtianorum cœtibus* diſerte fatetur, *hane fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſtato die ſoliti conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo, dicere;* & deinde *quod coire ſoliti fuerint ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium,* quo ipſo intelligit agapas, addit tamen, *hoc ipſum facere deſiiſſe poſt edictum, quo ſecundum mandata Traiani hetærias eſſe vetuerat*, quod non intelligendum de *ſacris conuentibus*,

ſed

§. IX. Quando itaque homines inter ſe coëunt in ſocietatem cultus diuini cauſa, diſtinguendæ ſunt eorum *actiones* ratione *cultus externi*. Quædam ex intima religionis cuiuscunque natura, (r) nullo vero modo ex arbitrio huma-

ſed potius *agapis*, quippe quæ facilius intermitti poterant. vid. Clariſſ. Sam. Basnage *tom. 2. annaa. ad an. 118. §. 2. 3.* In aprico eſt, potuiſſe Ethnicos eisdem argumentis contra Chriſtianos pugnare, quibus hodie contra diſſentientes, quos *hæreticos* vocant, pugnatur, adeo vt ſi tolerantiam tollas, libertatem conſcientiarum, quam ſubdiri in ciuitatem euntes ſibi reſeruarunt, ſimul euertas. Non inepte Ermenigildus Hiſpanicorum Princeps ad parentem Leuigildum Regem Hiſpaniæ Arrianum ſcripſit apud Marian. *de reb. Hiſp. lib. V. c. 12. in ſaniori religione, quam ipſe inuidiæ cauſam nouam dicis, complectenda, orbis iudicium ſequebamur, multis prætereа nixi præſidiis: De veritate non diſputo, cuique de ea re liberum arbitrium facimus, tantundem modo nobis detur.*

(r) Illæ actiones ex *intima religionis natura* fluere videntur, quæ eſſentialem illius religionis rationem conſtituunt, & ſic ex *reuelatione* dependent, vel ſaltem dependere, vulgo creduntur. Vt in Chriſtiana religione ſunt vſus S. cœnæ, baptismus, &c. Nulla certe religio eſt, quæ non habet ſua peculiaria inſtituta, quæ *eſſentialia* & *neceſſaria* eſſe exiſtimant, licet ab aliis habeantur ſuperſtitioſa. Quæ iudæis erant a Deo præcepta ab ethnicis ſuperſtitioni adſcribebantur, quod nec Tacitus *lib. V. Hiſtor.* diffitetur aiens: *Profana illic* (apud Iudæos) *omnia, quæ apud nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* Gentiles plura ex antiqua reuelatione ſacra deduxerunt, & inde non *arbitraria* eſſe crediderunt, ſed omnino *neceſſaria*,

humano fluunt, & ſic nec arbitrio imperantis ſubſunt.

§. X. Quædam inſtituta ſunt *ordinis cauſa* adornata, in quibus tamen arbitrio humano adhuc multum relictum quoad ſpecialiorem determinationem, (s) & hæ actiones facilius ſubeſſe poſſunt imperio Ciuili.

§. XI.

ceſſaria, qualia fuiſſe videntur, quæ Numa quaſi ab Egeria Dea accepta Romanis proponebat. Et inde nunc ſtatim colligitur ius cogendi ſubditos ad certam religionem aſſumendam principi haud competere, quod reuera etiam fruſtraneum eſt, cum, vt ait Iacobus I. Rex Angl. *Orat. IV. ratio ipſa perſuadeat, & experientia confirmet, homines cum religionis cauſa vexantur, potius animi ſui magnitudine ingeniique peruicacia quam cauſæ bonitate omnia tormenta alacriter ſuſtinere, & mortem quoque ipſam, vt vanam illam & vmbratilem martyrii famam conſequantur.* Nulla ſane peſtilentior opinio reſpublicas vnquam lacerauit afflixitq;, quam *de perſequendis & exſcindendis hæreticis*, vti rerum monumenta per omnia ſecula demonſtrant. Nata enim ab illis opinio eſt, qui rempublicam conculcare in ſui lucrum & commodum ſtuduerunt. Hoc modo enim ipſi imperantes, de hæreſi ſuſpecti, de ſolio deturbari potuere. Hoc modo integra regna exhauſta ſunt, vti de Hiſpania conſtat, quam *inquiſitio* inopem deſertamque reddidit.

(s) Quod homines coire debeant, precationum communium ergo & ita alter alterum excitare debeat ad deuotionem, illud lege publica conſtringi non poteſt, quia etiam Apoſtoli hic dixere, *magis obediendum eſſe Deo quam hominibus.* In ipſa autem congregatione inſtituta plura dependent ex humana inſtitutione v. c. circa *locum, tempus, formam, modum &c.* & quæ ita

ſunt

§. XI. Tunc itaque actiones hominum inter ſe, iuri naturali ſubiectæ, circa ſacra ſeſe exſerunt, quando homines coëunt cultus diuini gratia, quales ſocietates *ſtatum* aliquem *politicum* non faciunt, ſed ſubſiſtunt intra naturam *collegii æqualis.* Interim licet finis non *ciuilis* ſed *ſpiritualis* ſit, nec talia negotia, commercia ciuilia, ſed ſpiritualia reſpiciant, quatenus tamen collegium & ſocietatem externam inter ſe conſtituunt, iura quoque collegiorum (t) ſuo modo hic applicari debent.

§. XII.

ſunt comparata, ad ciuilem poteſtatem *ſuo modo* pertinere poſſunt, maxime ſi *externi ritus* & *ceremoniæ* magis magisque creſcant. *Externa* enim *pompa* plures leges, & obſeruationes requirit, maioribusque rixis & contentionibus obnoxia eſt. Quo ſimplicior cultus, eo melior, quod nec ethnici diffeſſi ſunt. Laudat Liuius *lib. III. c. 57.* priscos Romanos, *quod magis pie, quam magnifice religiones coluerint.* Sic itaque negotia in eccleſia poſſunt duplici modo conſiderari: (I) *in ſe,* & ſic non pertinent ad ciuilem beatitudinem, adeoque ad reip. curam proprie non ſpectant; (II) quatenus ſimul reſpectus politicus ſeu reipubl. ratio concurrit, ſecundum quam prouidendum eſt, vt omnia, quæ pro arbitrio recipiuntur, tranquillitati reipubl. ſint congrua, nec per ea aliquid ſuſcipiatur, vnde ἀταξία & aliæ turbæ in ciuitate dari poſſint.

(t) Quando homines ſocietates inter ſe conſtituunt, cultus diuini gratia, neceſſe eſt, vt actiones quoque ſocietati iſti conuenientes producant, quæ quatenus inter ſocios & collegas peragendæ ſunt, ſuo modo iure naturæ diriguntur, quippe quod iura ſociorum inter ſe determinat. Coëunt homines cultus diuini & pieta-

pietatis excolendæ cauſa & ita *negotium* huius ſocietatis non eſt *ciuile*, vel externam felicitatem reſpicit, ad quæ cetera collegia diriguntur, ſed potius omnia quæ hic aguntur, ab omni commercio humano longe aliena ſunt, & pietatis culturam, quæ ſpiritu & interna mentis operatione perficitur, concernit. Atque adeo cum aliis collegiis non æque in omnibus poteſt comparari, quæ ſuam exiſtentiam a ſecuritate reip. habent, extra quam negotia collegiorum ciuilium frigent; præterea quoque mere arbitraria ſunt, & pro lubitu e republ. poſſunt eliminari. Eccleſiæ externam ſecuritatem reip. ad ſui operationem non abſolute requirunt, finem ſuum poſſunt obtinere in turbida etiam republ., & vbi motibus internis perſecutionibusque omnia plena ſunt: Quandoque rectius finem aſſequuntur ſocietates Eccleſiaſticæ ſub perſecutione, quam in plena ſecuritate conſtitutæ. Reſpexit huc Chryſoſtomus *lib. adv. Gentil.* aiens: *cum imperialem thronum conſcendit is, qui nobiscum in fide ac opinione conſentit* (& ſic eccleſiæ plena fruuntur ſecuritate) *hinc ſegniores efficiuntur res Chriſtianorum; tantum abeſt, vt illæ per humanos honores erectæ conſiſtant. Rurſus cum impius aliquis Imperator regnat; qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tunc eadem pretium accipiunt atque inclareſcunt, tunc præmiorum ac triumphorum tempus, tunc præconiorum ac virtutis omnis oſtentandæ facultas.* Commercia ciuilia, quæ in ciuitate vigent, tolluntur, ſublata quiete publica, ſed neutiquam commercium pietatis. Ex quo deduco, (I) hoc collegium eſſe mere *æquale*, quod ad finem huius collegii obtinendum non externa vis, non imperium neceſſarium ſit: tranſiret ſane in peculiarem reipubl. formam & ciuiles rationes adſumeret, ſi alio modo inſtrueretur: imo cum eccleſiæ ſeu huiusmodi ſocietates eſſe poſſint in republ., quamuis pars eius non ſint, ſalus reipubl. conuelleretur, ſi noua reſpubl. in hac ſocietate erigeretur, quia ita noua reſpubli-

§. XII. Cum vero in omni collegio priuato ordine & decenter omnia peragenda, & quæ huc ſpectant, collegium posſit ordinare, hinc ex natura huius collegii deſcendit, quod posſint membra eiusdem conſtituere Doctores, [u] aliaque determinare circa locum, tempus &c.

§. XIII.

publica in republ. daretur, id quod abſurdum. & quamuis (II) ſocietates hæ absque aliqua *directione externa*, vt ordine & decenter in tanta hominum multitudine omnia fiant, ſubſiſtere nequeant, & ita ſoleant eisdem præfici, per quos dirigantur, hi tamen non per modum *imperii*, ſed potius *conſilii* omnia, quæ decernunt, peragere debent, & ita, quæ ad ordinem externum huius collegii ſpectant, per modum *pacti* vt plurimum expedienda ſunt. Et cum (III) finis huius ſocietatis ſit magis directus ad internam animi emendationem & pietatis culturam, omnia quæ in tali ſocietate aguntur, ita peragenda ſunt, ne ille impediatur. Statim vero ac homines (IV) ab illo fine deſciſcunt, quod facile fieri poteſt, negotia huius ſocietatis facile ſolent induere χῆμα πολιτικὸν, & in *commercium ciuile* conuerti, quo ipſo *iura eccleſiaſtica* magis magisque augentur, id quod hodierna eccleſiarum facies oſtendit & religio ethnicorum demonſtrat. Et ita poſtquam ex deprauatione ſua magis magisque ad *ciuiles rationes* deflectit, iam quoque iura imperantium circa tales ſocietates maiora emergunt, qui præcauere debent, ne quid detrimenti respubl. capere inde posſit. Et hinc tot *iura imperantium circa ſacra* nata ſunt.

(u) Si coitiones *priuatim* fiant, res expedita eſt. Si ſacra *publica* in ciuitate fiant, indolem *negotiorum publicorum* quodammodo ſortiuntur, & ita imperans ex *iure circa collegia publica* hanc libertatem reſtringere, & præ-

§. XIII. Neque mutatur huius collegii natura, ſi vel maxime imperans eidem accedit, ſed tunc quoque fit membrum illius collegii, (x) neque ita eccleſia fit *ſtatus Ciuilis*.

§. XIV.

& præfectos ſacrorum conſtituere, inter eos gradus facere, vel electionem cœtui certis ſub legibus permittere poteſt, quod ius imperatores in eccleſiis paſſim exercuerunt, antequam clerus ad tam faſtuoſam potentiam perueniret. Nec gentiles aliter hac in re egerunt. Romulus ſacrarum antiſtites certo modo determinauit, *iuſſitque ex vnaquaque tribu vatem vnum ſacris intereſſe, quem ἱερόσκοπον appellabant. Omnes autem ſacerdotes & Deorum miniſtros lege lata iuſſit a curiis eligi & confirmari ab iis, qui Deorum voluntatem per vaticinia interpretabantur*, Dion. Halicarn. *lib. II.*

(x) Illud quoque ex dictis ad *Cap. antec.* apparet. Sic poſtquam Imperatores Chriſtiani facti, ſecura quidem & tranquilla ratio Eccleſiarum facta, ſed nihil accreuit eo ipſo imperantibus, nec imperium nouum in eccleſia ipſa ortum eſt. Accedit enim imperans ad Eccleſiam non qua talis, ſed qua *Chriſtianus*, & ſic hoc reſpectu membrum fit eccleſiæ, & quatenus eſt membrum huius collegii, plus iuris non habet, quam ceteri. Nec exiſtimandum eſt, quod tunc demum ius circa ſacra conſequatur, nam illud etiam iam antea ex *ſuprema poteſtate* obtinuit, antequam cœtui huic ſe adiungeret, cum illud non exerceat, quatenus membrum eſt eccleſiæ, ſed quatenus reipublicæ præeſt. Nam inſpectio ſuprema circa quæcunque ſacra eſt eadem. Vnde Chriſtiani principes exercent ius circa ſacra iudæorum, aliarumque ſectarum, vtut maiorem curam inſpectionemque illis impendere ſoleant, quibus ipſimet addicti ſunt.

(y) In

§. XIV. Vnde minus recte aſſeritur, imperantes eo ipſo fieri *capita eccleſiarum* (y) & *Epiſcopos*, niſi hoc de generali imperantis iure circa omnia collegia intelligas, quod tamen iam antea habuere.

§. XV. Cum vero eccleſia ſit in Republ. imperanti non minus ac in cetera collegia competit *ius inſpectionis generalis*, (z) vt videat, ne quid

(y) In eo peccauit Houtuyn §. 63. Diuerſa ſcilicet ſunt, an imperans imperium ſuum *in eccleſia* exerceat, & an *in eccleſiam*. Poſterius admitti poteſt, quatenus in omnia collegia certo modo ius habet prouidendi, ne Respubl. exinde damnum ſentiat, & ita non conſideratur, vt *membrum eccleſiæ*, ſed vt *princeps* reipubl. Sed in ipſa eccleſia, quatenus tanquam *membrum* eius conſideratur, imperium nullum exercet, quoad illa, quæ Eccleſiæ propria ſunt, ſed retinet Eccleſia ſuum antiquum ſtatum.

(z) Non raro contingit, membra collegii & inprimis, qui illis præſunt, ſua abuti poteſtate, & limites officii ſui excedere, adeoque arrogare ſibi *poteſtatem legislatoriam* vel *imperatoriam*, ſicuti id peſſimo Romanæ eccleſiæ exemplo conſtat. Mature itaque præcauendum eſt, ne quid tale fiat, ſed Doctores intra limites officii coërceantur. Eo accuratiorem autem inſpectionem hæ ſocietates merentur, quo grauiora damna in rempubl. exinde redundare poſſunt, ſi a vero fine deflectunt. Homines a natura imperium in alios ambiunt, præſertim vbi venerationem & cultum externum aliorum ſibi conciliarunt. Iam inter omnes fere gentes inſignis ſemper veneratio erga eos obtinuit, qui ſacris præfuere, adeo, vt Curtius haud inepte dixerit, *plebem incautam, vbi ſuperſtitione capitur,*

§. XIII. Ex eodem fundamento (VI.) fluit, Imperanti competere ius, collegiis præſcribendi certos limites, (f) quatenus hoc reipublicæ conducibile viſum fuerit.

CAP. V.
De
Iure imperantis circa ſacra.

§. I.

IUra circa ſacra non recte examinari & diiudicari poſſunt, niſi antea cognouerimus, quomodo religio & eccleſia ſe habeant ad Rem-

grauamine cognoſcet & ſententiam deciſiuam ferre poteſt. Atque hinc etiam eſt, quod illa, quæ per iurisdictionem proprie dictam exerceri debent, coram collegio fieri nequeant, veluti quod non poſſint dare tutores, recipere teſtamenta &c.

(f) Huc pertinet (I) ne extranei in tale collegium adſumantur, quatenus originarii opifices adſunt, his enim primario, vt propriis ſubditis, proſpiciendum. (II) ne alii recipiantur, quam qui in tali loco degunt. (III) Poteſt præterea determinare numerum collegarum & prohibere, ne vltra numerum alii adhibeantur, neque alii opifices, quam qui intra numerum ſunt, tolerentur. Ab antiquo enim in plerisque rebuspubl. receptum fuit, vt in ciuitatibus certa & diſtincta haberentur collegia, & ne promiſcue vnusquisque opificium quoddam peragere poſſet, niſi a collegio fuerit approbatus, & in illud receptus. Quo ipſo collegio naſcitur *ius prohibendi*, ne aliquis in ciuitate extra collegii membra opificium exercere audeat.

(g) Inde

Rempubl., & qualis vtriusque potiſſimum finis ſit. (g)

§. II. Sacra hic primario *modum colendi Deum externum* (h) denotant, atque adeo non huius ſed illius vitæ ſalutem pro ſcopo habent: quo poſito, apparet, religionem non pertinere primario ad actiones hominum *inter ſe*. (i)

§. III.

(g) Inde omnis diſſenſus inter eruditos de hac materia, quod diuerſos conceptus ſibi de *religione*, & *ſtatu eccleſiæ* forment, & ad illos conceptus præſuppoſitos iura applicent. Qui ex religione commercium faciunt, iura fini huic conformia excogitant; ſimiliter qui eccleſiam eſſe volunt rempublicam, ordinem parendi & imperandi in ea fingunt &c.

(h) *Religio* ſumitur partim pro *interno*, partim pro *externo* cultu. Hic conſiſtit in certis actibus externis, ad Deum colendum & pietatis culturam directis, vel *reuelatione* determinatis, vel *humano conſilio* ſuperadditis. Finis eſt *æterna beatitudo*, & ſic rurſus primario ſocietatis externæ ſeu vitæ hujus felicitatem non reſpicit, quamuis per conſequentiam hæc exinde fluat: Si enim actiones omnes ad æternam diriguntur ſalutem, actiones reliquæ in *vita ciuili* neceſſario erunt iuſtæ & legibus conformes.

(i) Cum religio *primario* dirigatur ad Deum, (I) non requirit *per ſe* ſocietates humanas, ſed extra easdem eſſe, & quilibet ſibi ipſi ſufficere poteſt ad colendum Deum (II) non pertinet ad actiones hominum inter ſe *primario*, adeoque non poteſt primario de *cultu Dei externo*, quomodo a ſingulis inſtituendus ſit, quomodo cultura pietatis promoueri debeat, in iure naturæ agi, & quamuis (III) *ſocietates* ad colendum Deum & exercenda coniunctim pietatis exercitia homines ineant, ius naturæ tamen tales ſocietates non præ-

 cipit

§. III. Et quamuis ſacra externo cultu & externis actionibus perficiantur, *finem* tamen *internum* reſpiciunt, adeoque non abſolute coactionibus obnoxia ſunt, (k) ſed plurima libertati conſcientiarum relinquenda.

§. IV. Neque primario ciuitates ſunt introductæ propter religionem, nec dici poteſt, quod ciues ſubmiſerint quoque in hiſce cauſis voluntatem ſuam imperantis arbitrio, (l) cum id ne quidem potuerint.

§. V.

cipit, ſed conſtitutas dirigit; quin quod ſæpe *rationes accidentales* ſacra externa ſeu *coitiones* inter gentes produxerint. Ita obſeruat doctiſſimus Clericus *in Pentateuch. Ex. XII. 11.* ſacra plura eſſe nata ex defectu literarum. *Antiquiſſimis temporibus*, ait, *cum raræ eſſent literæ, dies feſti inſtituebantur, in quibus euentus memorabiles ſolennibus eorum imitaminibus celebrabantur, atque inde natæ plurimæ ſanctiſſimæ ethnicorum ceremoniæ.*

(k) Ordinarie externa negotia quidem coactionem recipiunt, ſed non aliter, quam quatenus *ciuilia* ſunt, ſeu *ad ciuilem ſocietatem in republica pacifice peragendam pertinent*, & ita reſpiciunt *actiones hominum inter ſe.* Verum actiones immediate ad cultum Dei directæ, *abſque vlla hominum inter ſe coitione*, non eadem ratione ſunt obnoxiæ coactioni ciuili, cum ne quidem ad negotia reipubl. pertineant, ſed internam vnice ſingulorum emendationem reſpiciant, vti *part. gen. c. 1. §. 13.* plenius dictum. Et ſic iuri naturæ aduerſabatur *praeceptum Darii, nequis intra triginta dies Deum quemcunque adoraret*, & preces ad eum mitteret, vnde non peccabat Daniel, quod illud non attenderet *Dan. VI.*

(l) Finis rerumpubl. primarius eſt *tranquillitas externa & ſecuri-*

§. V. Retinuere itaque ſubditi libertatem, (m) vt posſint colendi Dei gratia coire, & ſacra facere, dummodo de cetero pacifice & tranquille viuant.

§. VI.

ſecuritas: illa itaque omnia, quæ huc ſpectant, in imperantis arbitrium contuliſſe ciues videntur, h. e. quæ *priuati iuris* & *arbitrii* erant. Peccat in hoc ipſo Houtuyn. *in polit. gener.* §. 63. dum idem *de religione* aſſerere conatur, ex *ſubmiſſione generali*, ſed huic reſpondet Puffendorf. *de habitu religionis ad vitam ciuilem in calce*, quod ſubmisſio illa generalis vtique limitanda ſit *ex fine inſtitutarum ciuitatum.* Hoc enim ſuppoſito poſſet imperans quemuis externum cultum idololatricum ſubditis iniungere, & a vero Deo auertere, quod ſanæ rationi repugnat.

(m) Quod Ethnici libertatem hanc ſubditis haud conceſſerint, *idololatricæ religionis principiis*, non *rationi iuris* adſcribendum. Illa ritus ſibi aduerſos ferre nequit, ſolida enim pietate deſtituta eſt. Inde odia, ſimultates, bella denique ciuilia. Audiamus Iuuenalem, qui *Sat. XV.* ita canit:

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus vtrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit vterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit &c.

Rex Scythiæ Anacharſim & Scylem interfecit, quod hunc græco ritu Baccho, illum matri Deum clam ſacrificaſſe comperiſſet, teſte Herodoto *lib. IV. n. 109.* Cum animos Romanorum multiplex religio & pleraque externa inuaſiſſet, *datum hoc negotium ædilibus, ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur.* Liuius *lib. IV. c. 30.* Eodem ex fonte

M. Æmilius edixit, *ne quis in publico ſacroue loco nouo aut externo ritu ſacrificaret.* Id. *lib. XXV. c. 1.* Hoc ipſum in Romanis admiratione dignum cenſet Dionyſ. Halicarn. *lib. II.* quod *licet innumeræ gentes in Vrbem Venerint, quibus omnino neceſſe eſt, colere Deos patribus ritu domeſtico, nulla tamen peregrina ſacra ciuitas Romana ſit æmulata, ita Vt publice ea ſint recepta.* quo ipſo tamen *priuatum ſacrorum exercitium* non penitus excluſiſſe videtur. Aſt vero cum religio animam concernat, & per ſe pacem ciuilem non tollat, coactionis omnis neſcia eſt. De Ægyptiis tradit Io. Leo *lib. VIII. deſcript. Africæ. quatuor ſectas inter eos Vigere, quæ inter ſe ritibus ſententiisque differant, etſi ex Muhametis dogmate initium omnes trahant. Earum tamen antiſtites & ſacerdotes inter ſe ſine odiis & concorditer Viuere, ſed nec inconditam plebem inimicitias aut rixas ideo fouere.* Quando ex diſſenſione religionum pax ciuilis turbatur, hoc fit culpa eorum, qui ſacris præſunt, non vero diſſonantiæ religionum adſcribendum eſt, adeoque iniuſtum eſt, ſub hoc prætextu conſcientiis vim inferre, *cum tamen nihil tam Voluntarium quam religio ſit, in qua ſi animus auerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt*, vt ait Lactant. *lib. V. c. 14.* Valentinianus imperator hæc perpendens *hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuerſitates medius ſteterit, nec quenquam inquietauerit, neque Vt hoc coleretur imperauerit, aut illud, nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id, quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes, Vt repperit.* Marcellinus *lib. XXX. c. 30.* Ipſe Maximilianus II. agnouit, *nullum enormius peccatum dari poſſe, quam in conſcientias imperium exercere Velle.* Quin ne quidem rationes politicæ oppreſſionem libertatis huius ſuadent, quippe quæ turbas ſeditionesque in republ. excitare ſolet.

§. VI. Hæc libertas tamen non impedit, quominus (I.) imperans proſpicere & præcauere poſſit, imo debeat, ne ſub prætextu ſacrorum, ſcelera, fraudes, coniurationes [n] aliaque nefanda committantur.

§. VII. Præterea (II.) haud interdictum eſt imperanti, eos, qui peregrinis dediti ſacris ſunt, non recipere, (o) aut ſi iam recepti ſunt, eis emigrationem ex iuſta cauſa iniungere. (p)

§. VIII.

(n) Coniurationes prætextu religionum in rebuspublicis quandoque ſuſceptas fuiſſe docet plenius Liuius *lib. XXXIX. c. 8.* vbi ſimul in *ſeqq. cap.* plenius *ſacra* nefanda *nocturna* & *Bacchanalia* recenſet, & quantam curam in illis eliminandis conſules poſuerint, refert. Talia nefanda, quæ *crimina publica*, non *ſacra* ſunt, neutiquam in republica tolerari debent.

(o) Sicuti extraneos imperans recipere non tenetur, ita etiam ſub *certa* poteſt *conditione* recipere, ſi religioni publice approbatæ ſe ſubmittere velint; tunc enim eis integrum manet, velintne recedere, an ex pacto ſe conformare ſacris publicis, id quod in *receptione Iudæorum* vbiuis animaduertimus, quos imperans recipere non tenetur. Poſtquam tamen ſemel eos ſimpliciter recepit, ad Chriſtianam religionem eos cogere minime poteſt, nec quæ in contrarium proſtant exempla, *ius* faciunt, ſed *mera facta* referunt.

(p) Supponi poteſt caſus, ſi ob diuerſitatem religionis pax publica ita turbata ſit, vt aliter reduci non poſſit, quam ſi his, qui diſſentiunt a religione dominante, diſcedendi neceſſitas imponatur; tunc enim haud inique agere imperantem exiſtimarem, ſi ad maiora mala euitanda emigrandi neceſſitatem ſubditis imponat.

 (q) Prin-

§. VIII. Porro (III.) nec interdictum imperanti eſt, *cultum* ſacrorum *publicum* (q) prohibere, vt interim *priuata ſacra* ſubditis relinquantur.

§. IX.

(q) Principis arbitrio relictum eſt, quid *publice* fieri debeat, decernere. Aſt priuatæ coitiones colendi Dei cauſa huc non pertinent. Equidem periculoſas priuatas coitiones eſſe obiiciunt, ſed ſatis idonea media ſunt, pericula talia euitandi, ſi, vt publice tolerentur, permittatur, neque enim ex publicis coitionibus aliquid mali reſpublica ſentit. Porro obiiciunt, principem collegia priuata prohibere poſſe, ergo etiam huiusmodi priuata conuenticula. Verum alia collegia verſantur circa negotia arbitraria & mere ciuilia, & hactenus ſubſunt diſpoſitioni reipublicæ; hæc vero collegia talem finem haud habent, ſed pietatis animæque culturam, de qua non æque princeps diſponere poteſt. Probarunt hanc *libertatem*, quæ ciuili imperio non ſubiacet, ſuo exemplo primi Chriſtiani, quæ cum eis inique ab Ethnicis imperatoribus denegaretur, tamen non intermiſerunt, colendi Dei cauſa clanculum coire, id quod facere haud potuiſſent, ſi prohibitio eos obſtrinxiſſet. Nouerant enim, magiſtratui eſſe obediendum, & nihilominus tamen hic obedientiam denegabant, & quæuis aduerſa potius experiebantur & patienter tolerabant. Plinius *lib. X. epiſt. 97. de Chriſtianorum cœtibus* diſerte fatetur, *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſtato die ſoliti conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo, dicere;* & deinde *quod coire ſoliti fuerint ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium*, quo ipſo intelligit agapas, addit tamen, *hoc ipſum facere deſiiſſe poſt edictum, quo ſecundum mandata Traiani hetærias eſſe vetuerat*, quod non intelligendum de *ſacris conuentibus*,

ſed

§. IX. Quando itaque homines inter ſe coëunt in ſocietatem cultus diuini cauſa, diſtinguendæ ſunt eorum *actiones* ratione *cultus externi*. Quædam ex intima religionis cuiuscunque natura, (r) nullo vero modo ex arbitrio huma-

ſed potius *agapis*, quippe quæ facilius intermitti poterant. vid. Clariſſ. Sam. Basnage *tom. 2. annal. ad an. 118. §. 2. 3.* In aprico eſt, potuiſſe Ethnicos eisdem argumentis contra Chriſtianos pugnare, quibus hodie contra diſſentientes, quos *hæreticos* vocant, pugnatur, adeo vt ſi tolerantiam tollas, libertatem conſcientiarum, quam ſubditi in ciuitatem euntes ſibi reſeruarunt, ſimul euertas. Non inepte Ermenigildus Hiſpanicorum Princeps ad parentem Leuigildum Regem Hiſpaniæ Arrianum ſcripſit apud Marian. *de reb. Hiſp. lib. V. c. 12. in ſaniori religione, quam ipſe inuidiæ cauſam nouam dicis, complectenda, orbis iudicium ſequebamur, multis præterea nixi præſidiis: De veritate non diſputo, cuique de ea re liberum arbitrium facimus, tantundem modo nobis detur.*

(r) Illæ actiones ex *intima religionis natura* fluere videntur, quæ eſſentialem illius religionis rationem conſtituunt, & ſic ex *reuelatione* dependent, vel ſaltem dependere, vulgo creduntur. Vt in Chriſtiana religione ſunt vſus S. cœnæ, baptismus, &c. Nulla certe religio eſt, quæ non habet ſua peculiaria inſtituta, quæ *eſſentialia* & *neceſſaria* eſſe exiſtimant, licet ab aliis habeantur ſuperſtitioſa. Quæ iudæis erant a Deo præcepta ab ethnicis ſuperſtitioni adſcribebantur, quod nec Tacitus *lib. V. Hiſtor.* diffitetur aiens: *Profana illic* (apud Iudæos) *omnia, quæ apud nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* Gentiles plura ex antiqua reuelatione ſacra deduxerunt, & inde non *arbitraria* eſſe crediderunt, ſed omnino *neceſſaria*,

humano fluunt, & ſic nec arbitrio imperantis ſubſunt.

§. X. Quædam inſtituta ſunt *ordinis cauſa* adornata, in quibus tamen arbitrio humanò adhuc multum relictum quoad ſpecialiorem determinationem, (s) & hæ actiones facilius ſubeſſe poſſunt imperio Ciuili.

§. XI.

ceſſaria, qualia fuiſſe videntur, quæ Numa quaſi ab Egeria Dea accepta Romanis proponebat. Et inde nunc ſtatim colligitur ius cogendi ſubditos ad certam religionem aſſumendam principi haud competere, quod reuera etiam fruſtraneum eſt, cum, vt ait Iacobus I. Rex Angl. *Orat. IV. ratio ipſa perſuadeat, & experientia confirmet, homines cum religionis cauſa vexantur, potius animi ſui magnitudine ingeniique peruicacia quam cauſæ bonitate omnia tormenta alacriter ſuſtinere, & mortem quoque ipſam, vt vanam illam & vmbratilem martyrii famam conſequantur.* Nulla ſane peſtilentior opinio reſpublicas vnquam lacerauit afflixitq;, quam *de perſequendis & exſcindendis hæreticis*, vti rerum monumenta per omnia ſecula demonſtrant. Nata enim ab illis opinio eſt, qui rempublicam conculcare in ſui lucrum & commodum ſtuduerunt. Hoc modo enim ipſi imperantes, de hæreſi ſuſpecti, de ſolio deturbari potuere. Hoc modo integra regna exhauſta ſunt, vti de Hiſpania conſtat, quam *inquiſitio* inopem deſertamque reddidit.

(s) Quod homines coire debeant, precationum communium ergo & ita alter alterum excitare debeat ad deuotionem, illud lege publica conſtringi non poteſt, quia etiam Apoſtoli hic dixere, *magis obediendum eſſe Deo quam hominibus.* In ipſa autem congregatione inſtituta plura dependent ex humana inſtitutione v. c. circa *locum, tempus, formam, modum &c.* & quæ ita-

ſunt

§. XI. Tunc itaque actiones hominum inter ſe, iuri naturali ſubiectæ, circa ſacra ſeſe exſerunt, quando homines coëunt cultus diuini gratia, quales ſocietates *ſtatum* aliquem *politicum* non faciunt, ſed ſubſiſtunt intra naturam *collegii æqualis*. Interim licet finis non *ciuilis* ſed *ſpiritualis* ſit, nec talia negotia, commercia ciuilia, ſed ſpiritualia reſpiciant, quatenus tamen collegium & ſocietatem externam inter ſe conſtituunt, iura quoque collegiorum (t) ſuo modo hic applicari debent.

§. XII.

ſunt comparata, ad ciuilem poteſtatem *ſub modo* pertinere poſſunt, maxime ſi *externi ritus* & *ceremoniæ* magis magisque creſcant. *Externa* enim *pompa* plures leges, & obſeruationes requirit, maioribusque rixis & contentionibus obnoxia eſt. Quo ſimplicior cultus, eo melior, quod nec ethnici diffeſſi ſunt. Laudat Liuius *lib. III. c. 57.* priſcos Romanos, *quod magis pie, quam magnifice religiones coluerint*. Sic itaque negotia in eccleſia poſſunt duplici modo conſiderari: (I) *in ſe*, & ſic non pertinent ad ciuilem beatitudinem, adeoque ad reip. curam proprie non ſpectant, (II) quatenus ſimul reſpectus politicus ſeu reipubl. ratio concurrit, ſecundum quam prouidendum eſt, vt omnia, quæ pro arbitrio recipiuntur, tranquillitati reipubl. ſint congrua, nec per ea aliquid ſuſcipiatur, vnde ἀταξία & aliæ turbæ in ciuitate dari poſſint.

(t) Quando homines ſocietates inter ſe conſtituunt cultus diuini gratia, neceſſe eſt, vt actiones quoque ſocietati iſti conuenientes producant, quæ quatenus inter ſocios & collegas peragendæ ſunt, ſuo modo iure naturæ diriguntur, quippe quod iura ſociorum inter ſe determinat. Cöeunt homines cultus diuini & pieta-

pietatis excolendæ cauſa & ita *negotium* huius ſocietatis non eſt *ciuile*, vel externam felicitatem reſpicit, ad quæ cetera collegia diriguntur, ſed potius omnia quæ hic aguntur, ab omni commercio humano longe aliena ſunt, & pietatis culturam, quæ ſpiritu & interna mentis operatione perficitur, concernit. Atque adeo cum aliis collegiis non æque in omnibus poteſt comparari, quæ ſuam exiſtentiam a ſecuritate reip. habent, extra quam negotia collegiorum ciuilium frigent; præterea quoque mere arbitraria ſunt, & pro lubitu e republ. poſſunt eliminari. Eccleſiæ externam ſecuritatem reip. ad ſui operationem non abſolute requirunt, finem ſuum poſſunt obtinere in turbida etiam republ., & vbi motibus internis perſecutionibusque omnia plena ſunt: Quandoque rectius finem aſſequuntur ſocietates Eccleſiaſticæ ſub perſecutione, quam in plena ſecuritate conſtitutæ. Reſpexit hue Chryſoſtomus *lib. adv. Gentil.* aiens: *cum imperialem thronum conſcendit is, qui nobiscum in fide ac opinione conſentit* (& ſic eccleſiæ plena fruuntur ſecuritate) *hinc ſegniores efficiuntur res Chriſtianorum; tantum abeſt, vt illæ per humanos honores erectæ conſiſtant. Rurſus cum impius aliquis Imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tunc eadem pretium accipiunt atque inclareſcunt, tunc præmiorum ac triumphorum tempus, tunc præconiorum ac virtutis omnis oſtentandæ facultas.* Commercia ciuilia, quæ in ciuitate vigent, tolluntur, ſublata quiete publica, ſed neutiquam commercium pietatis. Ex quo deduco, (I) hoc collegium eſſe mere *æquale*, quod ad finem huius collegii obtinendum non externa vis, non imperium neceſſarium ſit: tranſiret ſane in peculiarem reipubl. formam & ciuiles rationes adſumeret, ſi alio modo inſtrueretur: imo cum eccleſiæ ſeu huiusmodi ſocietates eſſe poſſint in republ., quamuis pars eius non ſint, ſalus reipubl. conuelleretur, ſi noua reſpubl. in hac ſocietate erigeretur, quia ita noua reſpubli-

§. XII. Cum vero in omni collegio priuato ordine & decenter omnia peragenda, & quæ huc ſpectant, collegium poſſit ordinare, hinc ex natura huius collegii deſcendit, quod poſſint membra eiusdem conſtituere Doctores, [u] aliaque determinare circa locum, tempus &c.

§. XIII.

publica in republ. daretur, id quod abſurdum. & quamuis (II) ſocietates hæ absque aliqua *directione externa*, vt ordine & decenter in tanta hominum multitudine omnia fiant, ſubſiſtere nequeant, & ita ſoleant eisdem præfici, per quos dirigantur, hi tamen non per modum *imperii*, ſed potius *conſilii* omnia, quæ decernunt, peragere debent, & ita, quæ ad ordinem externum huius collegii ſpectant, per modum *pacti* vt plurimum expedienda ſunt. Et cum (III) finis huius ſocietatis ſit magis directus ad internam animi emendationem & pietatis culturam, omnia quæ in tali ſocietate aguntur, ita peragenda ſunt, ne ille impediatur. Statim vero ac homines (IV) ab illo fine deſciſcunt, quod facile fieri poteſt, negotia huius ſocietatis facile ſolent induere σχῆμα πολιτικὸν, & in *commercium ciuile* conuerti, quo ipſo *iura eccleſiaſtica* magis magisque augentur, id quod hodierna eccleſiarum facies oſtendit & religio ethnicorum demonſtrat. Et ita poſtquam ex deprauatione ſua magis magisque ad *ciuiles rationes* deflectit, iam quoque iura imperantium circa tales ſocietates maiora emergunt, qui præcauere debent, ne quid detrimenti respubl. capere inde poſſit. Et hinc tot *iura imperantium circa ſacra* nata ſunt.

(u) Si coitiones *priuatim* fiant, res expedita eſt. Si ſacra *publica* in ciuitate fiant, indolem *negotiorum publicorum* quodammodo ſortiuntur, & ita imperans ex *iure circa collegia publica* hanc libertatem reſtringere, & præ-

§. XIII. Neque mutatur huius collegii natura, ſi vel maxime imperans eidem accedit, ſed tunc quoque ſit membrum illius collegii, (x) neque ita eccleſia fit *ſtatus Ciuilis.*

§. XIV.

& præfectos ſacrorum conſtituere, inter eos gradus facere, vel electionem cœtui certis ſub legibus permittere poteſt, quod ius imperatores in eccleſiis paſſim exercuerunt, antequam clerus ad tam faſtuoſam potentiam perueniret. Nec gentiles aliter hac in re egerunt. Romulus ſacrarum antiſtites certo modo determinauit, *iuſſitque ex vnaquaque tribu vatem vnum ſacris intereſſe, quem ἱερόσκοπον appellabant. Omnes autem ſacerdotes & Deorum miniſtros lege lata iuſſit a curiis eligi & confirmari ab iis, qui Deorum voluntatem per vaticinia interpretabantur,* Dion. Halicarn. *lib. II.*

(x) Illud quoque ex dictis ad *Cap. antec.* apparet. Sic poſtquam Imperatores Chriſtiani facti, ſecura quidem & tranquilla ratio Eccleſiarum facta, ſed nihil accreuit eo ipſo imperantibus, nec imperium nouum in eccleſia ipſa ortum eſt. Accedit enim imperans ad Eccleſiam non qua talis, ſed qua *Chriſtianus*, & ſic hoc reſpectu membrum fit eccleſiæ, & quatenus eſt membrum huius collegii, plus iuris non habet, quam ceteri. Nec exiſtimandum eſt, quod tunc demum ius circa ſacra conſequatur, nam illud etiam iam antea ex *ſuprema poteſtate* obtinuit, antequam cœtui huic ſe adiungeret, cum illud non exerceat, quatenus membrum eſt eccleſiæ, ſed quatenus reipublicæ præeſt. Nam inſpectio ſuprema circa quæcunque ſacra eſt eadem. Vnde Chriſtiani principes exercent ius circa ſacra iudæorum, aliarumque ſectarum, vtut maiorem curam inſpectionemque illis impendere ſoleant, quibus ipſimet addicti ſunt.

(y) In

§. XIV. Vnde minus recte aſſeritur, imperantes eo ipſo fieri *capita eccleſiarum* (y) & *Epiſcopos*, niſi hoc de generali imperantis iure circa omnia collegia intelligas, quod tamen iam antea habuere.

§. XV. Cum vero eccleſia ſit in Republ. imperanti non minus ac in cetera collegia competit *ius inſpectionis generalis*, (z) vt videat, ne quid

(y) In eo peccauit Houtuyn §. 63. Diuerſa ſcilicet ſunt, an imperans imperium ſuum *in eccleſia* exerceat, & an *in eccleſiam*. Poſterius admitti poteſt, quatenus in omnia collegia certo modo ius habet prouidendi, ne Respubl. exinde damnum ſentiat, & ita non conſideratur, vt *membrum eccleſiæ*, ſed vt *princeps reipubl.* Sed in ipſa eccleſia, quatenus tanquam *membrum* eius conſideratur, imperium nullum exercet, quoad illa, quæ Eccleſiæ propria ſunt, ſed retinet Eccleſia ſuum antiquum ſtatum.

(z) Non raro contingit, membra collegii & inprimis, qui illis præſunt, ſua abuti poteſtate, & limites officii ſui excedere, adeoque arrogare ſibi *poteſtatem legislatoriam* vel *imperatoriam*, ſicuti id peſſimo Romanæ eccleſiæ exemplo conſtat. Mature itaque præcauendum eſt, ne quid tale fiat, ſed Doctores intra limites officii coërceantur. Eo accuratiorem autem inſpectionem hæ ſocietates merentur, quo grauiora damna in rempubl. exinde redundare poſſunt, ſi a vero fine deflectunt. Homines a natura imperium in alios ambiunt, præſertim vbi venerationem & cultum externum aliorum ſibi conciliarunt. Iam inter omnes fere gentes inſignis ſemper veneratio erga eos obtinuit, qui ſacris præfuere, adeo, vt Curtius haud inepte dixerit, *plebem incautam, vbi ſuperſtitione capitur,*

quid in ſui & Reipubl. præiudicium ibi agatur: Inde prima fundamenta *iuris circa ſacra.*

§. XVI.

---

tur, plus vatibus quam ducibus obedire. Quod cum metuendum ſit, ſalutis reipubl. ratio poſtulat, vt quantum fieri poteſt, præcaueat, ne ſacrum quoddam imperium in eccleſia oriatur. Cetera collegia vt plurimum reſtricta ſunt ad pauciores, quin vt in *cap. antec.* viſum eſt, iuſte imperans poteſt membra eorum reſtringere ad certum numerum, atque eorum tanquam pauciorum attentata non adeo reipubl. metuenda ſunt. Sed ſocietates ſacrorum cauſa initæ, vel vniuerſos ſubditos, vel maximam partem eorum complectuntur, vt adeoque, ſi imperans vigilantiam ſuam hic negligit, & præpoſiti ſacris ambitione trahuntur, prout ut plurimum contingere poteſt, omnino metuendum ſit, ne *iurisdictionem* paulatim exercere & *Hierarchiam* ſtabilire incipiant. Plus ſæpe vna ſeditioſa concio nocuit reipubl. quam alii hoſtes externi. Maiores nonnunquam præpoſiti dedere in republ. turbas, & quietem internam turbarunt, quam alia extrema reipubl. mala, præſertim ſi inter ſe concertationibus egerunt, alterque alterum ſupprimere ſtuduit, quales concertationes ordinarie factiones plebis ſecum trahunt, & plebem, turbis dandis aptam natam, in rabiem & furorem mutuum conîiciunt, quod exemplo *Damaſi* & *Vrſicini*, Epiſcopatus Romani competitorum, optime declarat Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 3.* Augetur periculum in republ. ſi diſſenſiones circa ſacra oriuntur, ſectæ formantur, & ita cœtus eccleſiaſtici ſcinduntur, ex quibus ſcisſionibus mox mutua odia, ex his perſecutiones, ex his nouæ turbæ prorumpunt, quæ non aliter præcaueri poſſunt, quam ſi imperans *ius ſuum circa has ſocietates* maxima vigilantia exerceat. Quot triſtisſima exempla poſt tempora Conſtantini adduci poſſent,

§. XVI. Et cum multum imperantis interſit, vt mores ſubditorum rite formentur, vt publica tranquillitas hoc modo quoque obtineatur,

poſſent, ſi ratio inſtituti id permitteret, quorum non aliæ poſſunt adduci rationes, quam quod (1.) imperantes Chriſtiani, etiam ipſe Conſtantinus, nimium Clero indulſerint, omnibus modis tumultuantes fouerint, & piaculum eſſe duxerint, hos compeſcere, qui debebant eſſe exemplum gregis. Si imperatores iuribus ſuis inuigilauiſſent, nunquam ſucceſſores mancipia Cleri facti fuiſſent. (2) quod pleraque negotia eccleſiaſtica directioni Clericorum permiſerint, quam eo magis ſibi vindicare debuiſſent, quo certius iam conſtabat, eos regimine eccleſiaſtico plane abuti in detrimentum reipubl. (3) quod præterea iudicium de Clero a ſe abdicauerint, vti imprudenter feciſſe legitur Conſtantinus M. apud Rufin. *hiſtor. lib. i. c. 2.* aiens: *Deus vos conſtituit ſacerdotes & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi & ideo nos a vobis recte iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra impia, quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur iudicium. Vos etenim nobis a Deo dati eſtis Dii, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos.* Hoc iudicium Conſtantini poſtea Epiſcopi toties imperatoribus ceteris obiecerunt, quoties Cleri machinationibus reſiſtere voluere, vti conſtat de Gregorio M., qui Mauritio imperatori hoc aſſertum audacter & imprudenter obiecit. Hæc itaque *inſpectio ſpecialis* dat principi *ius ſupremum circa ſacra*, cuius intuitu Henricus VIII. Rex Angliæ ſe *caput eccleſiæ* non inepte dixit, iugo Pontificis, qui caput eccleſiarum omnium dici voluit, excuſſo. Sed non eo ſenſu, prout Houtuyn ſupra refutatus voluit.

neatur, ſpecialior cura ad eum pertinet, vt videat, ne Doctores moribus deperditis præditi eccleſiis præficiantur, (a) & circa horum conſtitutionem omnes euitentur fraudes, quia ſub his circumſtantiis reſpectus ciuiles concurrunt.

§. XVII. Præterea vt hæc in tanta hominum ad diſſenſum inclinatione eo felicius ſuccedant, imperantis quoque eſt, præſcribere certum modum, in conſtitutione obſeruandum, imo & ſi ne ſic quidem tranquillitas illæſa

(a) Circa conſtitutionem miniſtrorum eccleſiæ plerumque ex hominum ad diſſentiendum facilitate plures motus exſurgere poſſunt, & ita partes ſunt imperantis, ne aliquid inordinate fiat. Oſtenderunt ſuo exemplo Damaſus & Vrſicinus *in §. antec.* adducti, quantam ſtragem reipubl. inferre poſſit inordinata Miniſtrorum conſtitutio. Huc reſpexit Zepperus *polit. eccl. lib. 1. c. 3.* inquiens: *Cum vero progreſſu temporis hæreſibus & ſchiſmatibus in eccleſia creſcentibus Clerici hæretici ſchiſmatici aut aliis affectibus praeoccupati & faſcinati iure electionis ſæpe abuterentur & populus ſuæ quisque factionis epiſcopum eligi vellet, adeo vt ex vniuerſa multitudinis ſuffragiis ſæpe ſimultates aut tumultus orirentur, imo & cædes fierent, Chriſtianis magiſtratibus neceſſitas impoſita fuerit, vt ſuam interponerent autoritatem, concilio orthodoxorum Epiſcoporum adhibito, eccleſiis miniſtros darent, &c.* Illuſtrat hoc deinde exemplo ſequenti: *ſic cum in electione Epiſcopi Conſtantinopolitani inter Dioſcorum & plebem diuerſa eſſent ſuffragia, aliis aliorum, quos ordinari vellent, nomina in chartam ſcribentibus, Theodoſius perlecto inſcriptorum catalogo, tandem in Neſtorio ſubſtitit, eumque elegit, multis reluctantibus.*

(b) Col-

læſa maneat, ad conſeruandam pacem etiam *iure imperii* Doctores conſtituere poteſt. (b)

§. XVIII. Et, ne Doctores ex innata ad imperium in conſcientias inclinatione excedant limites ſui officii, conſtituere poteſt, qui in hos inſpectionem habeant, (c) eosque in officio contineant.

§. XIX.

(b) Collegio quidem hoc ius competit, & hactenus illud recte exercet, nec imperans ex iure imperii ſibi *præciſe* hoc arrogare poteſt, quatenus pacifice iure ſuo & non in perniciem reipubl. vtitur, ſed ſæpe ad imperantem *per accidens* veniunt, quæ alias ab imperio non *per ſe* dependent. Hodie in plurimis locis ius conſtituendi miniſtros eccleſiæ ad principes deuolutum eſt, ſed hac ſaltem ratione, quia turbidi ſubditi tot clamores ſemper excitarunt, ceu oſtendi in *diſſ. de iniuſt. vocat. fac. ad clam. populi.*

(c) Agnoſcit hoc Theodoſius in reſcripto ad concilium Epheſinum dato, vbi inter alia ait: *Ante omnia autem in id operam damus, vt eccleſiaſticus ſtatus eiusmodi ſit, qui & Deum deceat, & temporibus noſtris quam maxime congruat, idemque ex omnium concordia & conſenſione ſuam tranquillitatem obtineat, tum per eccleſiaſticarum controverſiarum a turbis & ſeditionibus liber exiſtat, tum demum vt pia religio ab omni reprehenſione immunis perſeveret, eorumque vita, qui vel inter clericos cenſentur, vel magno quoque inter illos ſacerdotio funguntur, omni prorſus nævo & culpa vacet.* vid. *Concil. Epheſ. P. I. c. 32.* Hinc dependet neceſſitas conſtituendi iudicia Eccleſiaſtica, & cognoſcendi de exceſſibus Clericorum, ne cuiquam ſub prætextu zeli pii graues ſint. Certe poſtquam pietas & ſacra in monopolium Cleri pertranſierunt, multa incommoda exinde metuenda ſunt, quæ cum ſatis tolli non poſſint, ſaltem præcauendum, ne erumpant, in publicam reip. perniciem.

 (d) Hoc

§. XIX. Atque ex his omnibus nunc fluit (I.) ius *præſcribendi ordinationes* (d) *eccleſiaſticas*, ſecundum quas tum agendum, tum iudicandum.

§. XX. Vlterius (II.) *ius reformandi ſacra* (e) huc

(d) Hoc iure Imperatores antiquos vſos fuiſſe conſtat, & latius deducit M. Anton. de Dominis, *de Republ. eccl. lib. VI.* Inde nunc oriuntur *publica ſacra*, quæ ex *præſcripto* & *lege imperantis* adornantur. Eleganter eruditisſimus Clericus *ad Exod. V. 3.* hoc obſeruat, inquiens: „Eget populus externa aliqua celebritate, vt „officii ſui commonefiat, memorque ſit Dei, res hu„manas curantis; eget communibus & publicis ſacris, „vt arctius iis, qui in ciuitatem vnam coierunt, con„iunctum ſe intelligat. Alioquin, vt eſt ingenium „humanum, plebs & Dei & officiorum omnium ob„lita, vna cum religione etiam ſocietatis humanæ iu„ra temere violaret, vnde innumera hominibus ori„rentur in vita mala.

(e) *Ius reformandi exercitium religionis* ambiguam habet explicationem. *Reformare* vtplurimum denotat, *mutare in melius*, *tollere abuſus*, *& noxia*, & quæ magis conducere videntur, introducere. Deinde *exercitium religionis* denotat *cultum externum publicum*, qui potisſimum conſiſtit in variis *ritibus externis* & *arbitrariis actionibus*, quæ hoc vel illo modo ſe habere, & quia homines ad corruptionem procliues ſunt, facile in abuſus abire poſſunt. Hoc ſenſu ius reformandi tantum verſatur circa *externum ordinem*, & ea, quæ ex *inſtitutis hominum* in ſacris inuenta & adſumta, aliquando etiam ex pesſimis moribus introducta ſunt, & hactenus dependet ex *iure circa ſacra*, vi cuius imperans noxia & abuſus euellere & magis ſalutaria introducere poteſt. Hunc in finem Carol. M. *in Capitu-*

huc referri debet. Hoc vero vel concernit *mores* & *ordinem* eccleſiaſticum, & hactenus recte imperans illud exercet: vel *dogmata*, & ita quæ ſupra ſunt dicta, obtinent.

§. XXI. (III.) *Ius diſponendi circa ritus* (f) *ordines*

tul. lib. 1. c. 121. diſponit: „vt miſsi per ſingulas ciui„tates & monaſteria virorum & puellarum prauide„ant, quomodo & qualiter in domibus eccleſiarum „& ornamentis eccleſiæ emendatæ & reſtauratæ eſſe „videntur, & diligenter inquirant de conuerſatione „ſingulorum, & quomodo emendatum habeant quod „iusſimus, de eorum lectione & cantu ceterisque di„ſciplinis ad ordinem eccleſiaſticæ regulæ pertinen„tibus.

(f) Habet quodlibet collegium ſuos mores peculiares, & quidem ab initio hi dependent ex inſtitutis cuiusuis collegii, qui quatenus nullum reipubl. incommodum afferunt, merito tolerantur a Principe; ſi damnoſi appareant, aboleri vel reformari poſſunt. Neque aliud de eccleſiis dicendum. Sunt cuique ſui peculiares mores & ritus, in quibus ſi aliquid inordinati apparet, partes imperantis ſunt, abuſus tollere, & ſi occaſione horum lites oriantur, illas ſua ſententia decidere, ſi nihil horum adſit, prudentis principis eſt, mores, ritusque eccleſiaſticos cuique eccleſiæ relinquere. Non itaque audiendi ſunt, qui *ius adornandi & mutandi liturgica* eccleſiæ *priuatiue* adſcribunt, quaſi hic principis nullæ ſint partes, vel qui ita principi hoc ius adſcribunt, vt tamen conſenſum vel eccleſiæ, vel Theologorum vel etiam omnium reliquarum eccleſiarum eiusdem confesſioni addictarum requirant. Scilicet poſſunt ritus & alia adiaphora determinari vel ab *eccleſia* vel a *principe*. Priori caſu communi pacto determinantur omnium eorum, qui membra eccleſiæ

nes & alia *adiaphora* quoque exercet, quatenus illorum determinatio pro ſalute Reipubl. neceſſaria videtur.

§. XXII.

ſunt, & ſic etiam princeps, quatenus membrum eccleſiæ eſt, huic pacto includitur, aſt eo caſu non conſideratur vt *princeps.* Quando autem imperans animaduertit neceſſe & e re reipubl. eſſe, vt hic officium ſuum interponat, quoniam forſan non eo, quo debebat modo, ritus & ordinem comparatos eſſe animaduertit, & omnia ad ſuperſtitionem duci nec ſperanda meliora in liturgicis absque ſua autoritate videt, id quod in corruptisſima rerum facie plerumque contingit, per modum legis liturgica determinat, mutat, tollit & reformat, atque ad huius iuris exercitium concurſus Theologorum non eſt neceſſarius. Quot posſint rixæ & contentiones circa liturgica oriri, hiſtoriæ eccleſiaſticæ docent, & exemplo ſuo Presbyteriani & Epiſcopales in Anglia & Orientales eccleſiæ circa iconolatriam teſtantur, & ipſa hiſtoria reformationis in Germania luctuoſisſima tempora nobis ob oculos ponit, ad quas turbas præcauendas recte imperans arbitrium circa liturgica ſibi reſeruat, quod vel Clerici facile ad ſe rapiunt, & ita aliis moleſti eſſe ſolent, qui non eadem ducuntur ſuperſtitione. Interim *quod* imperans liturgica determinare posſit, hoc facit intuitu reipubl.; ſed *quomodo* determinare debeat, id ex *fine eccleſiis propoſito* metiendum, ut ſcil. verus cultus Dei absque omni ſuperſtitione promoueatur. Neque hoc tantum reſtringendum cum nonnullis eſt ad ritus particulares alicuius eccleſiæ, ſed etiam vniuerſales, h. e. qui in omnibus eccleſiis eiusdem confesſionis conſeruantur, nam cum & hi ſint *indifferentes*, cuiuslibet quoque imperantis arbitrio in territorio ſuo ſubiecti ſunt.

(g) *Modus*

§. XXII. Similiter (IV.) ſi incommoda quædam ex *modo docendi* (g) imminere videantur, ex poteſtate ſuprema circa ſacra de hoc quoque ſtatuit imperans, & conuenientiorem præſcribit.

§. XXIII. (V.) Iurisdictionem circa ea, quæ ſacra

(g) *Modus docendi* eſt arbitrarius, licet ipſa *doctrina* haud talis ſit. Sed in modo poteſt ſæpisſime peccari, vt verus ſacrorum finis plane euertatur. Olim in concionibus publicis acclamationes populi permiſſæ erant, quæ tamen reuera ſacra turbarunt, & plerumque ex imprudentia factæ ſunt, vti oſtendi diſſ. *de iniuſt. vocat. facta ad clamorem populi.* Græcorum theologia fuit fabuloſa, & pleraque diuina fabulis propoſita, quemadmodum variis ſub prætextibus Græci defendebant, quod *aliæ naturæ opera per allegorias demonſtrent, aliæ vero, quod eximant animi perturbationes & terrores, & non ſanas opiniones euellant, aliæ vero quod ad humanarum calamitatum conſolationem compoſitæ fuerint, aliæ denique, quod ad aliquam aliam vtilitatem ſint confictæ.* Sed incommodum hunc modum docendi ſacra, imo ad impietatem viam ſternentem fuiſſe iudicat Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2. Pauci ſunt*, ait, „qui „huius philoſophiæ ſunt participes, ſed vulgaris turba, quæ magna eſt, quæque huius philoſophiæ eſt „imperita, ſolet in deteriorem partem accipere, quæ „de illis dicuntur: eique horum alterum accidere ſolet, vel vt Deos contemnat, vt magna infelicitate „implicitos, vel a nullis fœdisſimis & maxime ſceleſtis facinoribus abſtineat, quod vel ipſos Deos his „obnoxios eſſe videat." Quis itaque negaret, imperanti ius competere, conſtituendi, vt veritates diuinæ nude abſque coloribus, pigmentis oratoriis, allegoriis, fabulis, aliisque ornamentis proponantur.

ſacra, lites, aliaque arbitraria reſpiciunt, ſuo iure exercet. Alias quidem cœtibus integrum eſt, *cenſuras quasdam* (h) inter ſe pacto deter-

(h) Cenſuræ eccleſiaſticæ ſunt *medium quoddam coercendi contumaces in eccleſia.* Scilicet omne collegium, quatenus eſt ſocietas æqualis, cogendi vim per *modum imperii* non habet, habet tamen ex *pacto*, ſi ſcil. *pœnam* quandam *conuentionalem* conſtituit, vt eo rectius inſtituta in obſeruantiam deducantur, quo in ſpecie *excluſio* vel *partialis* vel *totalis* a collegii communione pertinet. Apud antiquos Gallos iam nota hæc cenſura fuit, ſi quis enim decreto eorum non ſtabat, ſacrificiis interdicebant. *Hac pœna*, ait Cæſar *lib. VI. de bell. Gall. c. 13. n. 6. ſeq. apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, in numero impiorum & ſceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, neque honos Ullus communicatur.* Cum primæui Chriſtiani ſub ethnicis adhuc viuerent, pleraque inter ſe per pacta determinare & ſic pœnas conuentionales introducere debebant, quo etiam *excommunicatio* & varia pœnitentiarum eccleſiaſticarum genera referebantur. Teſtatur hoc ipſum Tertullianus *Apol. adu. gentes c. 2.* ubi refert, Plinium ſecundum Traiano retuliſſe, *nihil aliud ſe de ſacramentis Chriſtianorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo & ad confœderandam diſciplinam.* Excommunicatio ex iudaiſmo erat retenta, ſed paululum immutata, vti oſtendit illud Britanniæ decus Seldenus *Tr. de Synedriis lib. 1. c. 7. ſeqq.* & quia vel in excluſione a S. cœna vel in totali eiectione ab eccleſia conſiſtebat, communi eccleſiæ conſenſu peragebatur, cum æquum erat, vt, cum quis tanquam membrum putidum a toto cœtu abſcinderetur

determinare, ſed cum miniſtri ſacrorum illis facile abuti poſſint, Imperans iis modum ponit, ne alicui iniuria inferatur, vel ipſimet ſub illis imperium quoddam vel iurisdictionem exerceant.

§. XXIV. (VI.) Ius decidendi controuerſias theologicas itidem imperanti proprium eſt. Illæ vero vel *dogmata* reſpiciunt, vel *ritus* ſeu *adiaphora*. Illæ quidem deciſionem iudicialem *per ſe* non admittunt, (i) interim imperans pro

tur, communis conſenſus adhiberetur. Poſtea hoc ius Epiſcopi ad ſe traxerunt excluſo collegio eccleſiaſtico, & tum demum varia argumenta ex ſacris petiere, quibus ius illud, quaſi a Chriſto ſibi demandatum, ſibi *priuatiue* & *ſolitarie* adſcriberent, & eo vterentur aduerſus quoscunque, etiam ipſos imperantes, quo denique factum, vt monarchia illa ſacra exſtructa ſit, quæ adhuc hodie durat. Interim oſtendit eleganter prælaudatus Seldenus *lib. I. de Synedr. cap. 10.* ipſos etiam imperatores Chriſtianos, cum Epiſcopi nondum vi aperta agere audebant, ſæpe hoc ius excommunicandi, & abſoluendi exercuiſſe, & decreuiſſe, ne quis absque eorum præſcitu & decreto excommunicaretur, quorſum etiam collimat Iuſtinianus in *Nou. 123. c. 11.* quod ius, ſi etiam ſucceſſores non neglexiſſent, tantas calamitates Germania & alia regna nunquam experta fuiſſent.

(i) Quæ huc ſpectant, plenius ſunt excuſſa in Dn. Thomaſ. *Fürſten-Recht in Theologiſchen Streit-Sachen.* Res fidei ſunt extra arbitrium imperantis, cum immediate tangunt conſcientias E. nullius deciſio hic valet, ne quidem imperantis. Verum aliud eſt, an non pro *reducenda pace publ.* princeps poſſit ſententiam aliquam

pro pace publica reducenda vel conſeruanda decidere poteſt, quæ ſententia *publice* doceri debeat, vt tamen vtrum illam ſuſcipere velint, ſingulis libertas relinquatur.

§. XXV. Si lites oriantur circa *ritus* & *adiaphora*, quæ ſunt ſub principis arbitrio, omnino diſ-

quam eligere, quæ *publice* doceatur, poſtquam ipſe quoque ſecundum verbi diuini regulas eandem controuerſiam examinauit? quod eo magis affirmo, quoniam ſine hac non poteſt retineri pax publica, cum experientia tot ſeculorum doceat, inter publicas Cleri diſputationes grauiter admodum internam reipubl. tranquillitatem in diſcrimen fuiſſe adductam, cum ſemper tumultuantes ſub prætextu veritatis diuinæ pugnauerint, & interim maiora mala inter homines incautos excitauerint. Cum, teſte Ioſepho, inter Iudæos & Samaritanos vsque ad ſeditionem orta eſſet contentio de *templi præſtantia*, res ad Ptolomæum Philometorem reiecta eſt, qui iusſit, vt vtriusque partis aduocati nulla alia argumenta quam ex Lege Moſaica adferrent, & ita ponderatis argumentis pro templo hieroſolymitano reſpondit. Sed in diſſentientes propterea nihil ſtatuere, eosque expellere, ſed eis tantum ſilentium imponere debet, ne poſt hæc *publice* de hac quæſtione diſputent, aut diſſentientes odio habeant, multo minus licitum erit, legibus vel pœnis doctrinam hanc approbatam introducere, nam id ad eius imperium non ſpectat. Quod enim tales pœnas in diſſentientes ſtatuiſſe legantur imperatores, id Cleri dominantis machinationibus adſcribendum; interim exemplis non iudicandum, ſed legibus. Rex Theodoricus longe aliter ſenſit, aiens: *religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.* Casſiodor. *Var. lib. II. c. 27.*

(k) Non

no diſſentientes ſua compeſcet iurisdictione, ſicuti quoque id iuris eſt in controuerſiis, in aliis collegiis obortis. (k)

§. XXVI. Præterea [VII.] ius conuocandi ſynodos, vel colloquia Theologorum dirigendi imperans exercet, (l) ſi hæc media ad controuerſias ſopiendas conducibilia duxerit.

§. XXVII. Quæ autem in his ſynodis conſtituun-

(k) Non itaq; aſſerendum, iurisdictionem quandam ſeparatā a politica competere imperanti, ſed vna eſt iurisdictio imperantis, qua & huiusmodi lites dirimit, & contendentes ad pacem reducit. Neq; cum princeps lites Clericorum dirimit, aliā induit perſonam, cum Clerici reſpectu imperantis æque ſint ſubditi ac alii, & ſic eius iudicio ex fine rerumpubl. ſe ſubmittere teneantur, & deciſionem ab eo expectare. Utrum autem ad forum commune, an vero ad ſeparatum has cauſas delegare, & quos illis controuerſiis præficere velit, arbitrio imperantis ſubiectum eſt.

(l) Conſtat id exemplis tot ſynodorum ab imperatoribus & regibus conuocatorum, quibus ſæpe ipſimet præfuerunt, ordinarie autem miniſtros ſuos ad illas delegarunt, ad præcauendas turbas, vti conciliorum omnium hiſtoriæ docent. De motibus in concilio Epheſino II. agitatis grauiter conqueritur Theodoſius ad Cyrillum: *res ita geſta eſt*, ait, *vt manifeſtum euaderet, alios aliis eſſe infenſos ob vehemens ſtudium erga illa, quæ quomodocunque placita ſunt &c.* Inde ad pacem reducendam recte imperans prohibet *diſputationes priuatas* de religione, vel ne quis *publice* abſque eius autoritate diſputationes ſuſcipere, pro concione in aduerſarios debacchari, vel ſcriptis eos perſtringere & refutare poſſit.

(m) Oc-

ſtituuntur, quatenus doctrinam reſpiciunt, non aliter habebunt autoritatem, quam *interpretatiuam*, (m) & vt imperans eo, quo dictum, modo, poſſit ſententiam illam approbare, vt *publice* doceatur. Cetera quæ ordinem eccleſiaſticum concernunt, vim legis ex confirmatione

(m) Occurrunt quidem exempla frequentia eorum, qui ſtatuta conciliorum in rebus fidei *per modum legis* obtrudere voluere, ſed id factum eſt ſuaſu cleri, dominatum in conſcientias ambientis. Synodi non habent decidendi autoritatem, nec ius aliud, quam vt ſuam confeſſionem de rebus fidei edant, poteſt tamen eatenus imperans illam confeſſionem confirmare, vt ob pacis ſtudium illa doctrina pro *publica* habeatur, illa tantum publice doceatur, ſed tamen diſſentientes tolerentur, dummodo de cetero quiete agant. Neutiquam vero exiſtimandum, ac ſi tantum Clerici eiusmodi ſynodis intereſſe, & de rebus eccleſiaſticis deliberationes inſtituere debeant, cum etiam laicis non ſint denegata χαρίσματα Spiritus S., & hinc æque admitti debeant, vti in concilio Hieroſolymitano tota eccleſia congregata fuiſſe legitur. Quod poſtea a conciliis ſint excluſi laici, id eo tempore factum, quo Clerus iam dominatum ſacrum occupauerat. Sane iam Theodoſii tempore id factum fuiſſe conſtat. Miſerat imperator Candidianum ad ſynodum Epheſinam, ſed, vt ait in literis ad Concilium directis apud Seuerin. Binium *tom. I. cap. vlt.* „ea lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ „circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. nefas eſt enim, *pergit*, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, „illum eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe „immiſcere.

(n) Aliud

tione imperantis ſortiuntur.

§. XXVIII. Neque tamen ius vllum imperanti adſcribi poteſt doctrinam hanc ſemel approbatam per modum legis obtrudendi ſubditis, nec diſſentientes pœnis afficiendi (n) cum nullum ius in intellectum ſubditorum principi competat.

§. XXIX. (VIII.) Præterea cum cœtus ſacrorum cauſa inſtituendi totam fere complectantur ciuitatem, ad ordinem eo rectius conſeruandum diſtrictibus certis cœtus diſtinguere & plures conciones ſeu eccleſias, a ſe inuicem diſtinctas, propriisque legibus & iuribus munitas conſtituere valet. (o)

CAP.

(n) Aliud eſt *doctrinam aliquam facere publicam*; aliud *doctrinam lege obtrudere ſub pœna ſubditis:* Illud tantum eo reſpicit, ne in publicis cœtibus aliud doceatur, adeoque nemo ad tale officium ſacrum admitti poſſit, niſi huic publicæ doctrinæ aſſenſum præbeat. Hoc vero vlterius progreditur, & libertatem conſcientiis aufert, quod non admittendum. Vnde pœnæ in diſſentientes iniuſtæ ſunt, quia hactenus demonſtrari non potuit, hæreſin per ſe eſſe aliquod crimen ciuile.

(o) Sic Romulus *valde appoſite diuiſit ſacra curiis*, in quas antea populum diuiſerat, vt refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2.* Scilicet poſtquam Romulus populum in tribus & curias diuiſerat, ſingulis curiis præpoſuit vnum aliquem virum, quem *curionem* dixit, qui ſacra pro curia ſua curaret. Hiſce omnibus vnus præerat, quem *curionem maximum* dicebant. Paul. Merula *de ſacr. Rom. c. 2. §. 7.* Satis euidenter hoc confirmat Halicarnaſſ.

CAP. VI.
De
Iure imperantium circa publica officia.

§. I.

ADminiſtratio Reipubl. & omnia, quæ ab ea dependent, ſiue concernant eius tranquillitatem *externam* ſiue *internam*, originetenus (p) & quoad fundamentum penes ſolum impe-

naſſ. *cit. l.* & præterea Feſtus *lib. III.* hac de re ita ait: *Curiæ etiam nominantur, in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales ſunt eæ, in quas Romulus populum diſtribuit, numero 30., vt in ſua quisque curia ſacra publica faceret, feriasque obſeruaret.* Poſt, vbi Tarquinius Priſcus tribus augeret, ſacrorum quoque cura aliter diſtribui cœpit. Ita enim Feſtus *lib. 17. Sex Veſtæ ſacerdotes conſtitutæ ſunt, vt populus pro ſua quoque parte haberet miniſtrum ſacrorum, quia ciuitas Romana in ſex tributa eſt partes.* Quilibet diſtrictus itaque habuit ſua propria templa, ædes & ædiculas, in quibus ſacra pro ſingulis curiis fiebant. Quis ignorat, ſimilem diuiſionem inter Chriſtianos quoque intuitu ſacrorum obtinere, & eccleſias diœceſibus, aliisque limitibus diſtinctas eſſe, quas diſtributiones quilibet princeps in ſuo territorio adornare poteſt, vtut Præſul Romanus vel epiſcopi hoc ius ad ſe trahere conati fuerint. Poterit tamen hæc diſtributio vel limitum mutatio impediri pacto publico vel lege fundamentali, quale quid in *Inſtrum. Pac.* occurrit.

(p) Conſiſtit imperium in iure omnia illa agendi, quæ ad ſalutem Reip. ſpectant, quemadmodum etiam in prin-

imperantem in quauis ciuitate reſident.

§. II. Cum autem adminiſtratio hæc ob multitudinem negotiorum (q) a ſolo imperante com-

principis voluntatem omnia, quæ huc ſpectant, delata ſunt. Ergo præter imperantem nemo ius imperandi in republ. *ſuo nomine* & *iure* habere poteſt, ſed omnes ſunt ſubditi, omnes ab eo dependent. Interim alia quæſtio eſt, annon prudentius imperans agat, ſi alios in conſilium & auxilium in adminiſtratione reip. vocat? Antonini imperatoris ſententia fuit: *æquius eſt, vt ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem ſequantur.* Eadem ſententia fuit L. Æmilii apud Liuium *lib. XLIV. c. 22.* aientis: *non ſum is, qui non exiſtimem, admonendos duces eſſe, imo eum, qui de ſua vnius ſententia omnia gerat, ſuperbum iudico magis quam ſapientem.*

(q) Ampliſſima & multifaria ſunt negotia reipubl., quo latius territorii limites ſe extendunt, & reſpublica ſubditis abundat. Antiquiſſimarum ciuitatum adminiſtratio vel per *vnum* ſatis commode expediri poterat, ſcilicet ipſum *imperantem*, poſtquam ſubditorum non tanta erat copia, & limites territorii non adeo ſe extendebant. Aſt vbi ciuitates creſcere, & vrbes pagosque plures in ſe continere, & ſic ampliſſimum imperii ambitum comprehendere cœperunt, ratio neceſſitatis publ. poſtulauit, vt imperans quosdam in ſubſidium ſibi aſſumeret, ex quo tot *officia publica* in rebuspubl. nata ſunt. Reuera enim *vis conſilii expers mole ruit ſua*, vt ait Horat. & *plures facilius munia reipubl. ſociatis laboribus exſequuntur.* Tacit. *lib. I. annal. c. 11.* Hoc intuitu Iethro Moſi autor fuit, de eligendis viris *idoneis, piis* & *prudentibus*, qui regerent populum in certas claſſes & or-

te commode expediri non poſſit, hinc neceſſitas vrget ſubditos in partem curarum vocare, eisque munera certa reipubl. obeunda committere.

§. III. Ex quo fluit, (I) omnia officia qualiacunque demum fuerint, dependere a ſumma poteſtate imperantis, atque adeo reſpectu imperantis officiales manere ſubditos. (r)

§. IV.

dinem diſtributum, quoniam huic rei ſolus Moiſes ſufficere haud poſſet, *Exod. XVIII, 17. ſeqq. Deut. I, 9. ſeqq.* & cum ne ſic quidem Moiſes omnibus ſufficeret negotiis, ſeptuaginta viri ad iuſſum Dei electi ſunt, qui ſimul ſub eo populo præeſſent. Satis apte enim Velleius *lib. II. c. 127.* ait: *magna negotia magnis adiutoribus egent*, ex quo perſpicuum eſt, ſalutem reipubl. quoque in optimis adminiſtratoribus ſitam eſſe, ceu prudenter iudicat Otho imper. apud Tacit. *lib. I. Hiſt. c. 84.* aiens: *Quid? Vos pulcherrimam hanc Vrbem domibus & tectis & congeſtis ſtare creditis? Muta iſta & inania intercidere & reparari poſſunt: Æterna rerum & pax gentium & mea cum veſtra ſalus INCOLUMITATE ſenatus firmatur.* De Cyro Xenophon *in Cyroped. lib. 8. p. m. 203.* refert, „quod hac in re „rei militaris ordinem intuitus ſit. Nam, *ait*, ple„rumque decuriones curam decurionum gerunt, du„ctores manipularii decurionum, tribuni manipula„riorum ducum, decem millium præfecti tribuno„rum, quo quidem ipſo contingit, vt nemo ſit cu„ius cura non geratur, tametſi valde multæ ſint ho„minum myriades, cumque vult imperator exerci„tus opera vti, ſatis eſt, decem millium præfectis „mandata dediſſe.

(r) *Lib. I. c. 4. n. 6.* Si officiales conſiderantur reſpectu eorum,

§. IV. Porro (II) qui ſibi publicum aliquod munus abſque conceſſione imperantis (s) arrogat, criminis læſæ Maieſtatis reus merito habetur.

§. V. Quamcunque (III) officiales autoritatem publicam & poteſtatem habent, hanc omnem habent ab imperante (t) in ceteris pro priuatis habentur.

§. VI.

eorum, quibus præpoſiti ſunt, habentur pro *publica perſona*, ſi reſpectu imperantis, ſunt & manent *ſubditi & priuati ſunt*, *nam omnis*, ait Grotius *de I. B. & P. lib. I. c. 4. n. 6. facultas gubernandi, quæ eſt in magiſtratibus, ſummæ poteſtati ita ſubiicitur, vt quicquid contra voluntatem ſummi imperantis faciant, id defectum ſit ea facultate, & pro actu priuato habendum*, id quod contra Monarchomachos omnino notandum, qui ſatis inepte magiſtratui ſubalterno reſiſtendi imperanti facultatem concedunt. Pertinet huc effatum Marci Aurelii imperatoris: *Magiſtratus quidem ipſos de priuatis, principes de magiſtratibus, Deum autem de principibus decernere & iudicare.*

(s) Concredere alicui munus reipubl. eſt ſolius imperantis, & ſine huius conceſſione nemo imperium ſibi arrogare in republ. poteſt, quod cum ſubditus facit, violat eo ipſo maieſtatem reipubl. ſeu *iura imperantis*, quo etiam reſpexit ICtus *in l. 3. ff. ad L. Iul. Maieſt.* Ex quo etiam per ſe fluit, quod quilibet ſubalternus magiſtratus *conceſſionem* ſuam, ſeu *titulum* principi edere debeat, ſi conceſſio eius in dubium vocetur, cum officium publicum a nemine ſine conceſſione imperantis vel *immediate*, vel *mediate* poſſideri poſſit.

(t) Quatenus habent autoritatem publ., eatenus vice imperantis præſident, & inde non ineptum eſt, quod in

 magi-

§. VI. Subditi (IV.) non poſſunt ſibi conſtituere magiſtratus, (tt) niſi *ex conceſſione imperantis*, (u) quæ tamen itidem dependens eſt.

§. VII.

magiſtratus inferiores poſſit committi crimen læſæ Maieſtatis, non propter ſe, ſed propter eum, cuius characterem geruntvid. *l. 5. C. ad LL. Iul. Maieſt.* Sed publicam habent autoritatem, *quatenus poteſtate ſibi commiſſa legitime vtuntur.* Quodſi ſub prætextu autoritatis publ. vim inferant, vel alias inique agunt, pro *priuatis* habentur, & ſic ſingulis permiſſa in eos videntur, quæ in priuatum, atque adeo licet crimen ſit, reſiſtere magiſtratui ſubalterno, reſiſtentia tamen impunita erit, ſi contra poteſtatem ſibi commiſſam agit, & quidem *notorie.* Hoc ſenſu dicitur, *magiſtratum de facto agentem pro priuato haberi.* Circumſcribitur autem poteſtas tum reſpectu loci, tum perſonarum &c.

(tt) Poſtquam Scipiones, quibus imperium in bello Hiſpanico commiſſum erat, cecidiſſent, L. Marcius, eques Romanus imperium in exercitu Romano, illo conſentiente, ſuſcepit, resque egregias geſſit. *Res geſtæ eius quidem magnificæ ſenatui viſæ ſunt, titulus honoris, quod imperio non populi iuſſu, non ex autoritate patrum dato, proprætor ſenatui ſcripſerat, magnam partem hominum offendebat, rem mali exempli eſſe, imperatores legi ab exercitibus,* iudicantes, atque adeo proprætoris titulum & honorem ei denegarunt, & P. Scipionem cum imperio in Hiſpaniam miſerunt, Liuius *lib. XXVI. c. 2.*

(u) Quicquid ſubditi, eligentes Conſules &c. agunt, non *ſuo*, ſed *imperantis* nomine agunt, atque adeo huic quoque rationes reddere debent. Quod ſi ſua abutantur poteſtate in perniciem reip. indignos eligendo

§. VII. Et cum (V) quilibet, qui alterius nomine agit, alteri, cuius autoritate agit, ad rationes reddendas obſtrictus ſit, merito quoque ſinguli officiales ad hoc obſtricti ſunt. (x)

§. VIII.

gendo, principis eſt, eos ſuo iure priuare, vel alios conſtituere. Vnde optime Conring *de maieſt. ciuil.* §. 15. obſeruat differentiam, quod aliud ſit conſtituere *ſua vi, ſua autoritate & poteſtate*, & conſtituere *opera vicaria & delegata*. Neque poteſt imperans poteſtatam hanc alteri concedere *priuatiue* ſeu *independenter*, niſi velit maieſtatem ſuam diminuere. Et hoc intuitu plerisque in locis *confirmatio ſuperioris* requiritur, quæ *conſtitutioni* æquiparatur, cum vi huius electum poſſit reiicere, ſiquidem id rationes reipubl. poſtulent.

(x) Non deſunt noſtris temporibus exempla, quæ docent, a magiſtratu oppidano hoc in dubium vocatum & exiſtimatum fuiſſe, ſe ad rationes principi reddendas non eſſe obſtrictum. Sed cum omnem ſuam poteſtatem non *iure proprio*, ſed *dependenter* gerant, reuera independentiam eo ipſo profitentur, qui rationum redditionem declinant. Dictatores olim ſummam poteſtatem inde ſibi vindicare poterant, quod nullis rationibus reddendis eſſent obnoxii, vt paſſim Dion. Halicarnaſſeus ait. Sed magiſtratus Athenienſes, officio depoſito, cogebantur rationes reddere geſti magiſtratus apud *logiſtas* vel *Euthynas*, *eſt enim nomen magiſtratus apud Athenienſes. Erant viri numero decem, apud quos rerum a ſe geſtarum rationes reddebant illi, qui legationem obierant, aut magiſtratum geſſerant, aut aliquid de rebus publicis adminiſtrarunt.* Suidas *voc.* εὐθύναι. Idem confirmat Æſchynes *orat. contra Cteſiphont.* iubet, ait, „lex magiſtratus omnes, „quos populus creat, & publicorum operum præfe-

§. VIII. Neque officiales ab hac obligatione liberare poteſt vllum priuilegium (y) aut obſeruantia in contrarium, cum vtrumque nihil operetur in damnum Reipubl.

§. IX.

„ctos, & omnes, qui tractant aliquid ciuitatis vltra „triginta dies, & qui iudiciorum principatus obtinent, & qui ſorte lecti ſunt, hos inquam, omnes „lex iubet præeſſe, probatos in foro & rationem at„que εὐθύνας apud ſcribam & Logiſtas deponere, ita „vt nemo vel minimo magiſtratu geſto, niſi rationem „& εὐθύνας reddiderit, a populo corona donari poſ„ſit. Intereſt præterea imperantis, vt bona ciuitatum, quæ Senatus vt plurimum adminiſtrat, in ſalutem reipubl. conſeruentur, non dilapidentur. Sunt enim magiſtratus ſubalterni, quaſi *reipubl. villici*, vt eos appellat Cicero *pro Cn. Plancio*, hos autem ad rationes reddendas eſſe obſtrictos, nemo vnquam dubitauit. Neque hoc ipſo iura ciuitatum minuuntur, ſed conſeruantur, contra perfidos & malos adminiſtratores, & ſi vel maxime dicamus, bona hæc ad ciuitatem pertinere, & ſic illis, qui eum repræſentant, rationes eſſe reddendas, tamen hoc ipſo non adimitur imperanti *ſuprema inſpectio*, cum etiam a ſingulis rationes adminiſtrationis bonorum propriorum exigere poſſit, quatenus reipubl. intereſt, ne quis re ſua male vtatur. vid. Dn. Stryk. *de iure principis circa rationes ciuitatum c. 2.*

(y) Plures ſunt ciuitates, quæ ab hac redditione rationum ſe liberas putarunt, quod intra tantum tempus non fuerit exacta. Sed (1) talis obligatio, quæ immediate ex ſubiectionis ratione deſcendit, eſt inpræſcriptibilis, (2) ſi non eſſent rationes reddendæ de geſto officio, quodammodo independentes magiſtratus fierent. Idem de eiusmodi priuilegiis dicendum eſt, quia

§.IX. Imo (VI) quæcunq; demum poteſtas libera ipſis concedatur, ita tamen comparata eſt, vt adhuc recurſus detur ad ſuperiorem, (z) ſi contra officium ſuum agant.

§. X. Cum autem publicæ rei adminiſtratio ſatis ardua ſit, præſides quoque tales deſiderat, qui huic negotio ſufficere poſſunt. Atque adeo ad idoneos h. e. ſapientes & prudentes (a) conſtituendos princeps quilibet obligatur.

§.XI.

quia tendunt in perniciem reipubl., qualia quæ ſunt, recte reuocantur, vti ſuo loco dictum eſt.

(z) Sic ſi princeps certo collegio concedit priuilegium de non appellando, non tamen eo ipſo excluſa eſt *querela denegatæ vel protractæ iuſtitiæ*, quia hæc tantum eo tendit, vt Princeps inquirat, an collegium hoc recte conceſſo iure vtatur nec ne?

(a) In hunc finem duo obſeruanda ſunt (I) *vt ſincere omnia in magiſtratibus creandis agantur*; ſin ſecus, reipublicæ ſalus peſſime ſe habet. Certe tempore Cæſaris & Pompeii reſpubl. R. cladem ingentem inde perpeſſa eſt, quod magiſtratus turpiter acquirerentur. Nam, vt ait Appianus *de bello ciu. lib. II. p. 724.*, *& magiſtratus per factiones largitionesque, improbis ſtudiis, interdum ſaxis etiam gladiisque acquirebantur, & largitiones nullo pudore cohibente frequentabantur, & populus venales in comitiis præbebat operas, boni vero his de cauſis in vniuerſum a magiſtratibus abſtinebant, vt ſtatu tam perturbato reſpublica per octo menſes aliquando magiſtratu caruerit.* Hoc perpendens Pompeius *iudicia propoſuit, cum de aliis criminibus, tū præcipue de munerum corruptelis ac largitionibus, videbatur enim ex hoc, ceu fonte, naſci mala publica, & proinde hoc curato ſecuturam ſanitatem cele-*

rem Appianus *lib. II. de bell. ciuil. p. 728.* (II) *Vt probi & ſapientes officiis publicis præficiantur*, exemplo Dei, qui hoc egregie obſeruauit in populo ſuo, vti ex locis *ad §. 2.* allegatis patet. Inprimis vero conſiliarii integritate conſpicui eſſe debent Prou. XII. 5. cum optimum conſilium & quod ſalutare eſſe debet, eſt a ſolo Deo *Prou. XIX, 21.* Ioſaphat exemplo ſuo id confirmat *2. Paral. XIX. 6. ſqq.* Contra malorum conſiliariorum infelicisſimi euentus *II. Sam. XVI. 20. ſqq. & XVII. I. Reg. XII. 6. ſeqq.* Cyrus apud Xenophontem *lib. 8. Cyropæd. p. m. 202. lit. D.* non inepte exiſtimauit, *quod ſi tales ii non eſſent, quales eſſe conueniret, quorum opera maxima plerumque negotia eſſent conficienda, male ſuis rebus proſpectum fore. Sin illi tales eſſent, quales oporteret, præclare ſecum actum iri.* Hos itaque miniſtros vt impetraret, optime iudicauit, ſibi quoque virtutem eſſe exercendam. *Nec enim fieri poſſe putabat, vt qui talis ipſe non eſſet, qualem eſſe oporteret, is alios ad præclaras & laudabiles actiones incitaret.* Multum autem ſitum eſſe in eo, vt optimi ſummis rerum præficiantur, id alibi *lib. de prouentib. p. m. 920. lit. a.* hac declarat ratione, *quod quales ſint præſides, tales etiam ſint reſpubl.* Hinc Baſilius imper. ad filium *c. 18. Conſiliariis*, inquit, *vtere iis, qui rebus propriis bene conſuluerunt, recteque eas adminiſtrarunt, non autem, qui per imprudentiam male. Nam qui ſuis rebus male proſpexerit, nunquam ille bene conſuluerit alienis.* Male certe rebus publicis conſulunt, qui in eligendis miniſtris magis gratiam, quam merita reſpiciunt, quod Tiberius exemplo Seiani expertus eſt. Plura exempla adducit Forſtner. *ad Tacitum lib. I. annal. c. 24. verb. magna apud eum autoritate.* Quo magis officia publica rebuspublicis proſunt, ſi in probos incidunt, eo magis etiam rempublicam affligunt, ſi ad improbos, intemperantes & auaros deuoluuntur. Tribunos creandi mos reipubl. Romanæ *magis vel minus commodus erat pro tribunorum ingeniis. Quoties enim homines iuſti & moderati & pu-*

§. XI. Quos imperans dignos iudicat, hos vel inuitos ad officium publicum ſubeundum cogere poteſt: (b) quos indignos ex poſt facto & infideles animaduertit, hos rurſus ſua poteſt priuare poteſtate. (c)

§.XII.

& publicæ vtilitatis, quam ſui priuati commodi amantiores hanc poteſtatem habebant, is, qui rempubl. læſiſſet, pœnis perſolutis, aliis, qui idem facere fuiſſent parati, metum ingentem incutiebat: Sed quoties improbi & intemperantes & auari homines tantam poteſtatem adipiſcebantur, tunc his contraria fiebant. Inde concludit Dion. Halicarn. *lib. VII. Quare hic mos non erat corrigendus, vt vitioſus, ſed in creandis tribunis plebis danda erat opera, vt viri honeſti & boni ad id deligerentur, neue temere quibusvis res tanti momenti committerentur.*

(b) Hoc fluit ex *obligatione ſingulorum ſubditorum*, & *poteſtate imperantis circa rempubl.* Eo enim, quo quis ſe in Rempubl. aliquam confert, merito quoque ad onera ejusdem ſubeunda obligatur. *Stare debemus omnis*, inquit Cicero *orat. pro Cn. Plancio, tanquam in orbe aliquo reipubl., qui quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos vtilitas illius ſalusque conuertent.*

(c) Hoc liquidum itidem eſt ex fine Reipubl., qui inprimis corrumpitur per infidelium adminiſtrationem, qui tanquam prædones adminiſtrationi inhærent. Res conclamata eſt, vt vero digniores exquirantur & ſubſtituantur, vt plurimum in republica corrupta difficile, quo fit, vt mutandi officiales poteſtas non ſemper exerceri poſſit. Capuæ infeſtus plebi iam dudum ſenatus erat, quod Pacuvio Calavio nobili, homini improbo, anſam præbebat, ſibi ſenatū plebemue obnoxium faciendi. Negotium miro artificio aggreſſus eſt, quod refert Liuius *Lib. XXIII. c. 2. & 3.* ſimulauitque ſe veterem ſenatum tollere velle, ſed ita vt in ſingu-

§. XIV. Imo ſi imperans conſultius vtilitati Reip. eſſe arbitretur, per commiſſarios negotium expedire vel inuitis partibus, (f) quarum intereſt, ex officio tales poteſt delegare.

§. XV.

tremum atque vltimum SCtum, quo niſi pene in ipſo vrbis incendio atque deſperatione omnium ſalutis vtebantur, vt ait Cæſar *lib. I. de bello ciuil. c. V. n. 3.* Non enim ſemper eſt eadem ratio temporis, ſtatusque publici. *Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt: vbi ſæua orta tempeſtas, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus eſt*, vt ait Q. Fabius apud Liuium *lib. XXIV. c. 8.* Imo nec ita negotia omnia poſſunt officiis publicis diſtribui, vt non plurima ad ipſum principem adhuc reduci debeant, vbi multo magis commiſſariis opus eſt, quatenus ipſe per ſe negotia talia expedire nequit. Atque hi commiſſarii ab ordinariis in eo differunt, quod hi perpetuo certis cauſis expediendis præficiantur, commiſſatii vero extra ordinem ad certam cauſam ab imperante conſtituuntur.

(f) Exinde nullum ius abſolutum partibus eſt quæſitum, quod iis præpoſiti ſint ordinarii officiales, nam & horum conſtitutio vt & commiſſariorum æqualiter dependet a principe. Generalis quidem imperantis voluntas in conſtitutione ordinariorum officialium hæc eſt, quod regulariter hi expedire debeant negotia iis demandata, ſed ſubditis eo ipſo nihil promittit, nec iis obligatur, quin ſi vel maxime promiſiſſet, tamen talis promisſio eſſet intelligenda *cum exceptione*, niſi aliud ab imperante fuerit poſtea vtilius reip. iudicatum, cum ſalus reipubl. ſemper ſuprema lex eſſe debeat. Atque tales commiſſatii declinari non poſſunt, facilius tales, qui *extra neceſſitatis* caſum inuita altera parte forſan petiti ſunt.

(g) Quæ-

§. XV. Quamuis vero imperans lege antecedente publica *ſtatum*, *ætatem* aliasque qualitates circa officiales determinauerit, ipſe tamen ad hæc requiſita non præciſe obſtringitur, (g) cum ſibi legem haud dixerit, vtut in dubio a lege illa publica recedere noluiſſe præſumi debeat.

§. XVI. Sic quoque penes imperantem arbitrium eſt, vtrum *indigenæ* an vero *extranei* officiis

(g) Quæſtiones politicæ a iuridicis ſunt diſcernendæ. non ſemper prudenter facit imperans, ſi *contra legem* latam officiis publicis eum admoueat, qui debitis requiſitis haud inſtructus eſt, quoniam id ipſum non raro ceterorum inuidiam & odium excitare ſolet, interim ſi facit, nihil contra regulas iuris facit. Sic Q. Fabius conſulatum recuſabat, ex lege, qua cautum erat, *ne intra decem annos eundem conſulem refici liceret.* Tribuni plebis *nihil id impedimenti futurum aiebant, ſe ad populum laturos, vti legibus ſolueretur. Et ille quidem in recuſando perſtabat: quid ergo attineret leges ferri, rogitans, quibus per eosdem qui tuliſſent, fraus fieret? iam regi leges, non regere.* Populus nihilominus ſuffragia inibat, & conſulem eum dicebat. Liuius *lib. X. c. 13.* Hoc ſenſu itaque accipi debet quod vulgo dicitur, *quod ſacrilegii inſtar ſit, de eius habilitate diſputare, quem imperans ſcienter officio publico præpoſuit.* Hac poteſtate populi fretus P. Cornelius Scipio petebat ædilitatē ante legitimā ætatē, cui cum obſiſterent tribuni plebis, *Si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt, ſat annorum habeo.* Tanto inde fauore ad ſuffragium ferendum in tribus diſcurſum eſt, vt tribuni repente incœpto deſtiterint Liuius *lib. XXV. c. 2.*

(h) Ite-

officiis publicis ſint præficiendi, (h) niſi lege fundamentali ſeu pacto publico imperantis poteſtas reſtricta ſit.

§. XVII. Idem quoque ius habet conſtituendi officiales perpetuos & temporales, concedendi officia perſonalia & hereditaria. (i)

§. XVIII.

(h) Iterum hæc quæſtio magis eſt politica quam iuridica. Aliquando conſultius eſt plane indigenas non admittere, ſicuti in iure R. extant peculiares Conſtitutiones, quibus excludebantur indigenæ a certis officiis publicis *l. 3. ff. de off. aſſeſſ. l. 10 C. de aſſeſſor. & domeſt. t. t. C. vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permittatur*, ne ſimul indigenæ aliquid moliri poſſint in perniciem Reip., id quod ſæpe Romani in prouinciis experti erant. Tempore Claudii imperatoris acriter concertatum fuit, vtrum primores Galliæ Comatæ ad honores in vrbe adipiſcendos eſſent admittendi. Vicit tamen ſententia Claudii, & ita admiſſi ſunt. Tacitus *lib. XI. annal.* Aliquando autem ſtatus Reip. non fert alienigenas, & hinc lege publ. hoc præcaueri ſolet, vti Myler ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 6. §. 10. ſqq.* ex variis gentium & rerumpubl. moribus demonſtrat.

(i) Itidem hoc ex regulis prudentiæ dependet, & ex facie &, ſtatu reipubl. æſtimandum, vid. Forſtn. *ad Tacit. P. 1. p. 2.* Bodin. *de Rep. p. 672.* Mamercus apud Liuium *lib. 4. c. 24.* iudicat, *maximam cuſtodiam libertatis eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non poſſet.* Quod conſilium in rebuspubl. democraticis ſatis tutum eſt. Cum ordo iudicum Carthagine dominaretur, eo maxime, *quod iidem perpetui iudices erant, prætor factus Annibal extemplo legem promulgauit, pertulitque, vt in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis biennium continuum*

§. XV. Quamuis vero imperans lege antecedente publica *ſtatum*, *ætatem* aliasque qualitates circa officiales determinauerit, ipſe tamen ad hæc requiſita non præciſe obſtringitur, (g) cum ſibi legem haud dixerit, vtut in dubio a lege illa publica recedere noluiſſe præſumi debeat.

§. XVI. Sic quoque penes imperantem arbitrium eſt, vtrum *indigenæ* an vero *extranei* officiis

(g) Quæſtiones politicæ a iuridicis ſunt diſcernendæ. non ſemper prudenter facit imperans, ſi *contra legem* latam officiis publicis eum admoueat, qui debitis requiſitis haud inſtructus eſt, quoniam id ipſum non raro ceterorum inuidiam & odium excitare ſolet, interim ſi facit, nihil contra regulas iuris facit. Sic Q. Fabius conſulatum recuſabat, ex lege, qua cautum erat, *ne intra decem annos eundem conſulem refici liceret*. Tribuni plebis *nihil id impedimenti futurum aiebant, ſe ad populum laturos, vti legibus ſolueretur. Et ille quidem in recuſando perſtabat: quid ergo attineret leges ferri, rogitans, quibus per eosdem qui tuliſſent, fraus fieret? iam regi leges, non regere.* Populus nihilominus ſuffragia inibat, & conſulem eum dicebat. Liuius *lib. X. c. 13.* Hoc ſenſu itaque accipi debet quod vulgo dicitur, *quod ſacrilegii inſtar ſit, de eius habilitate diſputare, quem imperans ſcienter officio publico præpoſuit.* Hac poteſtate populi fretus P. Cornelius Scipio petebat ædilitatē ante legitimā ætatē, cui cum obſiſterent tribuni plebis, *Si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt, ſat annorum habeo.* Tanto inde fauore ad ſuffragium ferendum in tribus diſcurſum eſt, vt tribuni repente incœpto deſtiterint Liuius *lib. XXV. c. 2.*

(h) Ite-

officiis publicis ſint præficiendi, (h) niſi lege fundamentali ſeu pacto publico imperantis poteſtas reſtricta ſit.

§. XVII. Idem quoque ius habet conſtituendi officiales perpetuos & temporales, concedendi officia perſonalia & hereditaria. (i)

§. XVIII.

(h) Iterum hæc quæſtio magis eſt politica quam iuridica. Aliquando conſultius eſt plane indigenas non admittere, ſicuti in iure R. extant peculiares Conſtitutiones, quibus excludebantur indigenæ a certis officiis publicis *l. 3. ff. de off. aſſeſſ. l. 10 C. de aſſeſſor. & domeſt. t. t. C. Vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permittatur*, ne ſimul indigenæ aliquid moliri poſſint in perniciem Reip., id quod ſæpe Romani in prouinciis experti erant. Tempore Claudii imperatoris acriter concertatum fuit, vtrum primores Galliæ Comatæ ad honores in vrbe adipiſcendos eſſent admittendi. Vicit tamen ſententia Claudii, & ita admiſſi ſunt. Tacitus *lib. XI. annal.* Aliquando autem ſtatus Reip. non fert alienigenas, & hinc lege publ. hoc præcaueri ſolet, vti Myler ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 6. §. 10. ſqq.* ex variis gentium & rerumpubl. moribus demonſtrat.

(i) Itidem hoc ex regulis prudentiæ dependet, & ex facie & ſtatu reipubl. æſtimandum, vid. Forſtn. *ad Tacit. P. 1. p. 2.* Bodin. *de Rep. p. 672.* Mamercus apud Liuium *lib. 4. c. 24.* iudicat, *maximam cuſtodiam libertatis eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent; & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non poſſet.* Quod conſilium in rebuspubl. democraticis ſatis tutum eſt. Cum ordo iudicum Carthagine dominaretur, eo maxime, *quod iidem perpetui iudices erant, prætor factus, Annibal extemplo legem promulgauit, pertulitque, vt in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis biennium continuum*

§. XVIII. Sicuti porro imperans, vt hactenus dictum, officia inter ſubditos actu diſtribuit, ita iure naturæ non prohibetur, quo minus poſſit alicui ſpem ad officium mox vacaturum dare, quod alias vocant *expectatiuam.* (k)

§. XIX. Siue autem *generalem* ſiue *ſpecialem* expectatiuam alicui dederit, reuocari ab imperante

nuum index eſſet. Liuius *lib. 31. c.32.* Ceterum non idem iuris retinet imperans circa *perſonalia*, quod habet circa *hereditaria.* Hæc difficilius auferuntur, facilius illa, quæ plerumque ex *mera* dependent *gratia*, cum illa per modum contractus acquirantur, & in alterius patrimonium redigantur.

(k) De licentia expectatiuarum olim varie diſputatum fuiſſe oſtendit Myler ab Ehrenb. *in Hyparch. c.3. §. 1.* Sed rationes contra illas admodum leues ſunt. Aiunt diſſentientes, in omni *expectatiua* latitare votũ captandæ mortis alterius, imo non raro ſæpe metuendas eſſe inſidias, quæ alteri propterea ſtruuntur. Verum hæ rationes quidem indicant periculoſas quandoque eſſe poſſe expectatiuas, ſed iuri naturæ easdem eſſe aduerſas non euincunt: nullius enim ius lædunt, neque ſtatim, quod votum captandæ mortis continet, pro *turpi* vel rectius *iniuſto* habendum, quia ſic omnes ſucceſſiones eſſent eliminandæ. Et denique ſi quæ turpitudo hic adeſt, illa non eſt in *concedente*, ſed in *impetrante*, nec in regulas *iuſti*, ſed tantum *honeſtatis* internæ impingit. conf. Strau. *Synt. iur. feudal. c. 7. aph. 5.* vbi exemplũ Hieronymi Schurffii adducit, qui recuſauit ob haſce rationes expectatiuam feudalem, quaſi omni iuri eſſet contraria, in quo tamen errauit.

(l) Non

rante *licite* poteſt, (l) cum declaratio de officio publico alicui conferendo non ſit pactum, inter imperantem & ſubditum initum, ſed nuda *gra-*

(l) Non eſt quæſtio hic *de regulis decori*, ſecundum quas indecorum vt plurimum videtur, reuocare beneficium promiſſum & inconſtantiæ character eſt, ſemel deſtinata certo conſilio retractare. Sed quæritur *de regulis iuſtitiæ*, vbi vnice inquirendum, an in expectatiua tali lateat pactum proprie dictum? id quod volunt allegati a Mylero ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 3. §. 24. ſqq.* quaſi hic princeps ſerio promitteret, & ſubditus ſeu expectiuarius promiſſum acciperet. Ipſe quidem Mylerus in contrariam ſententiam inclinat, ſed ex rationibus valde inadæquatis, quas nec referre nec examinare lubet. Videlicet hactenus oſtendi nequit, pactum proprie dictum hic adeſſe, ſeu promiſſionem hac intentione a principe datam, *vt alteri velit ius perfectum tribuere* ad promiſſum præciſe exigendum. Eſt enim promiſſio, iudice Puſendorfio, *perfecta* & *imperfecta* vid. *de offic. hom. & civ. c. 9. §. 6. Illa* eſt per quam promittens intendit *ius perfectum* in alterum transferre, & quidem *irreuocabile: hæc* vero, per quam, vt dictum eſt, non intendit ius perfectum in alterum transferre, ſed magis ex regulis decori & humanitatis ſe adſtringit, ita vt *præſtatio promiſſi vnice ipſius liberalitati & humanitati relinqui debeat*, quorſum pertinent hodie promiſſiones ſeriæ virorum potentum de promouenda alterius ſalute. Ceterum vtrum promiſſio perfecta an imperfecta ſit, plerumque ex natura negotii æſtimandum, vtrum tale ſubſit, in quo alicui ius perfectum transferri ſoleat nec ne? Quæ negotia ita ſunt comparata, vt vnice precibus a ſuperiore expetenda & gratiæ eiusdem accepta ferenda ſint, in iis nullo

da *gratioſa declaratio*, quid in poſterum imperans facere velit.

§. XX. Multominus itaque ſucceſſor in imperio obligabitur ad expectatiuam adimplendam, (m) cum idem arbitrium officia pro lubitu conferendi habeat ſucceſſor, quod defunctus.

§. XXI. Non negandum tamen eſt, poſſe aliunde obligationem accedere ad expectatiuam vtroque caſu adimplendam, tum ob inſignia *merita* impetrantis, tum ſi per modum cuiusdam *contractus* (mm) ſit conceſſa in vtilitatem Reip.

§. XXII.

nullo modo ſe adſtringere perfecte voluiſſe videtur. Atqui expectatiuæ h. e. *promiſſiones de officio in futurum ex gratia conferendo*, ſunt tale negotium, cum vnice ex *principis gratia* collatio officiorum dependeat, & ſic in expectatiua magis latitat *imperfecta*, quam *perfecta* promisſio. Et cum princeps officia iam collata reuocare queat, nulla ratio apparet, cur non etiam poſſit ab *expectatiua* recedere. maxime ſi iniquis, vt ſolet, mediis impetrata ſit. *Nou. 69. c. 1.*

(m) Si ipſe princeps, qui expectatiuam dedit, ad illam implendam haud perfecte adſtringitur, multominus obligabitur ſucceſſor quacunque demum ratione ſuccedat. Neque aliud dicendum arbitror, ſi vel maxime expectatiuam confirmaſſet, cum *confirmatio* nihil noui iuris transferat, ſed ſequatur naturam eius quod confirmatur.

(mm) Conf. quæ dicta ſunt ad *cap. III.* §. *LXIII.* de irreuocabilitate priuilegiorum, quæ itidem ad expectatiuas quadrant.

(n) Diffe-

§. XXII. Ex eodem fundamento imperanti competit ius *ſubſtituendi* (n) alium ei, qui adhuc officium gerit, vt ſimul cum eo in adminiſtratione concurrat.

§. XXIII. Neque abſolute contra regulas iuris naturæ eſt, (o) certum pretium exigere ab illis

(n) Differunt ſubſtituti ab illis, qui nudam expectatiuam habent, quod iam actu adſumantur ad officium, iuramentum præſtent, & ſic ipſo iure poſt mortem eius, cui ſubſtituuntur, munus continuent. Ex eodem fundamento habet *ius* quoque *adiungendi &c.*

(o) Omne vitium, quod hic ſubeſſe poteſt, inde eſt, ſi nude ad diuites reſpiciatur, non attendendo, vtrum ſint habiles, nec ne? Item ſi cum ſummo reip. periculo pauperes excluduntur, qui tamen ſunt habiles. Hæc ſi præcaueantur, nullum vitium in collatione non gratuita officiorum eſt. Neque enim ius naturæ determinat, vtrum munera *gratis* ſint conferenda, an vero pro pecunia: ergo principis determinationi hoc relinquendum, maxime vbi ipſa officia ſatis quæſtuoſa ſunt. Conf. Cardin. Richelieu *Teſtam. politique Part. I. ſect. 1. c. 4.* Non nego tamen, conſultius eſſe, hoc mercimonii genus in conferendis publicis officiis eliminare. Nam Alexander Seuerus optime dixit: *ego vero non patiar mercatores poteſtatum, neceſſe eſt enim, vt qui emit, vendat.* Lamprid. *c. 49.* Tale vtique mercimonium officiorum, quale fuit tempore Theodoſii M., merito iuri publico vniuerſali repugnare aſſero, de quo ita Zoſimus *lib. IV.* ſcribit: *cum temere & in indignos publica inſumeret, pluribus egere cæpit pecuniis, eaque re prouinciarum adminiſtrationes venales propoſuit quibusuis accedentibus, nulla exiſtimationis aut honeſtæ vitæ ratione habita; quin eum idoneum iudicans, qui agri vel argenti plus afferret, adeoque videre erat,*

 colle-

§. VIII. Neque officiales ab hac obligatione liberare poteſt vllum priuilegium (y) aut obſeruantia in contrarium, cum vtrumque nihil operetur in damnum Reipubl.

§. IX.

„ctos, & omnes, qui tractant aliquid ciuitatis vltra
„triginta dies, & qui iudiciorum principatus obtinent, & qui ſorte lecti ſunt, hos inquam, omnes
„lex iubet præeſſe, probatos in foro & rationem atque εὐθύνας apud ſcribam & Logiſtas deponere, ita
„vt nemo vel minimo magiſtratu geſto, niſi rationem
„& εὐθύνας reddiderit, a populo corona donari poſſit. Intereſt præterea imperantis, vt bona ciuitatum, quæ Senatus vt plurimum adminiſtrat, in ſalutem reipubl. conſeruentur, non dilapidentur. Sunt enim magiſtratus ſubalterni, quaſi *reipubl. villici*, vt eos appellat Cicero *pro Cn. Plancio*, hos autem ad rationes reddendas eſſe obſtrictos, nemo vnquam dubitauit. Neque hoc ipſo iura ciuitatum minuuntur, ſed conſeruantur, contra perfidos & malos adminiſtratores, & ſi vel maxime dicamus, bona hæc ad ciuitatem pertinere, & ſic illis, qui eum repræſentant, rationes eſſe reddendas, tamen hoc ipſo non adimitur imperanti *ſuprema inſpectio*, cum etiam a ſingulis rationes adminiſtrationis bonorum propriorum exigere poſſit, quatenus reipubl. intereſt, ne quis re ſua male vtatur. vid. Dn. Stryk. *de iure principis circa rationes ciuitatum c. 2.*

(y) Plures ſunt ciuitates, quæ ab hac redditione rationum ſe liberas putarunt, quod intra tantum tempus non fuerit exacta. Sed (1) talis obligatio, quæ immediate ex ſubiectionis ratione deſcendit, eſt ir ſcriptibilis, (2) ſi non eſſent rationes reddendæ ſto officio, quodammodo independentes r fierent. Idem de eiusmodi priuilegiis dic

§. IX. Imo (VI) quæcunq; demum poteſtas libera ipſis concedatur, ita tamen comparata eſt, vt adhuc recurſus detur ad ſuperiorem, (z) ſi contra officium ſuum agant.

§. X. Cum autem publicæ rei adminiſtratio ſatis ardua ſit, præſides quoque tales deſiderat, qui huic negotio ſufficere poſſunt. Atque adeo ad idoneos h. e. ſapientes & prudentes (a) conſtituendos princeps quilibet obligatur.

§. XI.

quia tendunt in perniciem reipubl., qualia quæ ſunt, recte reuocantur, vti ſuo loco dictum eſt.

(z) Sic ſi princeps certo collegio concedit priuilegium de non appellando, non tamen eo ipſo excluſa eſt *querela denegatæ vel protractæ iuſtitiæ*, quia hæc tantum eo tendit, vt Princeps inquirat, an collegium hoc recte concesſo iure vtatur nec ne?

(a) In hunc finem duo obſeruanda ſint (I) [illegible] mnia
in magiſtratibus creandis aga[illegible] ſec[illegible] licæ
ſalus pesſime ſe habet. C[illegible] om-
peii respubl. R. cladem [illegible] eſt,
quod magiſtratus tu[illegible] a, vt
ait Appia[illegible] *de bello* [illegible] *iſtratus*
per fa[illegible] *largiti* [illegible] *terdi*
ſaxis [illegible] *nes*
pud[illegible] *en*
co[illegible] *in*
ſi[illegible] *n p*
[illegible] *rat*
[illegible] *ii*
[illegible] *m*

rem Appianus *lib. II. de bell. ciuil. p. 728.* (II) *Vt probi & ſapientes officiis publicis præficiantur*, exemplo Dei, qui hoc egregie obſeruauit in populo ſuo, vti ex locis *ad §. 2.* allegatis patet. Inprimis vero conſiliarii integritate conſpicui eſſe debent Prou. XII. 5. cum optimum conſilium & quod ſalutare eſſe debet, eſt a ſolo Deo *Prou. XIX, 21.* Ioſaphat exemplo ſuo id confirmat *2. Paral. XIX. 6. ſqq.* Contra malorum conſiliariorum infelicisſimi euentus *II. Sam. XVI. 20. ſqq. & XVII. I. Reg. XII. 6. ſeqq.* Cyrus apud Xenophontem *lib. 8. Cyropæd. p. m. 202. lit. D.* non inepte exiſtimauit, *quod ſi tales ii non eſſent, quales eſſe conueniret, quorum opera maxima plerumque negotia eſſent conficienda, male ſuis rebus proſpectum fore. Sin illi tales eſſent, quales oporteret, præclare ſecum actum iri.* Hos itaque miniſtros vt impetraret, optime iudicauit, ſibi quoque virtutem eſſe exercendam. *Nec enim fieri poſſe putabat, vt qui talis ipſe non eſſet, qualem eſſe oporteret, is alios ad præclaras & laudabiles actiones incitaret.* Multum autem ſitum eſſe in eo, vt optimi ſummis rerum præficiantur, id alibi *lib. de prouentib. p. m. 920. lit. a.* hac declarat ratione, *quod quales ſint præſides, tales etiam ſint reſpubl.* Hinc Baſilius imper. ad filium *c. 18. Conſiliariis*, inquit, *vtere iis, qui rebus propriis bene conſuluerunt, recteque eas adminiſtrarunt, non autem, qui per imprudentiam male. Nam qui ſuis rebus male proſpexerit, nunquam ille bene conſuluerit alienis.* Male certe rebus publicis conſulunt, qui in eligendis miniſtris magis gratiam, quam merita reſpiciunt, quod Tiberius exemplo Seiani expertus eſt. Plura exempla adducit Forſtner. *ad Tacitum lib. I. annal. c. 24. verb. magna apud eum autoritate.* Quo magis officia publica rebuspublicis proſunt, ſi in probos incidunt, eo magis etiam rempublicam affligunt, ſi ad improbos, intemperantes & auaros deuoluuntur. Tribunos creandi mos reipubl. Romanæ *magis vel minus commodus erat pro tribunorum ingeniis. Quoties enim homines iuſti & moderati & pu-*

§. XI. Quos imperans dignos iudicat, hos vel inuitos ad officium publicum ſubeundum cogere poteſt: (b) quos indignos ex poſt facto & infideles animaduertit, hos rurſus ſua poteſt priuare poteſtate. (c)

§. XII.

& publicæ vtilitatis, quam ſui priuati commodi amantiores hanc poteſtatem habebant, is, qui rempubl. læſiſſet, pœnis perſolutis, aliis, qui idem facere fuiſſent parati, metum ingentem incutiebat: Sed quoties improbi & intemperantes & auari homines tantam poteſtatem adipiſcebantur, tunc his contraria fiebant. Inde concludit Dion. Halicarn. *lib. VII. Quare hic mos non erat corrigendus, vt vitioſus, ſed in creandis tribunis plebis danda erat opera, vt viri honeſti & boni ad id deligerentur, neue temere quibusvis res tanti momenti committerentur.*

(b) Hoc fluit ex *obligatione ſingulorum ſubditorum*, & *poteſtate imperantis circa rempubl.* Eo enim, quo quis ſe in Rempubl. aliquam confert, merito quoque ad onera ejusdem ſubeunda obligatur. *Stare debemus omnis,* inquit Cicero *orat. pro Cn. Plancio, tanquam in orbe aliquo reipubl., qui quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos vtilitas illius ſalusque conuertent.*

(c) Hoc liquidum itidem eſt ex fine Reipubl., qui inprimis corrumpitur per infidelium adminiſtrationem, qui tanquam prædones adminiſtrationi inhæreñt. Res conclamata eſt, vt vero digniores exquirantur & ſubſtituantur, vt plurimum in republica corrupta difficile, quo fit, vt mutandi officiales poteſtas non ſemper exerceri poſſit. Capuæ infeſtus plebi iam dudum ſenatus erat, quod Pacuvio Calavio nobili, homini improbo, anſam præbebat, ſibi ſenatū plebemue obnoxium faciendi. Negotium miro artificio aggreſſus eſt, quod refert Liuius *Lib. XXIII. c. 2. & 3.* ſimulauitque ſe veterem ſenatum tollere velle, ſed ita vt in ſingu-

 lorum

§. XIV. Imo ſi imperans conſultius vtilitati Reip. eſſe arbitretur, per commiſſarios negotium expedire vel inuitis partibus, (f) quarum intereſt, ex officio tales poteſt delegare.

§. XV.

tremum atque vltimum SCtum, quo niſi pene in ipſo Vrbis incendio atque deſperatione omnium ſalutis vtebantur, vt ait Cæſar *lib. I. de bello ciuil. c. V. n. 3.* Non enim ſemper eſt eadem ratio temporis, ſtatusque publici. *Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt: vbi ſæua orta tempeſtas, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus eſt*, vt ait Q. Fabius apud Liuium *lib. XXIV. c. 8.* Imo nec ita negotia omnia poſſunt officiis publicis diſtribui, vt non plurima ad ipſum principem adhuc reduci debeant, vbi multo magis commiſſariis opus eſt, quatenus ipſe per ſe negotia talia expedire nequit. Atque hi commiſſarii ab ordinariis in eo differunt, quod hi perpetuo certis cauſis expediendis præficiantur, commiſſatii vero extra ordinem ad certam cauſam ab imperante conſtituuntur.

(f) Exinde nullum ius abſolutum partibus eſt quæſitum, quod iis præpoſiti ſint ordinarii officiales, nam & horum conſtitutio vt & commiſſariorum æqualiter dependet a principe. Generalis quidem imperantis voluntas in conſtitutione ordinariorum officialium hæc eſt, quod regulariter hi expedire debeant negotia iis demandata, ſed ſubditis eo ipſo nihil promittit, nec iis obligatur, quin ſi vel maxime promiſiſſet, tamen talis promiſſio eſſet intelligenda *cum exceptione*, niſi aliud ab imperante fuerit poſtea vtilius reip. iudicatum, cum ſalus reipubl. ſemper ſuprema lex eſſe debeat. Atque tales commiſſarii declinari non poſſunt, facilius tales, qui *extra neceſſitatis* caſum inuita altera parte forſan petiti ſunt.

(g) Quæ-

§. XV. Quamuis vero imperans lege antecedente publica *ſtatum*, *ætatem* aliasque qualitates circa officiales determinauerit, ipſe tamen ad hæc requiſita non præciſe obſtringitur, (g) cum ſibi legem haud dixerit, vtut in dubio a lege illa publica recedere noluiſſe præſumi debeat.

§. XVI. Sic quoque penes imperantem arbitrium eſt, vtrum *indigenæ* an vero *extranei* officiis

(g) Quæſtiones politicæ a iuridicis ſunt diſcernendæ. non ſemper prudenter facit imperans, ſi *contra legem* latam officiis publicis eum admoueat, qui debitis requiſitis haud inſtructus eſt, quoniam id ipſum non raro ceterorum inuidiam & odium excitare ſolet, interim ſi facit, nihil contra regulas iuris facit. Sic Q. Fabius conſulatum recuſabat, ex lege, qua cautum erat, *ne intra decem annos eundem conſulem refici liceret*. Tribuni plebis *nihil id impedimenti futurum aiebant, ſe ad populum laturos, vti legibus ſolueretur. Et ille quidem in recuſando perſtabat: quid ergo attineret leges ferri, rogitans, quibus per eosdem qui tuliſſent, fraus fieret? iam regi leges, non regere.* Populus nihilominus ſuffragia inibat, & conſulem eum dicebat. Liuius *lib. X. c. 13.* Hoc ſenſu itaque accipi debet quod vulgo dicitur, *quod ſacrilegii inſtar ſit, de eius habilitate diſputare, quem imperans ſcienter officio publico præpoſuit.* Hac poteſtate populi fretus P. Cornelius Scipio petebat ædilitatē ante legitimā ætatē, cui cum obſiſterent tribuni plebis, *Si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt, ſat annorum habeo.* Tanto inde fauore ad ſuffragium ferendum in tribus diſcurſum eſt, vt tribuni repente incœpto deſtiterint Liuius *lib. XXV. c. 2.*

(h) Ite-

officiis publicis ſint præficiendi, (h) niſi lege fundamentali ſeu pacto publico imperantis poteſtas reſtricta ſit.

§. XVII. Idem quoque ius habet conſtituendi officiales perpetuos & temporales, concedendi officia perſonalia & hereditaria. (i)

§. XVIII.

(h) Iterum hæc quæſtio magis eſt politica quam iuridica. Aliquando conſultius eſt plane indigenas non admittere, ſicuti in iure R. extant peculiares Conſtitutiones, quibus excludebantur indigenæ a certis officiis publicis *l. 3. ff. de off. aſſeſſ. l. 10 C. de aſſeſſor. & domeſt. t. t. C. Vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permittatur*; ne ſimul indigenæ aliquid moliri posſint in perniciem Reip., id quod ſæpe Romani in prouinciis experti erant. Tempore Claudii imperatoris acriter concertatum fuit, vtrum primores Galliæ Comatæ ad honores in vrbe adipiſcendos eſſent admittendi. Vicit tamen ſententia Claudii, & ita admisſi ſunt. Tacitus *lib. XI. annal.* Aliquando autem ſtatus Reip. non fert alienigenas, & hinc lege publ. hoc præcaueri ſolet, vti Myler ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 6. §. 10. ſqq.* ex variis gentium & rerumpubl. moribus demonſtrat.

(i) Itidem hoc ex regulis prudentiæ dependet, & ex facie & ſtatu reipubl. æſtimandum, vid. Forſtn. *ad Tacit. P. 1. p. 2.* Bodin. *de Rep. p. 672.* Mamercus apud Liuium *lib. 4. c. 24.* iudicat, *maximam cuſtodiam libertatis eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non poſſet.* Quod conſilium in rebuspubl. democraticis ſatis tutum eſt. Cum ordo iudicum Carthagine dominaretur, eo maxime, *quod iidem perpetui iudices erant, prætor factus Annibal extemplo legem promulgauit, pertulitque, vt in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis biennium continuum*

ſtituuntur, quatenus doctrinam reſpiciunt, non aliter habebunt autoritatem, quam *interpretatiuam*, (m) & vt imperans eo, quo dictum, modo, poſſit ſententiam illam approbare, vt *publice* doceatur. Cetera quæ ordinem eccleſiaſticum concernunt, vim legis ex confirmatione

(m) Occurrunt quidem exempla frequentia eorum, qui ſtatuta conciliorum in rebus fidei *per modum legis* obtrudere voluere, ſed id factum eſt ſuaſu cleri, dominatum in conſcientias ambientis. Synodi non habent decidendi autoritatem, nec ius aliud, quam vt ſuam confeſſionem de rebus fidei edant, poteſt tamen eatenus imperans illam confeſſionem confirmare, vt ob pacis ſtudium illa doctrina pro *publica* habeatur, illa tantum publice doceatur, ſed tamen diſſentientes tolerentur, dummodo de cetero quiete agant. Neutiquam vero exiſtimandum, ac ſi tantum Clerici eiusmodi ſynodis intereſſe, & de rebus eccleſiaſticis deliberationes inſtituere debeant, cum etiam laicis non ſint denegata *χαρίσματα* Spiritus S., & hinc æque admitti debeant, vti in concilio Hieroſolymitano tota eccleſia congregata fuiſſe legitur. Quod poſtea a conciliis ſint excluſi laici, id eo tempore factum, quo Clerus iam dominatum ſacrum occupauerat. Sane iam Theodoſii tempore id factum fuiſſe conſtat. Miſerat imperator Candidianum ad ſynodum Epheſinam, ſed, vt ait in literis ad Concilium directis apud Seuerin. Binium *tom. 1. cap. Vlt.* „ea lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ „circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. nefas eſt enim, *pergit*, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, „illum eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe „immiſcere.

(n) Aliud

tione imperantis ſortiuntur.

§. XXVIII. Neque tamen ius vllum imperanti adſcribi poteſt doctrinam hanc ſemel approbatam per modum legis obtrudendi ſubditis, nec diſſentientes pœnis afficiendi (n) cum nullum ius in intellectum ſubditorum principi competat.

§. XXIX. (VIII.) Praeterea cum cœtus ſacrorum cauſa inſtituendi totam fere complectantur ciuitatem, ad ordinem eo rectius conſeruandum diſtrictibus certis cœtus diſtinguere & plures conciones ſeu eccleſias, a ſe inuicem diſtinctas, propriisque legibus & iuribus munitas conſtituere valet. (o)

CAP.

(n) Aliud eſt *doctrinam aliquam facere publicam*; aliud *doctrinam lege obtrudere ſub pœna ſubditis:* Illud tantum eo reſpicit, ne in publicis cœtibus aliud doceatur, adeoque nemo ad tale officium ſacrum admitti poſſit, niſi huic publicae doctrinae aſſenſum praebeat. Hoc vero vlterius progreditur, & libertatem conſcientiis aufert, quod non admittendum. Vnde pœnae in diſſentientes iniuſtae ſunt, quia hactenus demonſtrari non potuit, haereſin per ſe eſſe aliquod crimen ciuile.

(o) Sic Romulus *valde appoſite diuiſit ſacra curiis*, in quas antea populum diuiſerat, vt refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. 2.* Scilicet poſtquam Romulus populum in tribus & curias diuiſerat, ſingulis curiis praepoſuit vnum aliquem virum, quem *curionem* dixit, qui ſacra pro curia ſua curaret. Hiſce omnibus vnus praeerat, quem *curionem maximum* dicebant. Paul. Merula *de ſacr. Rom. c. 2. §. 7.* Satis euidenter hoc confirmat Halicarnaſſ.

CAP. VI.

De Iure imperantium circa publica officia.

§. I.

Adminiſtratio Reipubl. & omnia, quæ ab ea dependent, ſiue concernant eius tranquillitatem *externam* ſiue *internam*, originetenus (p) & quoad fundamentum penes ſolum impe-

naſſ. *cit. l.* & præterea Feſtus *lib. III.* hac de re ita ait: *Curiæ etiam nominantur, in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales ſunt eæ, in quas Romulus populum diſtribuit, numero 30., vt in ſua quisque curia ſacra publica faceret, feriasque obſeruaret.* Poſt, vbi Tarquinius Priſcus tribus augeret, ſacrorum quoque cura aliter diſtribui cœpit. Ita enim Feſtus *lib. 17. Sex Veſtæ ſacerdotes conſtitutæ ſunt, vt populus pro ſua quoque parte haberet miniſtrum ſacrorum, quia ciuitas Romana in ſex tributa eſt partes.* Quilibet diſtrictus itaque habuit ſua propria templa, ædes & ædiculas, in quibus ſacra pro ſingulis curiis fiebant. Quis ignorat, ſimilem diuiſionem inter Chriſtianos quoque intuitu ſacrorum obtinere, & eccleſias diœceſibus, aliisque limitibus diſtinctas eſſe, quas diſtributiones quilibet princeps in ſuo territorio adornare poteſt, vtut Præſul Romanus vel epiſcopi hoc ius ad ſe trahere conati fuerint. Poterit tamen hæc diſtributio vel limitum mutatio impediri pacto publico vel lege fundamentali, quale quid in *Inſtrum. Pac.* occurrit.

(p) Conſiſtit imperium in iure omnia illa agendi, quæ ad ſalutem Reip. ſpectant, quemadmodum etiam in prin-

imperantem in quauis ciuitate reſident.

§. II. Cum autem adminiſtratio hæc ob multitudinem negotiorum (q) a ſolo imperante com-

principis voluntatem omnia, quæ huc ſpectant, delata ſunt. Ergo præter imperantem nemo ius imperandi in republ. *ſuo nomine* & *iure* habere poteſt, ſed omnes ſunt ſubditi, omnes ab eo dependent. Interim alia quæſtio eſt, annon prudentius imperans agat, ſi alios in conſilium & auxilium in adminiſtratione reip. vocat? Antonini imperatoris ſententia fuit: *æquius eſt, vt ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem ſequantur.* Eadem ſententia fuit L. Æmilii apud Liuium *lib. XLIV. c. 22.* aientis: *non ſum is, qui non exiſtimem, admonendos duces eſſe, imo eum, qui de ſua vnius ſententia omnia gerat, ſuperbum iudico magis quam ſapientem.*

(q) Ampliſſima & multifaria ſunt negotia reipubl., quo latius territorii limites ſe extendunt, & reſpublica ſubditis abundat. Antiquiſſimarum ciuitatum adminiſtratio vel per *vnum* ſatis commode expediri poterat, ſcilicet ipſum *imperantem*, poſtquam ſubditorum non tanta erat copia, & limites territorii non adeo ſe extendebant. Aſt vbi ciuitates creſcere, & vrbes pagosque plures in ſe continere, & ſic ampliſſimum imperii ambitum comprehendere cœperunt, ratio neceſſitatis publ. poſtulauit, vt imperans quosdam in ſubſidium ſibi aſſumeret, ex quo tot *officia publica* in rebuspubl. nata ſunt. Reuera enim *vis conſilii expers mole ruit ſua*, vt ait Horat. & *plures facilius munia reipubl. ſociatis laboribus exſequuntur.* Tacit. *lib. I. annal. c. 11.* Hoc intuitu Iethro Moſi autor fuit, de eligendis viris *idoneis, piis* & *prudentibus*, qui regerent populum in certas claſſes & or-

 dinem

te commode expediri non poſſit, hinc neceſſitas vrget ſubditos in partem curarum vocare, eisque munera certa reipubl. obeunda committere.

§. III. Ex quo fluit, (I) omnia officia qualiacunque demum fuerint, dependere a ſumma poteſtate imperantis, atque adeo reſpectu imperantis officiales manere ſubditos. (r)

§. IV.

dinem diſtributum, quoniam huic rei ſolus Moiſes ſufficere haud poſſet, *Exod. XVIII, 17. ſeqq. Deut. I, 9. ſeqq.* & cum ne ſic quidem Moiſes omnibus ſufficeret negotiis, ſeptuaginta viri ad iuſſum Dei electi ſunt, qui ſimul ſub eo populo præeſſent. Satis apte enim Velleius *lib. II. c. 127.* ait: *magna negotia magnis adiutoribus egent*, ex quo perſpicuum eſt, ſalutem reipubl. quoque in optimis adminiſtratoribus ſitam eſſe, ceu prudenter iudicat Otho imper. apud Tacit. *lib. I. Hiſt. c. 84.* aiens: *Quid? Vos pulcherrimam hanc Vrbem domibus & tectis & congeſtis ſtare creditis? Muta iſta & inania intercidere & reparari poſſunt: Aeterna rerum & pax gentium & mea cum Veſtra ſalus INCOLUMITATE ſenatus firmatur.* De Cyro Xenophon *in Cyropæd. lib. 8. p. m. 203.* refert, „quod hac in re „rei militaris ordinem intuitus ſit. Nam, *ait*, ple„rumque decuriones curam decurionum gerunt, du„ctores manipularii decurionum, tribuni manipula„riorum ducum, decem millium præfecti tribuno„rum, quo quidem ipſo contingit, vt nemo ſit cu„ius cura non geratur, tametſi valde multæ ſint ho„minum myriades, cumque vult imperator exerci„tus opera vti, ſatis eſt, decem millium præfectis „mandata dediſſe.

(r) *Lib. I. c. 4. n. 6.* Si officiales conſiderantur reſpectu eorum,

§. IV. Porro (II) qui ſibi publicum aliquod munus abſque conceſſione imperantis (s) arrogat, criminis læſæ Maieſtatis reus merito habetur.

§. V. Quamcunque (III) officiales autoritatem publicam & poteſtatem habent, hanc omnem habent ab imperante (t) in ceteris pro priuatis habentur.

§. VI.

eorum, quibus præpoſiti ſunt, habentur pro *publica perſona*, ſi reſpectu imperantis, ſunt & manent *ſubditi & priuati ſunt*, *nam omnis*, ait Grotius *de I. B. & P. lib. I. c. 4. n. 6. facultas gubernandi, quæ eſt in magiſtratibus, ſummæ poteſtati ita ſubiicitur, vt quicquid contra voluntatem ſummi imperantis faciant, id defectum ſit ea facultate, & pro actu priuato habendum*, id quod contra Monarchomachos omnino notandum, qui ſatis inepte magiſtratui ſubalterno reſiſtendi imperanti facultatem concedunt. Pertinet huc effatum Marci Aurelii imperatoris: *Magiſtratus quidem ipſos de priuatis, principes de magiſtratibus, Deum autem de principibus decernere & iudicare.*

(s) Concredere alicui munus reipubl. eſt ſolius imperantis, & ſine huius conceſſione nemo imperium ſibi arrogare in republ. poteſt, quod cum ſubditus facit, violat eo ipſo maieſtatem reipubl. ſeu *iura imperantis*, quo etiam reſpexit ICtus *in l. 3. ff. ad L. Iul. Maieſt.* Ex quo etiam per ſe fluit, quod quilibet ſubalternus magiſtratus *conceſſionem* ſuam, ſeu *titulum* principi edere debeat, ſi conceſſio eius in dubium vocetur, cum officium publicum a nemine ſine conceſſione imperantis vel *immediate*, vel *mediate* poſſideri poſſit.

(t) Quatenus habent autoritatem publ., eatenus vice imperantis præſident, & inde non ineptum eſt, quod in

magi-

§. VI. Subditi (IV.) non poſſunt ſibi conſtituere magiſtratus, (tt) niſi *ex conceſſione imperantis*, (u) quæ tamen itidem dependens eſt.

§. VII.

magiſtratus inferiores poſſit committi crimen læſæ Maieſtatis, non propter ſe, ſed propter eum, cuius characterem geruntvid. *l. 5. C. ad LL. Iul. Maieſt.* Sed publicam habent autoritatem, *quatenus poteſtate ſibi commiſſa legitime ſtuntur.* Quodſi ſub prætextu autoritatis publ. vim inferant, vel alias inique agunt, pro *priuatis* habentur, & ſic ſingulis permiſſa in eos videntur, quæ in priuatum, atque adeo licet crimen ſit, reſiſtere magiſtratui ſubalterno, reſiſtentia tamen impunita erit, ſi contra poteſtatem ſibi commiſſam agit, & quidem *notorie.* Hoc ſenſu dicitur, *magiſtratum de facto agentem pro priuato haberi.* Circumſcribitur autem poteſtas tum reſpectu loci, tum perſonarum &c.

(tt) Poſtquam Scipiones, quibus imperium in bello Hiſpanico commiſſum erat, cecidiſſent, L. Marcius, eques Romanus imperium in exercitu Romano, illo conſentiente, ſuſcepit, resque egregias geſſit. *Res geſtæ eius quidem magnificæ ſenatui viſæ ſunt, titulus honoris, quod imperio non populi iuſſu, non ex autoritate patrum dato, proprætor ſenatui ſcripſerat, magnam partem hominum offendebat, rem mali exempli eſſe, imperatores legi ab exercitibus,* iudicantes, atque adeo proprætoris titulum &, honorem ei denegarunt, & P. Scipionem cum imperio in Hiſpaniam miſerunt, Liuius *lib. XXVI. c. 2.*

(u) Quicquid ſubditi, eligentes Conſules &c. agunt, non *ſuo*, ſed *imperantis* nomine agunt, atque adeo huic quoque rationes reddere debent. Quod ſi ſua abutantur poteſtate in perniciem reip. indignos eligendo

§. VII. Et cum (V) quilibet, qui alterius nomine agit, alteri, cuius autoritate agit, ad rationes reddendas obſtrictus ſit, merito quoque ſinguli officiales ad hoc obſtricti ſunt. (x)

§. VIII.

gendo, principis eſt, eos ſuo iure priuare, vel alios conſtituere. Vnde optime Conring *de maieſt. ciuil.* §. 15. obſeruat differentiam, quod aliud ſit conſtituere *ſua vi, ſua autoritate & poteſtate*, & conſtituere *opera vicaria & delegata*. Neque poteſt imperans poteſtatem hanc alteri concedere *priuatiue* ſeu *independenter*, niſi velit maieſtatem ſuam diminuere. Et hoc intuitu plerisque in locis *confirmatio ſuperioris* requiritur, quæ *conſtitutioni* æquiparatur, cum vi huius electum poſſit reiicere, ſiquidem id rationes reipubl. poſtulent.

(x) Non deſunt noſtris temporibus exempla, quæ docent, a magiſtratu oppidano hoc in dubium vocatum & exiſtimatum fuiſſe, ſe ad rationes principi reddendas non eſſe obſtrictum. Sed cum omnem ſuam poteſtatem non *iure proprio*, ſed *dependenter* gerant, reuera independentiam eo ipſo profitentur, qui rationum redditionem declinant. Dictatores olim ſummam poteſtatem inde ſibi vindicare poterant, quod nullis rationibus reddendis eſſent obnoxii, vt paſſim Dion. Halicarnaſſeus ait. Sed magiſtratus Athenienſes, officio depoſito, cogebantur rationes reddere geſti magiſtratus apud *logiſtas* vel *Euthynas*, *eſt enim nomen magiſtratus apud Athenienſes. Erant viri numero decem, apud quos rerum a ſe geſtarum rationes reddebant illi, qui legationem obierant, aut magiſtratum geſſerant, aut aliquid de rebus publicis adminiſtrarunt.* Suidas *voc.* εὐθύναι. Idem confirmat Æſchynes *orat. contra Cteſiphont.* *iubet*, ait, „lex magiſtratus omnes, „quos populus creat, & publicorum operum præfe-

§. VIII. Neque officiales ab hac obligatione liberare poteſt vllum priuilegium (y) aut obſeruantia in contrarium, cum vtrumque nihil operetur in damnum Reipubl.

§. IX.

„ctos, & omnes, qui tractant aliquid ciuitatis vltra „triginta dies, & qui iudiciorum principatus obti„nent, & qui forte lecti ſunt, hos inquam, omnes „lex iubet præeſſe, probatos in foro & rationem at„que εὐθύνας apud ſcribam & Logiſtas deponere, ita „vt nemo vel minimo magiſtratu geſto, niſi rationem „& εὐθύνας reddiderit, a populo corona donari poſ„ſit. Intereſt præterea imperantis, vt bona ciuitatum, quæ Senatus vt plurimum adminiſtrat, in ſalutem reipubl. conſeruentur, non dilapidentur. Sunt enim magiſtratus ſubalterni, quaſi *reipubl. villici*, vt eos appellat Cicero *pro Cn. Plancio*, hos autem ad rationes reddendas eſſe obſtrictos, nemo vnquam dubitauit. Neque hoc ipſo iura ciuitatum minuuntur, ſed conſeruantur, contra perfidos & malos adminiſtratores, & ſi vel maxime dicamus, bona hæc ad ciuitatem pertinere, & ſic illis, qui eum repræſentant, rationes eſſe reddendas, tamen hoc ipſo non adimitur imperanti *ſuprema inſpectio*, cum etiam a ſingulis rationes adminiſtrationis bonorum propriorum exigere poſſit, quatenus reipubl. intereſt, ne quis re ſua male vtatur. vid. Dn. Stryk. *de iure principis circa rationes ciuitatum c. 2.*

(y) Plures ſunt ciuitates, quæ ab hac redditione rationum ſe liberas putarunt, quod intra tantum tempus non fuerit exacta. Sed (1) talis obligatio, quæ immediate ex ſubiectionis ratione deſcendit, eſt inpræſcriptibilis, (2) ſi non eſſent rationes reddendæ de geſto officio, quodammodo independentes magiſtratus fierent. Idem de eiusmodi priuilegiis dicendum eſt,

quis

§.IX. Imo (VI) quæcunq; demum poteſtas libera ipſis concedatur, ita tamen comparata, eſt, vt adhuc recurſus detur ad ſuperiorem, (z) ſi contra officium ſuum agant.

§. X. Cum autem publicæ rei adminiſtratio ſatis ardua ſit, præſides quoque tales deſiderat, qui huic negotio ſufficere poſſunt. Atque adeo ad idoneos h. e. ſapientes & prudentes (a) conſtituendos princeps quilibet obligatur.

§.XI.

quia tendunt in perniciem reipubl., qualia quæ ſunt, recte reuocantur, vti ſuo loco dictum eſt.

(z) Sic ſi princeps certo collegio concedit priuilegium de non appellando, non tamen eo ipſo excluſa eſt *querela denegatæ vel protractæ iuſtitiæ*, quia hæc tantum eo tendit, vt Princeps inquirat, an collegium hoc recte conceſſo iure vtatur nec ne?

(a) In hunc finem duo obſeruanda ſunt (I) *vt ſincere omnia in magiſtratibus creandis agantur*; ſin ſecus, reipublicæ ſalus peſſime ſe habet. Certe tempore Cæſaris & Pompeii respubl. R. cladem ingentem inde perpeſſa eſt, quod magiſtratus turpiter acquirerentur. Nam, vt ait Appianus *de bello ciu. lib. II. p. 724.*, *& magiſtratus per factiones largitionesque, improbis ſtudiis, interdum ſaxis etiam gladiisque acquirebantur, & largitiones nullo pudore cohibente frequentabantur, & populus venales in comitiis præbebat operas, boni vero his de cauſis in vniuerſum a magiſtratibus abſtinebant, vt ſtatu tam perturbato respublica per octo menſes aliquando magiſtratu caruerit.* Hoc perpendens Pompeius *iudicia propoſuit, cum de aliis criminibus, tũ præcipue de munerum corruptelis ac largitionibus, videbatur enim ex hoc, ceu fonte, naſci mala publica, & proinde hoc curato ſecuturam ſanitatem celerem*

rem Appianus *lib. II. de bell. ciuil. p. 728.* (II) *Vt probi & ſapientes officiis publicis præficiantur*, exemplo Dei, qui hoc egregie obſeruauit in populo ſuo, vti ex locis *ad §. 2.* allegatis patet. Inprimis vero conſiliarii integritate conſpicui eſſe debent Prou. XII. 5. cum optimum conſilium & quod ſalutare eſſe debet, eſt a ſolo Deo *Prou. XIX, 21.* Ioſaphat exemplo ſuo id confirmat *2. Paral. XIX. 6. ſqq.* Contra malorum conſiliariorum infelicisſimi euentus *II. Sam. XVI. 20. ſqq. & XVII. I. Reg. XII. 6. ſeqq.* Cyrus apud Xenophontem *lib. 8. Cyropæd. p. m. 202. lit. D.* non inepte exiſtimauit, *quod ſi tales ii non eſſent, quales eſſe conueniret, quorum opera maxima plerumque negotia eſſent conficienda, male ſuis rebus proſpectum fore. Sin illi tales eſſent, quales oporteret, præclare ſecum actum iri.* Hos itaque miniſtros vt impetraret, optime iudicauit, ſibi quoque virtutem eſſe exercendam. *Nec enim fieri poſſe putabat, vt qui talis ipſe non eſſet, qualem eſſe oporteret, is alios ad præclaras & laudabiles actiones incitaret.* Multum autem ſitum eſſe in eo, vt optimi ſummis rerum præficiantur, id alibi *lib. de prouentib. p. m. 920. lit. a.* hac declarat ratione, *quod quales ſint præſides, tales etiam ſint reſpubl.* Hinc Baſilius imper. ad filium *c. 18. Conſiliariis*, inquit, *vtere iis, qui rebus propriis bene conſuluerunt, recteque eas adminiſtrarunt, non autem, qui per imprudentiam male. Nam qui ſuis rebus male proſpexerit, nunquam ille bene conſuluerit alienis.* Male certe rebus publicis conſulunt, qui in eligendis miniſtris magis gratiam, quam merita reſpiciunt, quod Tiberius exemplo Seiani expertus eſt. Plura exempla adducit Forſtner. *ad Tacitum lib. I. annal. c. 24. verb. magna apud eum autoritate.* Quo magis officia publica rebuspublicis proſunt, ſi in probos incidunt, eo magis etiam rempublicam affligunt, ſi ad improbos, intemperantes & auaros deuoluuntur. Tribunos creandi mos reipubl. Romanæ *magis vel minus commodus erat pro tribunorum ingeniis. Quoties enim homines iuſti & moderati*

& pu-

§. XI. Quos imperans dignos iudicat, hos vel inuitos ad officium publicum ſubeundum cogere poteſt: (b) quos indignos ex poſt facto & infideles animaduertit, hos rurſus ſua poteſt priuare poteſtate. (c)

§. XII.

& publicæ vtilitatis, quam ſui priuati commodi amantiores hanc poteſtatem habebant, is, qui rempubl. læſiſſet, pœnis perſolutis, aliis, qui idem facere fuiſſent parati, metum ingentem incutiebat; Sed quoties improbi & intemperantes & auari homines tantam poteſtatem adipiſcebantur, tunc his contraria fiebant. Inde concludit Dion. Halicarn. *lib. VII. Quare hic mos non erat corrigendus, vt vitioſus, ſed in creandis tribunis plebis danda erat opera, vt viri honeſti & boni ad id deligerentur, neue temere quibusvis res tanti momenti committerentur.*

(b) Hoc fluit ex *obligatione ſingulorum ſubditorum*, & *poteſtate imperantis circa rempubl.* Eo enim, quo quis ſe in Rempubl. aliquam confert, merito quoque ad onera ejusdem ſubeunda obligatur. *Stare debemus omnis*, inquit Cicero *orat. pro Cn. Plancio*, *tanquam in orbe aliquo reipubl., qui quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos vtilitas illius ſalusque conuertent.*

(c) Hoc liquidum itidem eſt ex fine Reipubl., qui inprimis corrumpitur per infidelium adminiſtrationem, qui tanquam prædones adminiſtrationi inhæreſit. Res conclamata eſt, vt vero digniores exquirantur & ſubſtituantur, vt plurimum in republica corrupta difficile, quo fit, vt mutandi officiales poteſtas non ſemper exerceri poſſit. Capuæ infeſtus plebi iam dudum ſenatus erat, quod Pacuvio Calavio nobili, homini improbo, anſam præbebat, ſibi ſenatū plebemue obnoxium faciendi. Negotium miro artificio aggreſſus eſt, quod refert Liuius *Lib. XXIII. c. 2. & 3.* ſimulauitque ſe veterem ſenatum tollere velle, ſed ita vt in ſingu-

§. XIV. Imo ſi imperans conſultius vtilitati Reip. eſſe arbitretur, per commiſſarios negotium expedire vel inuitis partibus, (f) quarum intereſt, ex officio tales poteſt delegare.

§. XV.

tremum atque vltimum SCtum, quo niſi pene in ipſo vrbis incendio atque deſperatione omnium ſalutis vtebantur, vt ait Cæſar *lib. I. de bello ciuil. c. V. n. 3.* Non enim ſemper eſt eadem ratio temporis, ſtatusque publici. *Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt: vbi ſæua orta tempeſtas, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus eſt*, vt ait Q. Fabius apud Liuium *lib. XXIV. c. 8.* Imo nec ita negotia omnia poſſunt officiis publicis diſtribui, vt non plurima ad ipſum principem adhuc reduci debeant, vbi multo magis commiſſariis opus eſt, quatenus ipſe per ſe negotia talia expedire nequit. Atque hi commiſſarii ab ordinariis in eo differunt, quod hi perpetuo certis cauſis expediendis præficiantur, commiſſarii vero extra ordinem ad certam cauſam ab imperante conſtituuntur.

(f) Exinde nullum ius abſolutum partibus eſt quæſitum, quod iis præpoſiti ſint ordinarii officiales, nam & horum conſtitutio vt & commiſſariorum æqualiter dependet a principe. Generalis quidem imperantis voluntas in conſtitutione ordinariorum officialium hæc eſt, quod regulariter hi expedire debeant negotia iis demandata, ſed ſubditis eo ipſo nihil promittit, nec iis obligatur, quin ſi vel maxime promiſiſſet, tamen talis promisſio eſſet intelligenda *cum exceptione*, niſi aliud ab imperante fuerit poſtea vtilius reip. iudicatum, cum ſalus reipubl. ſemper ſuprema lex eſſe debeat. Atque tales commiſſarii declinari non poſſunt, facilius tales, qui *extra neceſſitatis* caſum inuita altera parte forſan petiti ſunt.

(g) Quæ-

§. XV. Quamuis vero imperans lege antecedente publica *ſtatum*, *ætatem* aliasque qualitates circa officiales determinauerit, ipſe tamen ad hæc requiſita non præciſe obſtringitur, (g) cum ſibi legem haud dixerit, vtut in dubio a lege illa publica recedere noluiſſe præſumi debeat.

§. XVI. Sic quoque penes imperantem arbitrium eſt, vtrum *indigenæ* an vero *extranei* officiis

(g) Quæſtiones politicæ a iuridicis ſunt diſcernendæ. non ſemper prudenter facit imperans, ſi *contra legem* latam officiis publicis eum admoueat, qui debitis requiſitis haud inſtructus eſt, quoniam id ipſum non raro ceterorum inuidiam & odium excitare ſolet, interim ſi facit, nihil contra regulas iuris facit. Sic Q. Fabius conſulatum recuſabat, ex lege, qua cautum erat, *ne intra decem annos eundem conſulem refici liceret*. Tribuni plebis *nihil id impedimenti futurum aiebant*, *ſe ad populum laturos*, *vti legibus ſolueretur*. *Et ille quidem in recuſando perſtabat*; *quid ergo attineret leges ferri*, *rogitans*, *quibus per eosdem qui tuliſſent*, *fraus fieret? iam regi leges*, *non regere*. Populus nihilominus ſuffragia inibat, & conſulem eum dicebat. Liuius *lib. X. c. 13*. Hoc ſenſu itaque accipi debet quod vulgo dicitur, *quod ſacrilegii inſtar ſit*, *de eius habilitate diſputare*, *quem imperans ſcienter officio publico præpoſuit*. Hac poteſtate populi fretus P. Cornelius Scipio petebat ædilitatē ante legitimā ætatē, cui cum obſiſterent tribuni plebis, *Si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt*, *ſat annorum habeo*. Tanto inde fauore ad ſuffragium ferendum in tribus diſcurſum eſt, vt tribuni repente incœpto deſtiterint Liuius *lib. XXV. c. 2*.

(h) Ite-

officiis publicis ſint præficiendi, (h) niſi lege fundamentali ſeu pacto publico imperantis poteſtas reſtricta ſit.

§. XVII. Idem quoque ius habet conſtituendi officiales perpetuos & temporales, concedendi officia perſonalia & hereditaria. (i)

§. XVIII.

(h) Iterum hæc quæſtio magis eſt politica quam iuridica. Aliquando conſultius eſt plane indigenas non admittere, ſicuti in iure R. extant peculiares Conſtitutiones, quibus excludebantur indigenæ a certis officiis publicis *l. 3. ff. de off. aſſeſſ. l. 10 C. de aſſeſſor. & domeſt. t. t. C. Vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permittatur*, ne ſimul indigenæ aliquid moliri posſint in perniciem Reip., id quod ſæpe Romani in prouinciis experti erant. Tempore Claudii imperatoris acriter concertatum fuit, vtrum primores Galliæ Comatæ ad honores in vrbe adipiſcendos eſſent admittendi. Vicit tamen ſententia Claudii, & ita admisſi ſunt. Tacitus *lib. XI. annal.* Aliquando autem ſtatus Reip. non fert alienigenas, & hinc lege publ. hoc præcaueri ſolet, vti Myler ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 6. §. 10. ſqq.* ex variis gentium & rerumpubl. moribus demonſtrat.

(i) Itidem hoc ex regulis prudentiæ dependet, & ex facie & ſtatu reipubl. æſtimandum, vid. Forſtn. *ad Tacit. P. 1. p. 2.* Bodin. *de Rep. p. 672.* Mamercus apud Liuium *lib. 4. c. 24.* iudicat, *maximam cuſtodiam libertatis eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non poſſet.* Quod conſilium in rebuspubl. democraticis ſatis tutum eſt. Cum ordo iudicum Carthagine dominaretur, eo maxime, *quod iidem perpetui iudices erant, prætor factus Annibal extemplo legem promulgauit, pertulitque, vt in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis bienniuin continuum*

§. XVIII. Sicuti porro imperans, vt hactenus dictum, officia inter ſubditos actu diſtribuit, ita iure naturæ non prohibetur, quo minus poſſit alicui ſpem ad officium mox vacaturum dare, quod alias vocant *expectatiuam*. (k)

§. XIX. Siue autem *generalem* ſiue *ſpecialem* expectatiuam alicui dederit, reuocari ab imperante

nuum index eſſet. Liuius *lib. 31. c.32.* Ceterum non idem iuris retinet imperans circa *perſonalia*, quod habet circa *hereditaria*. Hæc difficilius auferuntur, facilius illa, quæ plerumque ex *mera* dependent *gratia*, cum illa per modum contractus acquirantur, & in alterius patrimonium redigantur.

(k) De licentia expectatiuarum olim varie diſputatum fuiſſe oſtendit Myler ab Ehrenb. *in Hyparch. c.3. §. 1.* Sed rationes contra illas admodum leues ſunt. Aiunt diſſentientes, in omni *expectatiua* latitare votū captandæ mortis alterius, imo non raro ſæpe metuendas eſſe inſidias, quæ alteri propterea ſtruuntur. Verum hæ rationes quidem indicant periculoſas quandoque eſſe poſſe expectatiuas, ſed iuri naturæ easdem eſſe aduerſas non euincunt: nullius enim ius lædunt, neque ſtatim, quod votum captandæ mortis continet, pro *turpi* vel rectius *iniuſto* habendum, quia ſic omnes ſucceſſiones eſſent eliminandæ. Et denique ſi quæ turpitudo hic adeſt, illa non eſt in *concedente*, ſed in *impetrante*, nec in regulas *iuſti*, ſed tantum *honeſtatis* internæ impingit. conf. Strau. *Synt. iur. feudal. c. 7. aph. 5.* vbi exemplū Hieronymi Schurffii adducit, qui recuſauit ob haſce rationes expectatiuam feudalem, quaſi omni iuri eſſet contraria, in quo tamen errauit.

(l) Non

rante *licite* poteſt, (l) cum declaratio de officio publico alicui conferendo non ſit pactum, inter imperantem & ſubditum initum, ſed nuda *gra-*

(l) Non eſt quæſtio hic *de regulis decori*, ſecundum quas indecorum vt plurimum videtur, reuocare beneficium promiſſum & inconſtantiæ character eſt, ſemel deſtinata certo conſilio retractare. Sed quæritur *de regulis iuſtitiæ*, vbi vnice inquirendum, an in expectatiua tali lateat pactum proprie dictum? id quod volunt allegati a Mylero ab Ehrenbach *in Hyparchol. c. 3. §. 24. ſqq.* quaſi hic princeps ſerio promitteret, & ſubditus ſeu expectiuarius promiſſum acciperet. Ipſe quidem Mylerus in contrariam ſententiam inclinat, ſed ex rationibus valde inadæquatis, quas nec referre nec examinare lubet. Videlicet hactenus oſtendi nequit, pactum proprie dictum hic adeſſe, ſeu promiſſionem hac intentione a principe datam, *vt alteri velit ius perfectum tribuere* ad promiſſum præciſe exigendum. Eſt enim promiſſio, iudice Puſendorfio, *perfecta* & *imperfecta* vid. *de offic. hom. & civ. c. 9. §. 6. Illa* eſt per quam promittens intendit *ius perfectum* in alterum transferre, & quidem *irreuocabile: hæc* vero, per quam, vt dictum eſt, non intendit ius perfectum in alterum transferre, ſed magis ex regulis decori & humanitatis ſe adſtringit, ita vt *præſtatio promiſſi vnice ipſius liberalitati & humanitati relinqui debeat*, quorſum pertinent hodie promiſſiones ſeriæ virorum potentum de promouenda alterius ſalute. Ceterum vtrum promiſſio perfecta an imperfecta ſit, plerumque ex natura negotii æſtimandum, vtrum tale ſubſit, in quo alicui ius perfectum transferri ſoleat nec ne? Quæ negotia ita ſunt comparata, vt vnice precibus a ſuperiore expetenda & gratiæ eiusdem accepta ferenda ſint, in iis nullo

da *gratioſa declaratio*, quid in poſterum imperans facere velit.

§. XX. Multominus itaque ſucceſſor in imperio obligabitur ad expectatiuam adimplendam, (m) cum idem arbitrium officia pro lubitu conferendi habeat ſucceſſor, quod defunctus.

§. XXI. Non negandum tamen eſt, poſſe aliunde obligationem accedere ad expectatiuam vtroque caſu adimplendam, tum ob inſignia *merita* impetrantis, tum ſi per modum cuiusdam *contractus* (mm) ſit conceſſa in vtilitatem Reip.

§. XXII.

nullo modo ſe adſtringere perfecte voluiſſe videtur. Atqui expectatiuæ h. e. *promiſſiones de officio in futurum ex gratia conferendo*, ſunt tale negotium, cum vnice ex *principis gratia* collatio officiorum dependeat, & ſic in expectatiua magis latitat *imperfecta*, quam *perfecta* promiſsio. Et cum princeps officia iam collata reuocare queat, nulla ratio apparet, cur non etiam poſſit ab *expectatiua* recedere. maxime ſi iniquis, vt ſolet, mediis impetrata ſit. *Nou. 69. c. 1.*

(m) Si ipſe princeps, qui expectatiuam dedit, ad illam implendam haud perfecte adſtringitur, multominus obligabitur ſucceſſor quacunque demum ratione ſuccedat. Neque aliud dicendum arbitror, ſi vel maxime expectatiuam confirmaſſet, cum *confirmatio* nihil noui iuris transferat, ſed ſequatur naturam eius quod confirmatur.

(mm) Conf. quæ dicta ſunt ad *cap. III.* §. *LXIII.* de irreuocabilitate priuilegiorum, quæ itidem ad expectatiuas quadrant.

(n) Diffe-

§. XXII. Ex eodem fundamento imperanti competit ius *ſubſtituendi* (n) alium ei, qui adhuc officium gerit, vt ſimul cum eo in adminiſtratione concurrat.

§. XXIII. Neque abſolute contra regulas iuris naturæ eſt, (o) certum pretium exigere ab illis

(n) Differunt ſubſtituti ab illis, qui nudam expectatiuam habent, quod iam actu adſumantur ad officium, iuramentum præſtent, & ſic ipſo iure poſt mortem eius, cui ſubſtituuntur, munus continuent. Ex eodem fundamento habet *ius* quoque *adiungendi &c.*

(o) Omne vitium, quod hic ſubeſſe poteſt, inde eſt, ſi nude ad diuites reſpiciatur, non attendendo, vtrum ſint habiles, nec ne? Item ſi cum ſummo reip. periculo pauperes excluduntur, qui tamen ſunt habiles. Hæc ſi præcaueantur, nullum vitium in collatione non gratuita officiorum eſt. Neque enim ius naturæ determinat, vtrum munera *gratis* ſint conferenda, an vero pro pecunia: ergo principis determinationi hoc relinquendum, maxime vbi ipſa officia ſatis quæſtuoſa ſunt. Conf. Cardin. Richelieu *Teſtam. politique Part. I. ſect. 1. c. 4.* Non nego tamen, conſultius eſſe, hoc mercimonii genus in conferendis publicis officiis eliminare. Nam Alexander Seuerus optime dixit: *ego vero non patiar mercatores poteſtatum, neceſſe eſt enim, vt qui emit, vendat.* Lamprid. *c. 49.* Tale vtique mercimonium officiorum, quale fuit tempore Theodoſii M., merito iuri publico vniuerſali repugnare aſſero, de quo ita Zoſimus *lib. IV.* ſcribit: *cum temere & in indignos publica inſumeret, pluribus egere cœpit pecuniis, eaque re prouinciarum adminiſtrationes venales propoſuit quibusuis accedentibus, nulla exiſtimationis aut honeſtæ vitæ ratione habita; quin eum idoneum iudicans, qui agri vel argenti plus afferret, adeoque videre erat,*

illis, qui ad officia publica adſpirant, modo de cetero habeatur ratio *qualitatis perſonarum*, & ſalus publica inde nullum detrimentum capiat.

§. XXIV. Interim ſi imperans habiles excludit ab officio, peccat quidem contra officium, (p) & rempubl., ſed non in eos, quos excludit, quippe qui nullum *ius perfectum* habent, poſtulandi hoc officium.

§. XXV. Denique ſicuti vel inuitos cogit imperans ad officium publicum, ita quoque in eius arbitrio eſt, (q) vtrum renunciationem ſpontaneam officialium admittere velit.

CAP.

collectarios & nummularios aliosque profesſiones in foro fœdisſimas obeuntes magiſtratuum inſignia ferre, maioremque pecuniæ vim habentibus prouincias tradere.

(p) Vnde *iuſtitia diſtributiua*, quam ſtatuunt Ariſtotelici, tantum ad officium principis ſpectat, non ad ſingulos in rep. vt inde posſint ſuo iure officium petere; accedit, quod ſubditis non ſit relinquendum arbitrium, vtrum ſint habiles ad hoc officium, ſed hoc vnice imperans æſtimare debeat. Vnde *petenda* ſunt officia, vti olim in comitiis populi R. fiebat, non *exigenda*.

(q) Ratio vbique eadem eſt. Nemo itaque pro lubitu ſpartam commiſſam derelinquere poteſt, ſed prius dimisſionem humillime petere & impetrare debet, quam ſi imperans denegat, ſubſiſtendum in officio commiſſo, cum ſemel ſe reipublicæ per ſubiectionem omnimodam ad quæuis onera ferenda obſtrinxerit.

(r) Res

CAP. VII.

De

Iure imperantium circa iudicia.

§. I.

Ciuitatibus conſtitutis, iudicia eo magis neceſſaria fuere (r), quia ſine his nec vigor legum ſubſiſtere, nec pax reipubl. interna inter ciues conſeruari potuit.

§. II.

(r) Res clara eſt, & ex rationibus perſpicua. Optime Cicero *in philipp. XII. Cum ſeptus ſis legibus & iudiciorum metu, non ſunt omnia timenda, neque ad omnes inſidias præſidia quærenda,* quia ſcilicet ſufficiens præſidium a iudiciis peti poteſt. Quidam tamen a Paulo iudicia improbata eſſe exiſtimant *1. Cor. VI. 1. ſeq.* Verum intentio Pauli haud fuit damnandi iudicia, ſed tantum mores Corinthiorum increpat, quod tanquam Chriſtiani tam alieni eſſent ab amore, vt litigiis variis ſecum pugnarent in iudiciis, nec potius concordiam tentarent. Iam vero (I) licet iudicia ſint ſalutare remedium in republ., ſunt tamen iudicium ſtatus corrupti, & propter maleuolos & iniuſtos habentur, adeoque qui temere ad iudicia prouocat, oſtendit, ſe longe a gradu amoris perfecto abeſſe. (II) amor vero Chriſtianorum debebat eſſe proprium χαρακτήρ & indoles. Neque (III) omnem in iudiciis reprobat contentionem, ſed tantum illam, quæ de rebus mundanis temere ſuſcipitur, & quidem non iudicat ſecundum *regulas iuſtitiæ*, ſed *amoris*. Ceterum ſi ad innocentiæ exculpationem iudicia aguntur, prouocationes ad iudicia neutiquam inculpanda eſſe ſuomet exemplo docuit Paul. *Act. XVI. 37. XXIII. 17. XXIV. 10.* Sancta quoque eſſe iudicia & ordinationi Dei conformia, apparet ex *Deut. XVI. 18. Deut. I. 17. 2. Paral. XIX. 6.*

 (s) Per-

§. II. Iudiciis introductis, ceſſat illa naturalis in ſtatu naturali obtinens libertas, per vim & propria autoritate omnia agendi, (s) imo quod tunc licitum erat, iam in crimen incidit omnino puniendum.

§. III. Atque adeo legibus naturæ plane repugnant omnes violentiæ ſpecies, quibus committitur controuerſiarum deciſio, vti olim *duella* erant, (t) quamuis vbi lege publica per-

(s) Pertinet huc *l. 14. C. de Iudæis*, vbi aſſeritur, *quod idcirco iudiciorum vigor iuriſque publ. tutela videatur in medio conſtituta, ne quiſquam in poſterum per vim ageret.* Inde lex XII. Tabb. *vis in populo abeſto. Cic. lib. 3. de LL.* Sane in ſtatu naturali, vbi iudicia ceſſant, quilibet ſibi ipſi ius etiam per *vim* dicit, & inde ſtatus naturalis ſatis turbidus eſt. Aſt in *ſtatu ciuili* vis omnis priuata, per quam quis ſibi ipſi ius dicit, prohibita eſt, & in crimen degenerat ſecundum effatum Marciani Cæſ. *in l. 13. quod met. cauſa. Vis eſt & tunc quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per iudicem repoſcit*, hinc conſtituta erat pœna amiſſionis iuris *l. 7. C. Vnde vi.* Optime Cicero *lib. III. de LL. Nihil eſt*, ait, *exitioſius ciuitati, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile & humanum, quam, compoſita & conſtituta republica, quidquam agi per vim.*

(t) Ideo receſſum a ſtatu naturali, ne per vim ageretur: ideo iudicia *ordinatio Dei* vocantur, vt *inordinatæ concertationes* per vim ceſſent. Non itaque *duellis*, ſed *legitimo iudicio* lites decidendæ. Exempla contraria ius non demonſtrant, ſed corruptionem reipubl. In ſtatu naturali plerumque *ius in viribus* conſiſtit, Marcellinus *lib. XVII. c. 27.* & plerumque illud obtinet, quod Archius in *controuerſia de agris* aduerſus Sparta-nos

permiſſa, externam impunitatem tamdiu habeant, quamdiu tolerantur.

§. IV. Neutiquam vero ſub hac prohibitione comprehendi debet priuata defenſio, vbique tum propter conſeruationem propriæ *vitæ* tum *bonorum* & *iuris* ſubditis permiſſa, quippe quæ per conſtitutionem iudiciorum non cenſetur ademta. (u)

§. V.

nos gladium ſtringens dicebat: *qui hunc tenet, optime de finibus agrorum diſputat*, Plutarch. *in apophthegm.* Sic inter ipſos Germanos olim *iudicialia duella* permiſſa fuerunt, nec Galli, Hiſpani, Longobardi, & Hiberni ab hoc *manuario iure* abſtinuere, & hactenus habuit *effectum iuris externum*, quatenus per rationem ſtatus corruptæ reipubl. lege publ. duella confirmata, vtut fini Reipubl. & legibus naturæ plane repugnent. vid. Rachel. *de Duell.*, Maurit. *de duell.*, *tom. 9. obſeru. Hallenſ. 4. & 5.* De *iniuſtitia duellorum* iudicialium *obſ. 5. §. 12.* plenius agitur & ſimul ad obiectiones reſpondetur, quæ omnia hic repetere nolo. Quia tamen manifeſta iniquitate conſtant, hinc tandem legibus publ. prohibita. Struv. *in tr. de vind. priuat. c. 2. aph. 1.*

(u) Iudicia maxime tunc vigent, vbi concertationes moram quandam habent, vt autoritate iudicis clare poſſint decidi. Quodſi autem quis inuadatur, ceſſant quaſi iudicia *momentanee*, vt loquitur Grotius, & ita iudicis copia ad hunc effectum haberi nequit, adeoque licita eſt reſiſtentia & defenſio vitæ, etiam cum internecione alterius, quatenus iniuſta fuit aggresſio, & cetera *moderaminis inculpatæ tutelæ* obſeruata requiſita. Sic etiam ob *res* quædam defenſio licite permiſſa cenſeri debet in republ., quatenus abſque priuata reſiſtentia illa conſeruari commode nequeunt, quod &

§. V. Imo quoties alias periculum in mora, & iudicis copia haberi non ſtatim poteſt, naturalis reuiuiſcit libertas, (x) cum ita quodammodo ceſſent iudicia.

§. VI. Extra hos caſus nemo per vim ſibi ius dicere poteſt, ne quidem ſi probabiliter exiſtimet, iuris & iuſtitiæ adminiſtrationem a iudice ſibi denegatum iri: (y) nam ſicuti in aliis

iure Romano obſeruatum, vbi permiſſum eſt poſſeſſionem rerum corporalium & incorporalium vi defendere *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam.* Et hoc adeo extenſum, vt etiam iudici violenter & iniuſte procedenti reſiſtere permiſſum ſit, quatenus ita non agit vt *iudex*, ſed vt violentus aggreſſor, cui reſiſtere fas eſt *l. 5. C. de iuri fiſci l. 5. C. de execut. l. f. C. de diſcuſſ.* Huc etiam pertinet, quod illud quis licite deſtruere poſſit, quod vi & clam in noſtro ab alio factum eſt, *l. 7. §. 3. quod vi aut clam. l. 5. §. 10. de non oper. nunc.* & quæ ſunt alia iuris Romani placita, quæ in iure naturæ fundata ſunt, nec pugnant cum fine rerumpubl., quatenus in rebuspubl. *vis iniuſta* quidem, non *defenſio* prohibita cenſeri debet.

(x) Naturalis libertas in *ſtatu ciuili* eatenus tantum reſtricta eſt, quatenus per iudicia idem obtineri poteſt, quod in ſtatu naturali per vim obtineri debebat. Inde eſt, quod de iure Rom. creditor debitorem fugientem & ſecum ferentem pecuniam ſiſtere, & quantum debet, eidem auferre poſſit *l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred.* quæ lex non *Romana* & *ciuilis*, ſed *naturalis* potius dicenda.

(y) Grotius *l. II. de I. B. & P. c. 7. §. 2. n. 2.* in alia omnia hic ire videtur, & ſupponit caſum, vbi ius quidem certum, ſed ſimul quoque moraliter certum ſit per iudicem

aliis, ita quoque in hoc caſu hæc iniuria publica toleranda.

§. VII. Quod ſi iniuria temporum in totum ceſſant iudicia, & *iuſtitium* (z) inducitur, de iure na-

dicem iuris explimentum conſequi non poſſe, puta quia deficit probatio. Hoc caſu exiſtimat, ceſſare legem *de iudiciis*, & ad ius rediri priſtinum, quod fuit ante conſtitutas ciuitates. Aſt vero hæc minus cohærent: neque enim in hoc caſu ceſſant iudicia, licet forſan *per accidens* ob deficientem probationem tali ius reddi nequeat, & ſi hæc ſententia reciperetur, non poſſet non turbis anſa dari in republ., cum quilibet, qui de iure ſuo per iudicem obtinendo deſperat, poſſit hoc remedio violento vti, quod tamen in crimen incidit. Eleganter abſurditatem huius ſententiæ Dn. Hertius *diſſ. de diff. iur. in ſtat. nat. & aduent. ſect. II.* §. 14. his notat verbis: *Et ſane*, ait, *nunquam moraliter certum videtur, per iudicem ius obtineri non poſſe, niſi prius res in iudicium ducatur, & de ſufficientia probationis cognoſcatur. Porro ſi, actore non probante, reus iuſte abſoluatur, quomodo contra iuſte abſolutum actor ſibi ius dicere iuſte poterit, ita vt non aut de vi aut de furto teneatur. Ad hæc ſunt aliæ probationes, ſi non per teſtes & inſtrumenta, certe per iusiurandum, quod vel litigans litiganti vel etiam iudex interdum defert, ſunt & alia componendæ litis remedia. Quæ omnia ſi fruſtra fuerint, ſatius eſt Deo rem committere, quam pœnam furti aut violentiæ in foro externo mereri.*

(z) Iuſtitium iuxta Gellium *lib. XX. N. A. c. 1. eſt iuris quaſi interſtitio quadam & ceſſatio, vt nihil his diebus agi poſſit.* Eſtque vel *voluntarium*, de quo poſtea, vel *neceſſarium* ſeu *ſumtum*, quod præter voluntatem reipubl. ex *turbato reipubl. ſtatu & aliis calamitatibus publicis* ipſo facto contingit, vt iudicia quaſi clauſa &

re naturæ reuiuiſcit *libertas naturalis*, ſibi ipſi priuata autoritate etiam per vim ius dicendi.

§. VIII.

deſolata habeantur, neque amplius ius dici poſſit. Ceterum *iuſtitium neceſſarium* poteſt eſſe rurſus vel *generale* vel *particulare*. *Illud* inducit ceſſationem iudiciorum generalem; *hoc* vero tantum reſpicit particularis alicuius iudicii ceſſationem, vt tamen aliorum iudicum in republ. copia non deficiat, qualem caſum non vna vice experta eſt Camera Imperii, quæ adhuc hodie per aliquot annos iuſtitio laborauit. Loquor vero hic potiſſimum de *iuſtitio neceſſario generali*, ex publica & generali totius reipubl. calamitate & quidem tanta orto, ob quam omnia turbida & quaſi emortua ſunt, & totum corpus ciuile ita laceratum eſt, vt vix amplius cohæreat, ſed omnia ad interitum & *ἀναρχίαν* ruere videantur. Atque huc quidem tria reip. mala, tanquam fontes iuſtitii, referenda, *bellum, peſtis, fames extrema*, quæ Deus rebuspubl. ob hominum malitiam immittere ſolet. *1. Sam. XXIV, 12. ſqq. Ierem. XXIV, 10. XXIX, 17. XLII, 17. XLIV, 17. Ezech. XII, 6. XIV, 21. Exod. XXVI, 6. Deut. XXVIII, 21. ſqq.* De *bello* res expedita eſt, ſiue externum ſiue internum ſit, & vel ſola Germania id ipſum ſuo exemplo tum in tricennali bello, tum in longiſſimo illo interregno demonſtrat, vbi inprimis interregnum vbiuis fere eiusmodi iuſtitium introduxit. vid. Lehman. *in Chron. Spir. lib. V. c. 95.* & Conring. *de iudic. reip. Germ. th. 53.* Nec de *peſte* deſunt exempla, ſi tanta ſit, vt generalis ſtrages affligat rempubl. Liuius *lib. IV. c. 31. & lib. XXIV. c. 26.* Et denique de *fame* extrema id ipſum liquidum facit Dio *lib. 5.* aiens: *Hæc Romanis infeſta fuerunt, eum fames præterea ingens, adeo, vt gladiatores mancipiaque venalia vltra octoginta M. paſſus ſint ab vrbe redacta, multosque ex ſuis miniſtris*

§. VIII. Hoc tamen tantum intelligendum de *iuſtitio neceſſario*; ſecus eſt in eo, quod publica autoritate & voluntate imperantis ad breue tempus indicitur, (a) quia ſic iudicia in

ſtris cum alii tum ipſe Auguſtus ablegauerint, iuſtitium indictum, ſenatoribus, vt quo vellent, proficiſcerentur, permiſſum fuit. Equidem in huiusmodi iuſtitio ſubditi adhuc quodammodo quodam vinculo ciuili cohærere videntur. Sed *videntur*, cum reuera ciuitates in anarchiam hoc modo recidere videantur, licet vel maxime ſubditi quandoque adhuc cohabitent. Certe tempore interregni fere talis ſtatus fuiſſe videtur, vbi ſecundum *Chronic. Hirſ. omnia per tumultum ſine lege ſine ordine pro lubitu fiebant.* Dum enim iudicia deficiunt, rigor quoque legum ceſſat. Sic itaque ſtatus talis iuſtitii proxime in naturalem declinat, maxime ſi effectus vtriusque conſideramus, quia tempore iuſtitii, vbi deficit iudex ſicuti in ſtatu naturali, quilibet ſibi ipſi ius dicit, & pro iudiciis vis priuata intercedit. Audiamus Cicer. *pro Sextio: inter hanc vitam perpolitam humanitate & illam immanem, nihil tam intereſt, quam IVS atque VIS. Horum vtro vti nolimus, altero eſt vtendum. Vim volumus extingui, ius valeat neceſſe eſt, vel iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia diſplicent aut nulla ſunt? Vis dominetur neceſſe eſt.* Ceſſant itaque in ſtatu iuſtitii omnes leges pœnales iis impoſitæ, qui ſibi in ſtatu ciuili per vim ius dicunt, & quæ interim per vim aguntur, habent effectum iuris externum, &, remiſſo iuſtitio, non reuocantur, aut pro ſpolio accipienda ſunt, niſi poſtea poſſit doceri, præſentem poſſeſſorem omni iure deſtitui. Sic quoque, pendente iuſtitio, nemo ius ſuum amittit ob negligentiam vel præſcriptionem, cum iudicis copia deſit.

(a) Vſitatisſimum apud Romanos olim fuiſſe hoc iuſti-

in totum non ceſſant.

§. IX. Quin quod in tali iuſtitio ipſo facto exceptæ ſint cauſæ moram non ferentes, & publicam reſpicientes ſalutem & tranquillitatem. (b)

§. X. Exſerit ſeſe autem in ciuitatibus iudiciorum vigor per *iurisdictionis exercitium*, quæ eſt nihil aliud quam *publica poteſtas per modum imperii*

tium *voluntarium* vel *indictum*, hiſtoriæ docent, & inprimis tunc adhiberi ſolitum, quando vel *luctus publicus* ob mortem viri clariſsimi vel grauem iacturam reipubl. vniuerſos afficiebat, vel *publica lætitia* inſtabat. De hac teſtatur Horatius *lib. IV. Ode 2.* De illa paſsim occurrunt exempla apud Liuium *lib. III. c. 4. lib. X. c. 4. lib. IV. c. 26. lib. VI. c. 7. lib. VII. c. 6. in f. lib. IV. c. 31. in f.* Sæpe in abuſum tractam fuiſſe hanc indictionem, oſtendit Cicero de *Haruſp. reſp. p. m. 616.* & *epiſt. 17. ad Att. lib. IV.* Ob luctum publicum indictum fuiſſe iuſtitium teſtatur Tacitus *lib. I. annal.* Lucanus *lib. II. verſ. 16. ſqq.* Pedo Albinouanus *in elegia de morte Druſi*, vbi ita canit;

Iura ſilent, mutæque iacent ſine vindice leges;
Aſpicitur toto purpura nulla foro.

Quin etiam Ægyptios hunc morem in luctu publico obſeruaſſe teſtis eſt Diodorus Siculus *lib. I. Bibl. p. 2. c. 3.* vid. *diſſert. noſtra de eo quod iuſt. eſt circa luctum publ. §. 20.* & *de eo, quod iuſtum eſt durante iuſtitio c. 1. §. 6. ſqq.* Verum ita anarchia nulla nec ſtatus naturalis inducitur, cum tantum ad breue tempus iudicia claudantur, & magiſtratus adhuc omnino ſuperſint.

(b) Vnde & feriis hæ cauſæ peragi poterunt, ſicuti id conſtat ex iure Romano, cum tantum iuſtitium hoc quoad illas cauſas obtineat, quæ poſſunt differri.

(bb) Ta-

imperii (bb) *de negotiis ſubditorum iudicandi, &c leges latas applicandi.* (c)

§. XI.

(bb) Talis iuriſdictio proprie huc ſpectat, quæ *iure imperii in ſubditos* exercetur. Alias inter liberas gentes *ſine læſione imperii ſummi* fieri poteſt, vt lites voluntate vtriusque partis alterius reipublicæ deciſioni committantur, quemadmodum Aricini & Ardeates, cum ſæpe de ambiguo agro bello certaſſent, *multis inuicem cladibus feſſi, iudicem populum Romanum cepere.* Liuius *lib. III. c. 71.* Sed vertebant iudices litem in rem ſuam, vti in potentia iudicum fieri ſolet.

(c) Optime Cicero *pro Cæcina*, *Omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficorum cauſa reperta* eſſe aſſerit. Leges enim frigent in republ. niſi ſint qui leges applicent & cuſtodiant, atq; inde ex ſumma poteſtate reipubl. fluit *poteſtas iudiciaria*, quæ quatenus ius denotat, dici communiter ſolet *iurisdictio*, quatenus vero ipſum exercitium huius poteſtatis, *iudicium.* Poteſtas ipſa iudiciaria verſatur circa negotia ciuium ſecundum leges diiudicanda, & ita neceſſario abſolui debet his partibus: (1.) *cauſæ cognitione*, cum audiendus ſit, qui contradicit & controuerſiam mouet. (2) *Sententiæ latione*, quia in hunc finem iudicia in republ. ſunt conſtituta, vt iudex controuerſias determinet & leges applicet. (3.) *executione*, quia fruſtra foret ſententiæ latio, niſi in effectum deduci poſſet. Hac ratione, quia in reluctantes & inuitos ius redditur, iudicia per *imperium* exercentur; eſt enim poteſtas iudiciaria pars poteſtatis ſummæ in republ., quæ in *imperando* conſiſtit, ſiue eandem imperans *per ſe* vel *per alios* exerceat. Proinde hanc partem eleganter Romani vocant *mixtum imperium*, quoniam huic poteſtati ſemper admixtum debet eſſe imperium, vt contra inuitos & reluctantes poſſit eo rectius exerceri. Arbitrorum nulla eſt iuriſdictio,

vt &

§. XI. Conſtat quidem hæc poteſtas iudiciaria ex tribus: *cauſæ cognitione, ſententiæ latione, & executione*; non tamen requiritur, vt immediate (d) omnes tres actus exerceantur ab eo, qui iurisdictioni præeſt.

§. XII. Iudicia reſpiciunt vel *cauſas priuatorum* priuatum intereſſe continentes, vel *vindictam publicam* in puniendis delinquentibus exercendam. (e)

§. XIII.

vt & collegarum, qui quamuis de cauſis collegiorum quodammodo cognoſcere poſſint, illas tamen *pro imperio* definire nequeunt.

(d) Prout ſcil. ratio iudiciorum publicorum conſtituta eſt, ita hoc variare poteſt. Apud Romanos *Magiſtratus maiores* non ſolebant ipſimet cauſarum cognitionibus vacare, ſed hanc ſpartam aliis demandabant nomine eorum exercendam, qui dicebantur *iudices pedanei*. Eodem modo ſententiæ latio aliis committi poteſt, vt hodie fieri ſolet, cum acta ad collegia iuridica transmittuntur, qui tamen nomine eius, qui iurisdictionem exercet, ſententiam concipere ſolent: Denique & executio quoque aliis committi poteſt, & aliquando ex peculiari conſtitutione reipubl. aliis committi debet, vti ſententiarum in ſummis tribunalibus latarum executio expeditur per circulos &c.

(e) Dixi antea, *poteſtatem iudiciariam inprimis in legum applicatione in republ. verſari.* Leges autem verſantur circa (1.) *cauſas intereſſe ſingulorum*, quatenus in iis de *meo* & *tuo* agitur, reſpicientes, & ſic vel lites de iis incidunt, tunc has iudex determinabit, vel nullæ lites de iis incidunt, ſed tantum ad iudicem deferuntur, vt ipſe eis impertiatur publicam autoritatem, & ſic illas confirmat. (2.) Circa *cauſas ſecuritatem ſingu-*

§. XIII. Atque hæc iudiciaria poteſtas, tota quanta eſt, penes imperantem reſidet, & ab eius arbitrio exercitium eius dependet, (f) & ita hoc ſenſu cuilibet imperanti recte tribuitur iurisdictio.

§. XIV. Quocirca non dubium eſt, quin imperans per ſemet ipſum ius dicere poſſit (g) ſi ra-

ſingulorum intendentes, quod fit per pœnarum propoſitionem, in quibus itidem iudiciaria poteſtas verſatur ſecundum tria illa capita, vti hactenus dictum, & hinc factum, quod iurisdictio communiter ſoleat diuidi in *ciuilem* & *criminalem*, quæ diſtinctio ex *poteſtatis iudiciariæ natura* fluit. Vtraque ſpecies in ciuitate eſt neceſſaria, quia vtraque ad tranquillitatem reip. tendit, hæc tamen magis eam promouet, quam illa, vnde merito pro *excellentiori* & *primaria* ſpecie haberi debet, quatenus magis reipubl. ſalus ab eius exercitio dependet, vti *cap. ſeq.* oſtendam. Cum itaque vtraque ſpecie ſeparatum officium exerceat, dubium non eſt, quin etiam quoad *exercitium* in ciuitatibus ſeparari queant.

(f) Res declaratione non indiget. Respubl. non poteſt eſſe ſine iudiciis: iudiciaria autem poteſtas absque imperio exerceri nequit, & conſequenter iuribus ſummis imperantium merito adſcribenda. Hinc quod antiqui de imperatore dixere, *quod* ſcil. *ad eum omnis iurisdictio pertineat, ab eo tanquam a fonte fluat, & ad eundem refluat tanquam ad mare*, id de ſingulis imperantibus in rebuspubl. recte dicitur, vtut hoc asſertum olim imperatoribus tributum hodie non æque quoad territoria ſtatuum minus recte ſe habeat, quin potius ad ſingulos dominos territorii applicari debeat.

(g) Primos imperantes per ſe ius dixiſſe, non dubitandum, poſt-

ſi ratio reipubl. id ita ferat.

§. XV. Cum vero ipſe huic rei non ſatis ſufficere poſſit, conſtituit, qui iurisdictioni præſint, & ſubditis litigantibus ius dicant. (h)

§. XVI.

poſtquam diſtrictus admodum reſtrictos poſſiderent. Vnde Heſiodus:

Hoc vno reges olim ſunt ſine creati
Dicere ius populis iniuſtaque tollere facta.

quamuis an hæc primaria introducendarum ciuitatum cauſa fuerit, vt Heſiodus putat, dubium ſit propter illas coniecturas, quæ ſuo loco adductæ ſunt. Certe Moſen in populo Iſraelitico ius dixiſſe apparet: quin & qui poſt Ioſuam populo præerant, inde *iudices* appellabantur, a primaria poteſtate populum regendi, quin & Salomonem aliosque reges iuri dicundo vacaſſe conſtat. Auguſtus ipſe ius dixit teſte Sueton. *in Auguſt. c. 33.* Idem de Tiberio teſtatur Tacitus *lib. I. Annal. c. 75.* De Claudio nouum teſtimonium affert Sueton. *in Claud. c. 14.* De Carolo M. Eginhardus in *vita eius* hæc refert: *Cum calcearetur & amiciretur, non tantum comites admittebat, verum etiam ſi comes palatii litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci iuſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita ſententiam dixit.* Quin etiam de Ludouico pio annales memorant, quod per tres dies in hebdomade publice in palatio cauſis audiendis operam dederit, & ius omnibus ſumma æquitate reddiderit. Ceterum alia quæſtio eſt, an *vtile* ſit reipubl., principem per ſe ius dicere, quæ cum ſit alterius fori & diſciplinæ, merito hic ſequeſtrari debet. vid. interim Bodinus *de republ. lib. 4. c. 6.* vbi prolixe negatiuam defendit.

(h) Et hi proprie dicuntur *iudices*, omnemque autoritatem, quam exercent, a principe habent, & eius iure vtuntur.

tur. Et licet hi intuitu *imperantis* adhuc *ſubditi* maneant, reſpectu eorum tamen, quibus præſunt, publicam perſonam cum imperio repræſentant, vt his eodem modo obediendum ſit ac ipſi imperanti, quatenus officio ſuo ſatisfaciunt. Hunc in finem plerumque iuramentum ab eis exigitur *de iuſtitia recte adminiſtranda*, quod quidem *accidentale*, ſimul tamen antiquiſſimum eſt. Iuramentum iudicum apud Græcos refert Iulius Pollux *lib. VIII. onom. c. 10.* his verbis: *Iuramentum autem iudicum erat, ſe de illis rebus, de quibus leges habentur, ſecundum easdem indicaturos, de quibus autem leges nullæ ſunt, iuſtiſſimam laturos ſententiam.* Pleniorem formulam recitat Demoſth. *Orat. in Timocrat.* Cum vero tantum ad ius dicendum inter ſibi ſubditos ſint conſtituti, apparet, eos ius dicere non poſſe de iis controuerſiis, quæ ipſum imperantem concernunt. Sed ſicuti ſe legibus ſuis propria voluntate ſubiicere poteſt, ita quoque boni Principis eſt, forum idem cum priuatis eligere & ſubire, qualia exempla apud Principes Romanos paſſim occurrunt. De Tiberio Tacitus *lib. 4. annal.* refert, quod *ſi quando cum priuatis diſceptaret, forum & ius* obtinuerit. De Traiano multa congeſſit Plinius in *eius Panegyri c. 64.* quæ digna viſa ſunt, vt hic adiicerentur: *Peracta erant*, inquit, *ſolennia comitiorum, ſi principem cogitares, iamque ſe omnis turba commouerat, cum Tu mirantibus cunctis, accedis ad conſulis ſellam, adigendum te præbes in verba Principibus ignota, niſi cum iurare cogerent alios --- Stupeo P. C. nec dum ſatis aut oculis meis aut auribus credo, atque identidem me, an audierim, an viderim, interrogo. Imperator ergo & Cæſar & Auguſtus, Pontifex maximus, ſtetit ante gremium conſulis, ſeditque conſul, principe ante ſe ſtante: & ſedit inturbatus, interritus & tanquam ita fieri ſoleret. Quin etiam ſedens præbuit ius iurandum, & ille iurauit, expreſſit, explanauitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret. Ingens*

Cæſar

§. XVI. Hoc ipſo tamen imperans ſe haud priuat ſua poteſtate ius dicendi, (i) ſed integrum adhuc eidem manet, quasdam cauſas ab ordinario iudicio conuocare, & ſua deciſione finire.

§. XVII. Et ſic omnis iurisdictio ſemper debet intelligi conceſſa *ſubordinate*, [k] vt illud, quod

Caeſar, & par gloria tua, ſiue fecerint iſtud poſtea Principes ſiue non fecerint. Vllane ſatis praedicatio digna eſt, idem tertio Conſulem feciſſe, quod primo? Idem principem, quod priuatum? Idem imperatorem, quod ſub imperatore? Neſcio iam, neſcio, pulchrius ne ſit iſtud, quod praeeunte nullo, an hoc, quod alio praeeunte iuraſti. In roſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubieciſti? Legibus Caeſar, quas nemo Principi ſcripſit &c. Item c. 36. *Dicitur actori atque etiam procuratori tuo: in ius veni, ſequere ad tribunal: Nam tribunal quoque excogitatum cruciatu eſt par ceteris, niſi illud litigatoris amplitudine metiaris. Sors & vrna fiſco iudicem aſſignat. Eodem foro vtuntur principatus & libertas. Quae pracipua tua gloria eſt, ſaepe vincitur fiſcus, cuius mala cauſa nunquam eſt niſi ſub bono Principe.*

(i) Iudices ſubalterni aſſumuntur tantum *in ſubſidium*, vt eo rectius expediri poſſit ratio Reip. Erga Principem ius non habent impediendi, ne ipſe iudicet, cum eius ſint *miniſtri*, & ſic liberum ei relinquere debent, an pro re nata ipſe velit in hac vel illa cauſa ius dicere, vel etiam acta a iudice ordinario auocare.

(k) Pertinet huc quaeſtio veterum, an iurisdictio cenſeatur *priuatiue* an *cumulatiue* conceſſa? Vtrumque incommode dicitur. Prius enim proprio ſenſu denotat, quaſi Princeps eo ipſo a ſe abdicauerit omnem poteſtatem,

quod a ſubalterno geſtum eſt, adhuc ſubiaceat examini ſuperioris.

§. XIIX. Atque inde eſt, quod a iudice inferiori ſemper prouocetur imperans, (l) quatenus

ſtatem, quod dici nequit. Poſterius vero quaſi imperans habeat concurrentem iurisdictionem, quod quo ſenſu admitti poſſit, ex §. *antec.* conſtat. Scil. cum Princeps ſemel ordinarios magiſtratus conſtituerit, non integrum erit ſubditis, ſtatim Principem adire prætermiſſo ordinario, cum hic eo ipſo ſit conſtitutus, vt ipſe loco Principis iudicet. Sed ipſi Principi hic non ligantur manus, quin poſſit cauſam ex ratione iuſta ad ſe trahere, cum curare debeat, ne quid a iudicibus peccetur. Romulus leuiorum cauſarum cognitionem ſenatoribus permiſit, *ita tamen, vt caueret, ne quid interim in iudiciis peccaretur*, vt refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* Atque hæc poteſtas imperanti competit ex ſuprema inſpectione omnium iudiciorum.

(l) Ius appellandi ad Principem in quibusuis rebusp. fere introductum eſt, hoc fine, vt ſi ſubditis forſan per ſubalternos iniuria fiat, illa per *appellationem* corrigatur, & ita ſententia inferioris iudicis examini ſuperioris ſubiiciatur: abſque quo ſi eſſet, non poſſet non iudex inferior ſua abuti poteſtate. Ne vero ita rurſus Princeps multitudine cauſarum obruatur, poteſt itidem vel certum collegium adornare, quod nomine Principis iudicet, & cauſas appellationis examinet, vel etiam certum modum determinare, intra quem appellationes ſint permiſſæ. Quamuis vero dictum ſit, appellationes fluere ex iudicis inferioris poteſtate ſuperiori ſubordinata, & inde ab inferiori ad ſuperiorem ordinarie appellationes dirigantur; non tamen ex ipſa prouocatione ſtatim argumentum pro *dependentia* & *ſuperioritate* eſt deſumendum. Poteſt enim

tenus huic prouocationi certos limites non poſuit.

§. XIX. Et ſi vel maxime certo modo prouocationem imperans inhibuit, (m) non tamen ſubditis omnis præcluſus eſt recurſus ad Principem.

§. XX. Cum autem ordo in iudiciis exercendis ſeruari debeat, imperantis eſt iudicia diſtinguere (n) tum ratione *diſtrictus*, tum ratione *cauſarum*.

§ XXI.

nimi α) prouocatio fieri ex *mero compromiſſo* & ſic etiam ad eum, qui non eſt ſuperior, quales olim prouocationes in Germania frequentes fuerant. Sic Poloni olim prouocarunt Magdeburgum, Parthen Litigioſ. *c. 2. l. 2. n. 19.* Vrbes Pomeraniæ Lubecam, Veſalienſes Aquisgranum, alia exempla vid. *apud autor. dubior. Cameral. verb. appellatio & verb. conſultatio.* Deinde β) poteſt appellatio adhuc locum habere ex *ratione ſtatus antiqui* reipubl. qui quidem iam ita mutatus eſt, vt ad præſentem formam reipubl. non adeo quadret appellatio, interim tamen tanquam *veſtigium ſtatus antiqui* retineri debuit. Huc refero appellationes a ſtatuum imperii tribunalibus ad tribunal Imperatoris, propter quas ſtatus haud amplius poſſunt magiſtratibus ſubalternis æquiparari. Nam & apud Romanos non ſtatim is, qui appellabatur, eo maior erat eo, a quo appellabatur, vti exemplis probat P. *Ærodius lib. 2. rer. iudicat. tit. 9. c. 14.*

(m) Quid enim ſi iudex inferior deneget iuſtitiam? quid ſi manifeſte ius detorqueat in ſiniſtram partem? vel alias partem valde grauaret? certe de his querelis ſubditi audiendi ſunt, vt conſtet, an iudex recte ſuo officio fungatur.

(n) Sic variis in locis certi limites iurisdictionibus ſunt poſiti,

§. XXI. Diſtinctis ſemel foris & iudiciis iudicum ſubalternorum, nemo poteſt vltra ſuos limites iudicare; id quod ſi de facto fiat, impune ei non paretur, (o) cum extra ſuos limites inſtar priuati ſit.

§. XXII. Manet tamen inter principem & iudicem ſubalternum adhuc inſignis differentia; quod hic ad LL. præciſe ſit adſtrictus; ille vero *ex iuſta cauſa* aliquando poſſit ſententiam ferre, prout *ſalus publica* & *aliæ circumſtantiæ* hoc poſtulant. (p)

§.XXIII.

poſiti, vltra quos poteſtatem iudex non habet. Imo & certis cauſis poteſt ſua peculiaria dare fora, prout expedi[illegible] hoc Reip. viſum fuerit. Inde datur forum *eccleſiaſticum*, *criminale*, *ſalinarium*, *mercatorum*, *cambiale*, *metallicum*, *ſtudioſorum*, *militare* &c. Non, quod præciſe hoc facere debeat, ſed quod propter ordinem poſſit & ſæpe hoc expediat. Neque ita neceſſe habet, ſeparatum conſtituere conſiſtorium, vti Carpzouius exiſtimat ex falſa hypotheſi, ſed quod ita commodum videatur reip. interim omnia hæc fora, qualiacunque demum ſint, ſemper ab imperante dependent.

(o) Hoc etiam in iure Romano ex hac diſciplina repetitum. *Extra territorium ius dicenti impune non paretur.* Inde eſt exceptio *fori incompetentis*, quæ potiſſimum ex perſona rei æſtimanda, ſi contra eum agatur: Naturale enim eſt, vt actor ſequatur forum rei, quia ille hunc cogere ad id præſtandum, quod petit, ſatagit, & ſic eius iudicem ſequi debet.

(p) Pertinet huc exemplum Salomonis 1. *Reg. III*, 16. *ſqq*. Item Rudolphi I. imperatoris, quod refert Lehmann. in *Chron. Spirenſi lib.* 5. *c.* 109. vt & Galbæ, apud Sue-

 ton.

§. XXIII. Sic etiam princeps deciſionem cauſæ certæ alteri quam ordinario recte committit; ſed non ſemper iudici inferiori, poteſtatem ſuam rurſus alteri mandare integrum eſt (q), niſi quatenus hæc poteſtas ei eſt conceſſa.

§. XXIV. Cum itaque omnis iurisdictio dependeat ab imperante, apparet, ſubditos eam nec ſibi ſumere, (r) neque aliis dare poſſe, vt-ut

ton. *in eius Vita c. 7.* Dicitur hæc ſententia *ex plenitudine poteſtatis lata*, *ein Macht-Spruch*, cum omnia poſſit ad ſalutem reip. accommodare, & ſic graui cauſa exiſtente legibus latis non præciſe adſtringatur, ſed deciſum ſuum *pro re nata* abſque vllis ambagibus iuſte interponat. Sic etiam ob ſalutem publ. aliquando partes ad tranſigendum cogit &c.

(q) Diſputant, *an iudex inferior poſſit delegare ſuas vices alteri?* quod regulariter negandum exiſtimo, quia ſpecialiter ad hoc munus propter induſtriam & ſingularem habilitatem electus eſt, nec *iure proprio* ſed *beneficio principis* id ipſum gerit. Quamcunque ergo hodierni iudices poteſtatem ſubdelegandi, vel iurisdictionem ſuam mandandi habent, ex *conceſſione ſuperioris* habent, quæ vel *ſpecialiter* ipſis conceditur, vel *lege communi*, qua poteſtas iudicum circumſcribitur. Alias hanc poteſtatem exercere nequeunt. Quando vero iurisdictio quibusdam conceſſa, vt non peculiaris perſonæ induſtria electa ſit, ſed etiam in heredes quoscunque tranſire queat, facilius concedi poteſt, vt tales iudices poſſint vices ſuas alteri mandare, cum iurisdictio non intuitu certæ perſonæ habilitatis conceſſa ſit.

(r) Criminis læſæ Maieſtatis reus habetur in iure Rom. qui ſibi priuatim aſſerit iurisdictionem. Cum vero inter priuatos quædam imperia ſubordinata dentur, velut,

ut poſſint arbitros (s) in cauſa controuerſa eligere, quia ſic expeditius lites finiuntur, quod bono reip. conducit.

§. XXV. Grauitas huius officii eiusmodi viros poſtulat, qui ſunt *iuſtitiæ* & *veritati* ſincere dediti, (t) & ab omni prosopolepſia alieni.

§.XXVI.

veluti in vxorem, in liberos, in ſeruos, quædam iurisdictionis ſpecies priuatis in has perſonas relinqui potuit. Olim Romulus maritis dabat ius vitæ & necis in vxores, *qui cognoſcebat cum cognatis, vbi violata pudicitia fuiſſet, & ſi quam mulierem vinum bibiſſe conſtitiſſet.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. II. antiq. Rom.* plura vid. *ad* §. 15. *cap. ſeq.*

(s) Arbitri proprie non fiunt *iudices*, nec *iurisdictionem* proprie dictam habent, cuius potisſima virtus *in coactione iudiciali*, ſeu quodam *imperio* conſiſtit; arbitri autem omni deſtituuntur imperio, & mere litem dirimunt ſua ſententia, ſi partes ſtare nolint, ad id ab arbitris cogi nequeunt, ſed iam ad ordinarium iudicem eundum, qui alterum cogere debet, vt compromiſſo ſatisfaciat.

(t) Conf. *Exod. XXVIII.* 21. & *Deut. I.* 13. 17. Impii non poſſunt recte iuſtitiam adminiſtrare, quia ſecundum ſuos affectus vnice agunt, & leges cauillatorie applicant, iuſtitiamque corrumpunt. Auarus facile corrumpitur, vti dicitur *Prov. XVII*, 23. *XXVIII*, 5. Non inique itaque huiusmodi hominum tribunalia dicuntur *Caſtella omnium ſcelerum*, & iudices ipſi, *legum & ciuilis & humani fœderis* [quod natura inter homines conſtituit] *expertes*, vt apud Liuium *lib. III. c.* 57. Appius depingitur. Idque & gentiles ſedulo obſeruabant. Cyrus dixit: *magiſtratu dignum non eſſe quenquam, qui non ſit melior ſubditis*, Plutarch. *apophth. p.* 172. *lit. a* In iure Romano pasſim dicitur, quod iudex debeat eſſe vir

§. XXVI. Quodſi itaque ex euentu appareat, iudicem ipſum eſſe depravatis moribus, vt ſuſpectus recte removeri, & magis idoneus ſubſtitui poteſt. (u)

§. XXVII.

ſe vir bonus & innocens. *Sacerdos iuſtitiæ, getreue Vorſtehere der heilſamen Iuſtiz*, vti iudices eſſe iubentur in *R. I. de anno 1654. §. 157.* Grauiter iudicis officium depingit Cicero *pro A. Cluentio*, aiens: *Eſt ſapientis iudicis, meminiſſe ſe hominem, cogitare, tantum ſibi a populo R. permiſſum, quantum commiſſum & creditum ſit: & non ſolum ſibi poteſtatem datam, verum etiam fidem habitam eſſe meminiſſe, poſſe, quem oderit, abſoluere, quem non oderit, condemnare, & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid lex & religio cogat, cogitare.* De Ægyptiorum iudicibus Diodorus Siculus *lib. I. Bibl. p. 68. Edit. Rhod.* ita: *Ferebat hic* (præſes iudicum) *circa collum ex aurea catena pendens ſignum pretioſorum lapidum, quod vocabant VERITATEM, inchoabant autem diſceptationes, cum veritatis imaginem appoſuerat ſibi iudicum præſes.* De iisdem Ælianus *variar. Hiſtor. lib. 13. c. 34. Horum Princeps erat maximus natu, & omnes in ius vocabat. Oportebat eum eſſe iuſtiſſimum & ſinceriſſimum virorum. Habebat autem circa collum imaginem ex Sapphiro gemma, & vocabatur ea imago VERITAS.* conf. Lehman. *in Chron. Spir. P. 1. p. 92.* Et hæc forſan ratio fuerit, quod apud plures populos iudicis officium ſacerdotibus demandatum fuerit, cum pro his maxima ſanctitatis præſumtio militet. De Druidibus hoc ipſum refert Cæſar *de bell. gall. lib. 6. c. 13.* De Ægyptiis ſacerdotibus idem confirmat Ælianus *lib. XIV. c. 34.* De Iudæis Iuſtinus *lib. XXXVI.* ait: *ſemper hic mos apud iudæos fuit, vt eosdem & reges & ſacerdotes haberent, quorum iuſtitia religione permixta incredibile quantum coaluere.*

(u) Grauitas officii hoc imperanti indulget. Quod autem

§. XXVII. Sicuti itaque iudex vice imperantis iudicat, ita iudicata eius *publicam* debent habere *autoritatem*, (x) nec facile reſcindenda

tem rarius hoc fiat, id corruptioni reipubl. & malis moribus imperantium imputandum, vti ſuo exemplo Iuſtinianus oſtendit, qui Tribonianum aliosque peſſimos miniſtros iudicesque non tantum tolerauit, ſed etiam fouit, adeo vt etiam publicis turbis Tyrannis eorum anſam dederit. Sic Procopius *lib. 2. de bello Perſ.* de Io. Zibo ita ait: *Poſthæc Iuſtinianus ad Lazos tum magiſtratus alios, tum Ioannem Zibum cognomento miſit, hominem ſane obſcurum, & ducem factum, non ob aliam cauſam, quam quod omnium hominum peſſimus ac pecuniæ reditus vndequaque vel contra fas repperirit.* Quo magis peſſimi iudices reipubl. nocere poſſunt & tranquillitatem internam turbare, eo magis optimus princeps ſerio proſpicit, vt mature remoueantur. Satis pulchre Ammianus Marcellinus *lib. 30.* ait: *Cum recte procedunt iudicia, delubra ſunt æquitatis, cum deprauate, foueæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quisquam, non niſi per multa exſiliet luſtra ad vsque ipſas medullas exutus.*

(x) Autoritas rerum iudicatarum non indiget teſtimonio iuris ciuilis, quæ per ſe iam patet. Apprime Cicero *orat. pro Sylla p. m. 535. lit. a. ſtatus reipublicæ maxime rebus iudicatis continetur.* & *lib. V. in Verrem p. m. 262. lit. e.* inter exitiales exitus perditarum ciuitatum refert, ſi *res iudiciales* reſcindantur. Poteſt autem determinare princeps, quando talem debeant habere autoritatem, adeoque determinatio temporis non eſt ex iure naturæ, ſed iure ciuili. Sicuti autem ipſius imperantis arbitrium tantum intra territorium valet, ita etiam talis res iudicata extra territorium imperantis de iure ſtricto non aliam habet vim,

denda, niſi quatenus imperans illa vlteriori examini reſeruauit, & eum in finem certum modum præſcripſit.

§. XXIIX. Ordo in iudiciis exercendis obſeruandus itidem præſcribitur ab imperante, (y) qui exacte obſeruandus eſt, quo non præſcripto, naturalem ordinem ſequitur iudex.

§. XXIX. Quo magis autem ordo naturalis in peragendis litibus obſeruatur, eo magis iuſtitia incorrupta manet, & litium ambages euitantur, (z) ſicuti quo magis creſcit ſolennitatum

niſi ex beneplacito illius imperantis, & conſequenter executio iudicati extra territorium precibus nudis imploranda, nec ex iure perfecto prætendi poteſt.

(y) Inde in pluribus locis ſunt peculiares ordinationes processuum, ne iudex nimis præcipitanter & turbulenter agat, nam ſine aliquo ordine ſumma committitur iniuſtitia. Sed hic *duo extrema* committuntur: (1) *ſi omnis ordo negligatur*, inde enim proceſſus eſt *tumultuarius*, qualis ratio erat plerumque iudiciorum VVeſtphalicorum, de quibus vid. Schottelius *de antiq. in Germ. iurib. in f.* (2) *ſi in exceſſu peccetur & nimium ordini indulgeatur*, quale vitium noſtris in iudiciis regnat. Sane quo ſimplicior ordo, eo melior, quem cum antiqui Germani in foris ſuis obſeruarent, lites breui tempore ſopiri poterant. Neque eo tempore ordinationibus peculiaribus erat opus, poſtquam *ex bono & æquo* absque ſubtili calliditate procedebatur.

(z) Conſtat hoc (1) *ratione naturali.* Ordo naturalis eſt *α) ſimpliciſſimus*, & vnice pro ſcopo habet veritatis indagationem & iuſtitiæ adminiſtrationem, lites mox ſopiuntur, ſumtus immenſi euitantur, fraudes aduocatorum

nitatum ſeges, eo plures aperiuntur maleuolis viæ ad iniuſtitiam committendam & lites protrahendas.

§. XXX. Conſiſtit autem ordo naturalis in ſequentibus (I) vt reus ad petitionem actoris cite-

catorū reſecantur. β) *ſufficiens*, quod facile apparet in proceſſibus ſummariis, quibus æque hodie ius dicitur ac in ordinario, quamuis in illo tantum attendantur naturalia. (2) probatur *exemplis & experientia.* Antequam ius Romanum & canonicum foris applicari cœpiſſet, vel *vnum iudicium* imperii ſufficiebat, quoniam Germani olim plerumque naturalem ordinem ſequebantur, Lehman. *in Chronico Spir. lib. 4. c. 21.* Conring. *de iudic. reip. Germ. §. 17. ſeq.* ſed introducto vtroque iure, lites creſcere & protrahi cœperunt, vnde Camerale iudicium inſtituendum erat &c. Conring. *cit. l. §. 98.* qui etiam in §. *107.* concludit, litium multitudinem & diuturnitatem non aliter tolli poſſe, quam ſi proceſſus iudiciarius ad priſcam reducatur ſimplicitatem, qua tot ſeculis floruit Germania, quæque in omnium veterum rerumpublicarum foris fuit probata. De huiusmodi ordine procedendi apud ſeptentrionales hæc habet H. Grotius *in prolegom. ad Hiſtor. Goth. p. 67. Apud ſeptentrionales litigandi temeritas ſponſionibus & pignoribus coercita, ipſis iudiciis nihil expeditius. In facti quæſtione addicebat actor, adducebat reus teſtes ſuos, pro vtro eſſet maior teſtium autoritas, ſecundum eum lis dabatur. In re ambigua ad iurisiurandi ibatur religionem, id reo deferebatur, ſed ita ſi complures viros exhiberet famæ probatæ, qui ſe ipſius tanquam viri boni iureiurando credere dicerent. Iuris rara erat diſputatio. ſi qua eſſet, non ex infinitis interpretum libris, ſed ex planis legum dictis, aut ex æquo & bono facile & ſtatim diiudicabatur.*

citetur (*) non ſemper dilatione indulta, niſi gravitas rei id poſtulet. (**)

§. XXXI. (II.) Vt reſpondeat ad actoris intentionem, quod coram (a) absque omni ſcriptura fieri poteſt, remotis etiam Aduocatis.

§.XXXII.

(*) Notum eſt vulgatum; *audiatur & altera pars.* optime Seneca *in Med.*:

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuerit.

(**) Iudicis eſt tempus iudicandi non nimis coarctare, ne reo defenſio debita auferatur. Bene Plinius *lib. VI. ep. 2. Temerarium exiſtimo diuinare, quam ſpatioſa ſit cauſa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignores: præſertim cum primam religioni ſuæ iudex patientiam debeat, quæ pars magna iuſtitiæ eſt. At quædam ſuperuacua dicuntur: etiam; ſed ſatius eſt & hæc dici, quam non dici neceſſaria. Præterea an ſint ſuperuacua, niſi quum audieris, ſcire non posſis.*

(a) Optima & naturalis via ad proceſſus abbreuiandos eſt partes coram examinare. Ceteræ exceptiones dilatoriæ ſunt reuera dilatoriæ & ſubterfugium impiorum litigantium, quas iudex facile discutere poſſet absque omni prolixitate. Imo deductiones in ſcriptis factæ mirum in modum anſam dant ad ſophiſmata. Nec aduocati præciſe neceſſarii, quoniam iudex nouit ius, & ſic errantes in rectam viam deducere poteſt & debet. Hos ignorabant antiqui Germani, adeoque illis tam intolerabiles erant, vt poſt cladem a Varo acceptam potisſimum ſæuitum fuerit in cauſarum patronos. Flor. *lib. 4. c. 12. n. 37. ſeqq.* Apud Romanos vero *nihil quicquam publicæ mercis tam venale fuit, quam aduocatorum perfidia*, vt ait Tacitus *lib. XI. annal. c. 6.* In Dania adhuc hodie litigantes ipſimet cauſam ſuam agunt remotis aduocatis.

(b) Id

§. XXXII. (III.) Vt probatio accedat, quæ peragenda ab eo, qui dubium aliquod in iudicium deducit, cui aduerſarius contradicit, ex quo deciſio litis primario pendet. (b)

§. XXXIII. Probatio ipſa fit per inſtrumenta, confesſionem, teſtes, qui & velle & poſſe veritatem dicere præſumuntur, item per asſertionem religioſam (c) &c.

§. XXXIV. Ex probatione oritur *fides iuridica*, (d) quæ ſuos gradus habet, ita vt pro cauſa-

(b) Id etiam in iure Rom. vſu venit, niſi quod per præſumtiones ius Romanum aliquando aliquem liberet ab onere probandi, quod a ratione naturali non eſt alienum, cum illæ præſumtiones, quas ius Rom. recepit, *inſignem probabilitatem* habeant, propter quas eius intentio, pro quo militat præſumtio, fundata & æqua eſſe videtur. Siue autem dubium illud in *affirmatiua* ſiue *negatiua* conſiſtat, perinde eſſe videtur: Nam qui ſe fundat in negatiua, itidem hoc fundamentum ſuæ actionis probare debet, quod ex ſolidis rationibus naturalibus illuſtrauit Dn. Cocceius *diſſ. de direct. probat. negatiuæ*.

(c) Pleraque quæ hac de re in iure Rom. habentur, ſunt naturalia. Inprimis qualitates teſtium ad duo capita prædicta redigendæ, quod itidem naturale eſt. Si enim præſumtio eſt, quod nolit veritatem dicere, fides ei haberi non poteſt, ſi non poſſit fidem facere, propter defectum illius ſenſus, per quem veritas dicenda erat, itidem inutilis eſt.

(d) Rarius veritas ipſa a iudice poteſt haberi, niſi naturalisſima ſubſit ratio. Ergo plerumque acquieſcendum in probabilitate ſumma, qualis haberi poteſt inter homines. Nam nec duo teſtes neceſſario probant,

cauſarum grauitate aliisque circumſtantiis nunc *plenior*, nunc *minor* requiratur.

§. XXXV. Quia itaque fides tantum probabilitatem ſummam operatur, hinc (IV.) reo non eſt deneganda defenſio contra eandem, (e) ſi contrarium docere posſit.

§. XXXVI. Excuſſa cauſa (V.) ſententia a iudice ferenda ſecundum leges præſcriptas, ad quas factum probatum, vel deductum applicandum. (f)

§. XXXVII. Vt vero vlterior prouocatio con-

bant, cum posſint fallere; faciunt tamen probabilitatem talem, qualis inter homines haberi poteſt, cui in iudiciis vt plurimum acquieſcendum. Inde fides iuridica.

(e) Sic ſumma probabilitas eſt, eum eſſe creditorem, qui chirographum producit, ſed quid ſi alter habeat Quitantiam? Si alter habeat reuerſales, quod tantum negotium ſit ſimulatum? ſumma probabilitas eſt pro duobus teſtibus. Sed quid ſi alter oſtendat, eos eſſe ſubornatos?

(f) Hinc naturale eſt, quod ſententia debeat eſſe conformis iuri & actis. Naturale itidem eſt, quod ſententia non valeat, ſi directo ratio decidendi ſit contra leges, quoniam ita iudex excesſit limites officii ſui, vltra quos ſi aliquid agit, publicam habere autoritatem nequit. Naturale porro eſt, quod iudex leges ſimpliciter in applicando ſequi debeat, nec de earum æquitate diſputare, neque enim conſtitutus eſt ad leges examinandas, ſed præſcriptas applicandas. Naturale denique eſt, quod vbi lex ſcripta deficit, ex naturali ratione rem decidere debeat, multa quippe arbitrio iudicum committenda ſunt.

(g) Di-

concedatur, in eo quidem naturale eſt, vt ſuperior acta examinare poſſit, an recte pronunciatum ſit: ſed vt nouus proceſſus de nouo inſtituatur, mere ciuile & plerumque noxium eſt. (g)

§. XXXIIX. Tandem executio (h) ſententiæ facienda, quæ fit ex imperio, quod omni iurisdictione continetur, ſicuti etiam hoc ſeſe exſerit per totum proceſſum, ſi pars refractaria nolit obedire.

§. XXXIX. Quemadmodum vero æquum eſt, vt in cauſis moram ferentibus hic ordo obſeruetur, ita contra in cauſis, quæ ſubitaneam deciſionem requirunt, ob ſalutem Reip. negligi hæc poſſunt, & ſtatim per mandata (i) procedi.

CAP. VIII.

(g) Dictum ſupra, imperanti ius ſaluum eſſe ſub examen reuocare illa, quæ a iudice ſint peracta. Sed hoc ſieri poteſt absque nouis deductionibus & probationibus, quæ potius ſunt noxiæ, ex iudicio Ludolph. Hugonis *de obſ. appell. toll.*

(h) Modus exequendi, ſi non ſit determinatus, conſiſtit in conuenienti coactione, prout circumſtantiæ negotii id patiantur.

(i) Qualis via tum iure Romano cognita tum vero praxi ſatis firmata. Neque enim expedit Reip. omnia terminare per ſolennem proceſſum, maxime in caſibus, ex quorum ſubitanea deciſione tranquillitas reip. pendet.

(k) Præ-

CAP. VIII.
De
Iure imperantium circa pœnas.

§. I.

Inter homines in ſtatu naturali poſitos, nulla proprie dicta pœna obtinere poteſt, cum hæc ſit conſequens neceſſarium iudiciorum. (k)

§. II.

(k) Præterea potiſſimum pœna infertur ob *malum actionis*, quod alter geſſit. Iam autem in ſtatu naturali nemini concedendum eſt arbitrium in alterum, & iudicandi facultas, quia ſic foret ſuperior. Unde *bellum punitiuum*, quod Grotius ſtatuit, eſt non Ens. Neque obſtat, quod Deus puniiſſe dicatur gentes per Iſraëlitas, nam Iſraëlitæ fuere meri *executores diuinorum iudiciorum*, nec *ſua* ſed *Dei auctoritate*, quicquid mali gentibus intulerunt, fecere. Antequam vero hinc abeam, paucis reſpondendum erit autori *tr. du gouuernement ciuil. c. 1. §. 4. ſeqq.* vbi euincere conatur, *naturam vnicuique dediſſe facultatem puniendi violationem iuris naturalis, vt violans impediatur, ne vlterius contra illud agat. Les loix de la nature*, pergit, *auſſi bien, que toutes les autres loix, qui regardent les hommes en ces mondes, ſervient entierement inutiles, ſi perſonne dans l' eſtat de nature, n' auoit le pouuoir de les faire executer, & de proteges & conſerves l' innocent, & de reprimer ceux, qui luy faint iust.* Hactenus bene. Singulis datum eſt ius, ſe ſuaq; defendendi, & reſiſtendi aggreſſori, imo defendendi eum qui iniuriam patitur: Aſt in defenſione nulla pœna eſt. Nihilominus tamen exinde infert, quod in ſtatu naturali quilibet ius habeat in alterum, vt poſſit delinquenti

pœnam

§. II. Simile quid tamen in eo ſtatu obtinet, *vindicta* (l) ſcilicet, quæ inter *pares* locum habet,

---

pœnam delicto conformem infligere, *qui enim*, ait, *ius naturæ violat, generi humano merito metuendus eſt, cum vinculum illud, quod manus altiſſimi conſtituit, ad præcauendum, ne quis iniuriam accipiat, vimque patiatur, ab huiusmodi homine conculcetur & rumpatur, quo ipſo totum genus humanum, non tantum is læditur, cui iniuria illata, & ſicuti quilibet ad conſeruationem generis humani promouendam obſtrictus eſt, ita ius habere ſinguli debent, eos puniendi, qui contra genus humanum delinquunt.* Vt vero hanc hypotheſin plenius illuſtret, exemplum de *peregrino* adducit, quem imperans punire poteſt, ſi crimen intra fines imperii ſui commiſit, vtut haud ſubſit legibus illius imperantis. Verum exemplum hoc nihil euincit. Supra euictum eſt, quod peregrini, quatenus intra limites alterius imperantis verſantur, habeantur pro *ſubditis*, & ſe accommodare debeant ad leges illius reipubl., & hoc intuitu ius puniendi peregrinum imperanti tribuendum eſt. Et qui in ſtatu naturali aliquem violat, non ſtatim totum genus humanum violat, vt Autor contendit, ſed læſum, cui tantum ius eſt, iniuriam ſuam vindicandi, quam ſi negligit, aliis ius puniendi minime concedendum. Atqui, ait, talis homo omnibus noxius eſſe creditur. Sed vero inde nullum ius puniendi petendum, ſed tantum ab eiusmodi homine nobis cauendum eſt. Et cum in ſtatu naturali nemo de aliorum actionibus iudicare queat, inſolens foret, ius puniendi ſingulis tribuere, quod iudicium de actionibus alterius præſupponit, quin quod non poſſent non ſub prætexta *puniendi* quæuis mala, turbæ, ſcelera nefanda, aliaque crimina committi &c.

(l) Hinc *bella vindicativa*, quibus iniuria illata tot hominum

bet, qua potiſſimum quilibet ſecuritatem propriam tuetur, adeoque per bellum inter gentes, vel ſimiles vias exercetur.

§. III. Introductis ciuitatibus *vindicta* omnis priuata ceſſare debuit, quæ proinde in *crimen publicum* (m) incidit.

§. IV. Quatenus tamen lege publica in quibusdam caſibus priuata vindicta ſingulis permiſſa, (n) eatenus impunitatem, & effectum iuris habet.

§. V.

num ſanguine reparatur, atque hactenus talis, præſuppoſito damno iniuſte illato, inter gentes iniqua non eſt, ſeu genti iniquæ nulla eo ipſo infertur iniuria, vtut is, qui vindicat iniurias, contra præcepta *honeſtatis* peccare poſſit.

(m) Ideo ſunt imperia & iudicia ordinata, ne quis ſibi ipſi ius dicat, & ſuum dolorem vindicet. Et ſi ſtudium vindictæ priuatæ non coërceretur, ſecuritas publica, rerumpubl. finis, obtineri non poſſet. Quin quod cum vindicta per bellum in ſtatu naturali exerceatur, non eſſet ſublatus ſtatus naturalis, id quod tamen per ciuitates factum eſſe, ex prima ciuitatum origine patet. Quod ergo inter gentes *vim iuris* habet, id in ciuitate in delictum incidit. Inde eſt *crimen fracta pacis publicæ*. Inde dependet *duellorum iniuſtitia* &c.

(n) Exemplum eſt in *retorſione iniuriarum* & aliis in materiis, de quibus ex profeſſo egit Struvius *de vindicta priuata*. Alia quæſtio eſt, an princeps ſuo officio ſatisfaciat, ſi priuatam concedat vindictam, quam per iudicia poſſet exercere, quod nego. idque ex fine rerumpublicarum apparet, vt corruptus ſtatus reip. aliquando imperantem excuſet, ſi huic libidini ſatis reſiſte-

§. V. Quandoquidem homines per coalitionem in ciuitates non meliores fiunt, ſed effrenem ſuam naturam retinent, ita medium aliquod eiusmodi excogitandum fuit, quod naturæ eorum inimicum eſſet, (o) vt ſub hoc metu abſterrerentur ab omni effreni libidine.

§. VI.

ſiſtere nequeat. Sæpius audias imperantem cum Tiberio apud Tacitum *lib. 3. annal.* infirmitatem ſuam ita excuſare debere: *Neſcio an ſuaſurus fuerim, omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adſequi, vt palam fieret, quibus flagitiis impares eſſemus.*

(o) Sicuti feræ ad manſuetudinem non aliter reducuntur, quam per illud, quod earum naturæ aduerſum eſt, h. e. per plagas, famem, ita, cum homines natura ſua auerſantur dolores, mortem, infamiam, amisſionem bonorum &c. per poſitionem horum contrariorum actuum ad frugem reducendi ſunt, hoc effectu, vt quiete & pacifice omnia in republ. agantur. Inde neceſsitas pœnarum ſatis euidens eſt; quam optime ex ratione reipubl. deducit Cicero *lib. V. in Verrem, p. m. 262. lit. e.* inquiens: *Perditæ ciuitates, deſperatis omnibus rebus, hos ſolent exitus exitiales habere, vt damnati in integrum reſtituantur, vincti ſoluantur, exules reducantur, res iudiciales reſcindantur, quæ cum accidunt, nemo eſt, quin intelligat, ruere illam rempubl.* Unde & commendat idem *lib. I. ad Brut. Epiſt. 15.* Solonis dictum, *qui rempubl. duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna.* Optime denique neceſsitatem pœnarum ex natura hominis deducit Ariſtot. *lib. X. Eth. c. vlt.* aiens: *Vulgus non ita natum eſt, vt pudori obſequatur, ſed vt metui, nec vt abſtineant a prauis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia.*

 (p) Hæc

§. VI. Cum itaque hominibus inſit amor ſe conſeruandi, & propellendi, quæ naturæ eius ſunt aduerſa, fit, vt ob metum deſtructionis ſui ipſius, vel eorum, quæ ipſimet ſunt chariſſima, (p) abſtineant a re maxime cupita.

§. VII. Non ergo pœnæ ſunt, aut eſſe poſſunt *medium emendandi homines*, aut eosdem ad pietatem reducendi, ſed tantum *frenum externum*, (q) quibus cupiditates hominum, ne erumpant, refrenantur.

§. VIII.

(p) Hæc ratio docet, quod pœnæ pro perſonarum temperamentis ſint infligendæ, & iudicum prudentiorum arbitrio committendæ, alias finis non facile obtinetur. Summe auarus non metuit diſpendium famæ: Ambitioſus non adeo metuit periculum fortunarum &c. & ita auarus metu infamiæ non retrahitur a furtis &c. Quod vna eademque pœna omnibus inferatur, inde eſt (1) quia iudices rarius intelligunt naturam hominum (2) quia putant homines inter ſe non differre ſpecie. Interim cum omnes homines vt plurimum in nonnullis conueniant, v. c. quod mortem auerſentur, hinc legislatores facilius tales pœnas recte determinare, & delictis imponere poſſunt, quæ omnibus terrorem incutiunt.

(q) Pertinet huc vulgatum: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & inde timor *non diuturni magiſter officii* appellatur a Cicerone *in Philipp. II.* Pontifex bene dixit, ideo ſe legem ferre, *vt quos virtutis amor a vitio non retrahit, hos diſciplinæ rigor coërceat.* Huc reſpexit Cic. *lib. I. de oratore p. m. 181. lit. D.* vbi ait, *legum & pœnarum hunc finem eſſe, ſcil. domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere.* Patet hoc quoque exinde,

§. VIII. Hoc ſenſu itaque iuridico *pœnæ diuinæ* plane aliam habent rationem & indolem, vel enim *malum neceſſarium*, (r) quod ex prauis actionibus per ſe fluit, repræſentant, vel *paternam caſtigationem*, vel *iuſtum Dei iudicium*, quamuis *extraordinarium* in hac vita, denotant.

§. IX.

inde, quod homo quoties putat, ſe clanculum & impune cupiditates ſuas exercere poſſe, facile delinquat, cum nihil iam adſit, quod ipſum retrahere poſſit, vti Cic. recte iudicat *lib. I. de LL.* aiens: *quid faciet is homo* (impius) *in tenebris, qui nihil timet teſtem vel iudicem? quid in deſerto loco nactus; quem multo auro ſpoliare poſſit imbecillum atque ſolum* &c. Imo qui mortem non timent, ab his nemo ſecurus eſt. *Quisquis vitam ſuam contempſit, tuæ dominus eſt*, ait Seneca *ep. 4.* Atque in hunc finem omnia *illa externa terriculamenta*, quæ in ciuitatibus haberi ſolent, inuenta ſunt. De Romulo ita ſcribit Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* „Cum „videret, ipſum metum homines ab omni facinore de„terrere maxime poſſe, multa ad eam rem parauit, „& tribunal, vbi ſedens iudicabat, in fori loco maxi„me conſpicuo, & milites numero trecentos, qui ipſum „ſequebantur ſpeciem quandam formidabilem, & vir„gas, & ſecures a duodecim lictoribus prælatas, qui „verbera promeritos in foro cædebant, & ceruices il„lorum, qui grauiſſima ſcelera patraſſent, in omnium „conſpectu percutiebant.

(r) In ſenſu primo huc refero *morbos, pericula & æternam damnationem*. In ſecundo purgationem piorum, quæ genus pœnæ eſſe videtur, cum cupiditatibus naturalibus valde videatur inimica, & tamen medium ſit neceſſarium ad emendationem vitæ. In tertio omnia mala intelligo extraordinaria, & huc pertinent *bella, peſtis, fames, incendia, diluuiones*, quæ mala Deus, quam-

§. IX. Finis itaque pœnarum *propoſitarum* eſt, vt homines ſuas cupiditates metu hoc coërceant: *Inflictarum* vero, vt *tranquillitas publica* (s) ſalua ſit, quæ non poſſet obtineri, ſi pœnæ propoſitæ non ſeuere executioni darentur.

§. X.

us, quamuis ex naturalibus cauſis profluant, *permittit* in iuſtum ſuum iudicium erga perditas ciuitates exercendum. Cum itaque homines per ſuas cupiditates has calamitates ſibi ipſis attrahant, vtitur his Deus tanquam *pædagogia* aliqua, ad ceteros homines e ſomno excitandos, & ad pœnitentiam ducendos, non quod ita homines pii reddantur, ſed quod ſit inſtar clangoris tubæ, per quem expergefiant ex ſopore durisſimo, vt ad mentem ſanam redeant, & Deum timere incipiant. Bene Clericus *in Pentateuch. Exod. V, 3.* ait: *ipſorum hominum cauſa, vtque iis poſtea bene ſit, mala quandoque humano generi immittere, quaſi pharmaca quædam, beneficæ eſt profecto naturæ, & communis omnium parentis.*

(s) Emendatio ſingulorum non ſemper intendi poteſt, vti apparet in pœnis vltimi ſupplicii: Verum ſecuritas publ., & ceterorum ſemper intenditur. Nec obſtat, quod aliquando vnice ſatisfactio læſi intendi videatur, vt in iniuriis, nam id abſolute dici nequit, ſed etiam hæc pœna priuata reip. conſulit, ſcil. *propoſitio* pœnarum fit in ſingulorum commodum, vt boni ciues a malis tuti ſint, mali vero metu hoc deterreantur a flagitiis. Ipſa *executio* pœnarum itidem reipubl. cauſa fit, non in emendationem delinquentis, qui per pœnas emendari nequit, interim deterret talis executio reliquos, ſi videant pœnas non eſſe vanum terriculamentum. Si deeſt executio, pœnarum propoſitio eſt fruſtranea, quia *maxima illecebra peccandi eſt impunitatis ſpes*, vt ait Cicero *pro Milone.* Probauit

§. X. Sicuti pœna metum effrenatæ libidini hominum iniicit, ita formalis ratio eius conſiſtit in *poſitione mali alicuius ſeu doloris, quem propter delictum aliquod ſuperior infert inferiori in communem reipubl. tranquillitatem.* (t)

§. XI. Ius puniendi, & pœnas determinandi eſt penes imperantem (u) in Republ. qui ad hoc

uit hoc ſuo exemplo Cyrus apud Xenophontem *lib. I. de exped. Cyr. p. 267. lit. D.* aientem: „Neque tamen „hoc etiam dici poteſt, quod improbis, & ſceleratis „illudere ſibi permiſerit, ſed ita in eos animaduerte„bat, vt prorſus ipſis non parceret, ac ſæpe in nume„ro triſtis in viis erat cernere quosdam homines, qui „pedibus, manibus, oculis multati eſſent. Quo fa„ctum vt in iis locis vbi Cyrus imperaret, cuiuis tam „Græco quam barbaro neminem lædenti, ſecure li„ceret iter facere, quocunque vellet, & quicquid tan„dem ſecum geſtare commodum eſſet. Merito itaque vt Cic. *lib. I. de offic. c. 25.* ait, *adhibenda eſt reipublicæ cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas nulla poteſt.*

(t) Sic itaque non eſt proprie pœna, *nuda damni illati reparatio*, licet enim lædens aliquem dolorem inde capiat, non tamen propter delictum puniendum proprie infertur, ſed tantum ei ſatisfit, cui aliquod damnum datum, atque adeo, quia ſimul reipublicæ intereſt, ne damnum alicui inferatur, & vt ſingulorum patrimonium in tuto ſit, recte præterea animaduertit in huiusmodi lædentes, quod fieri non poſſet, ſi ipſa *reſtitutio damni* per ſe *pœna eſſet.*

(u) Probatur hoc ex *natura pœnarum*, quæ a ſuperiore infliguntur inferiori, tum ex *natura imperii*, quod etiam ſeſe exſerit in puniendis delictis, tum denique ex *natura adminiſtrationis Reip.*; penes quem enim eſt primaria directio reip., penes illum quoque debet re-

 ſidere

hoc obligatur (x) reipubl., cui præeſt.

§. XII. Quemadmodum autem omnia, ita quoque pœnarum inflictio eſt *ſubordinanda ſaluti Reipubl.* atq; adeo, ſi ex illa maius damnum in rempubl. redundet, differenda vel remittenda potius eſt. (y)

§.XIII.

ſidere ius puniendi, cum illa ſine pœnarum inflictione non poſſit expediri.

(x) Conſtat hoc ex fine reipubl., quia ad omne id obligatur Princeps, ſine quo ſalua non poteſt eſſe respubl. vnde Paulus quoque Rom. XIII. *ius gladii* magiſtratui tribuit.

(y) Exempla in Dauide adſunt, qui in naſcente regno ſuo homicidam Ioabum non puniuit, mortem quamuis meritum. Caſſii & Bruti cædes cruenta Cæſaris valde afficiebat rempubl., ſed *cum appareret, quæ ſtrages reip.* ex pœna eorum *immineret, diſplicuit vltio.* Florus *lib. IV. c. 7. n. 3.* Simile eſt in Medico, qui incurabile vulnus leuiter tractat. Sic ſi multi idem flagitium commiſere, non ſemper e re reipubl. eſt, omnes æquali ſupplicio afficere. Hinc Cic. *Orat. pro Cluent. p. m. 380. lit. C. Statuerunt ita maiores, vt ſi a multis eſſet flagitium rei militaris commiſſum, ſortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus, videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret*, id quod Tacitus *lib. III. annal.* confirmat L. Apronii exemplo, qui decimum quemque fuſti necauit, quæ *decimatio* dicta fuit *lex patria* apud Romanos. Appianus *lib. II. de bell. ciu. p. 766.* alibi *lex Petreia* dicitur, Id. *p. 750.*, ſed recte cenſet Caſaubonus, *legem patriam*, νόμον πάτριον legendum eſſe. *Neceſſaria enim venia eſt*, ait Seneca *lib. II. de ira c. 10. vbi totus exercitus deſeruit.* Hoc intuitu Tacitus *lib. XII. annal. c. 54.* reprehendit Felicem Palæſtinæ præſidem, quod *remediis intempeſtiuis delicta*

§. XIII. Fluit exinde, collegiis ſeu ſocietatibus æqualibus ius puniendi non competere, (z) & quamuis pacto inter ſe certam pœnam determinauerint, illam tamen absque *executione* ſuperioris eſſe inefficacem.

§. XIV. Neque qui docendi tantum munere funguntur, puniendi ius habent, (a) licet cenſu-

delicta accendiſſet. Nam iudice Cicerone *lib. II. d. off. c. 25. omnis animaduerſio debet non ad eius, qui punit aliquem, ſed ad reipublicæ vtilitatem referri*. Triumvirato inter Antonium, Lepidum & Auguſtum firmato ſæuitum eſt grauiter in proceres reipubl. Cæſar Auguſtus ſolis percuſſoribus patris contentus fuit, de quo ita iudicat Florus *lib. IV. c. 6. in f. Hæc quoque niſi multa fuiſſet, etiam iuſta cædes haberetur*.

(z) Pœnæ ratio potisſima conſiſtit in *executione*. Hac collegium deſtituitur, quia deficit ſuperior in collegio. Hoc vnicum tantum habet, vt ſi is, qui contra pacta collegii agit, qui ſtare pactis recuſat, excludatur a collegio, quia hoc regulare eſt, vt ſocietati renunciare debeat, qui ſe legibus ſocietatis confirmare non vult. Quodſi tamen pacta illa confirmauerit imperans, tunc quia in leges proprie dictas tranſeunt, etiam a Magiſtratu pœnæ a Principe determinatæ exigi poſſunt.

(a) Hoc inprimis pertinet ad *ſacerdotale officium*, ex quo, quid de *cenſuris eccleſiaſticis* cenſendum ſit, apparet. Excommunicatio certe nihil aliud eſſe debebat, quam *excluſio a cœtu fidelium*, quia hæc non eſt pœna, ſed ex natura collegii profluit, vt collegio excludatur, qui ſe non vult conformare ad leges collegii, ſecundum quas eſt inſtitutum, quamuis, vt ſupra monitum, talis excluſio, cum ex affectu carnali fieri

 poſſit,

cenſuras & redarguitiones, *amoris effectus*, adhibere poſſint.

§. XV. Relinqui tamen etiam ſubditis aliquod ius modice puniendi potuit, quatenus in republ. imperium quoddam eis in certas perſonas (b) eſt relictum.

§. XVI.

poſſit, recte reſtingatur ab imperante. Sed quoad vitam ciuilem nullum debet habere effectum, vnde nec infamia excluſum ſequi debebat. Inde nec doctoribus qua talibus vlla iurisdictio adſcribi poteſt, niſi præterea ſpeciatim ab imperante hæc illis in certas perſonas tributa ſit, quo pertinet *iurisdictio Academica*.

(b) Talis poteſtas eſt parentum in liberos, dominorum in ſervos & famulos, mariti in vxorem. Hisce perſonis olim *ius vitæ & necis* competiiſſe iura Rom. adhuc teſtantur. De maritali poteſtate veſtigia paſſim adhuc in antiquis monumentis occurrunt. De antiquis Gallis ita Cæſar *lib. VI. de bello Gallico c. 19. n. 3. Viri in vxores ſicut in liberos, vitæ necisque habent poteſtatem, & cum paterfamilias illuſtriori loco natus vita deceſſit, eius propinqui conueniunt, & de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de vxoribus in ſeruilem modum quæſtionem habent, & ſi compertum eſt, igne atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.* De antiquis Germanis Tacitus *de moribus Germ.* hæc refert: *pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quarum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberatam agit, publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.* Romulum quoque talem poteſtatem puniendi vxores maritis tribuiſſe, teſtis eſt Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. 2. antiq. Rom.* aiens: „Si qua in re (*vxor*) deliquiſſet, „ipſum, qui iniurias paſſus erat (*maritum*) iudicem habe-

§. XVI. Perinde autem eſt, vtrum princeps ius puniendi *per ſe*, an *per alios* (c) ad id conſtitutos exerceat, quod poſterius vbi fit, oritur inde *Iurisdictio criminalis*.

§. XVII. Manet tamen adhuc hæc differentia, quod imperantis ius puniendi ſit laxius, cum *iure aggratiandi* coniunctum, ſubalternorum vero magiſtratuum adſtrictius. (d)

§.XVIII.

„habebat, qui pœnæ magnitudinis erat arbiter. De „his vero cognoſcebant ipſi cognati cum viro, vbi „violata fuiſſet pudicitia, & (quod omnium peccatorum leviſſimum græcis videretur) ſi quam mulierem vinum bibiſſe conſtitiſſet. Romulus enim „hoc vtrumque, vt muliebrium peccatorum grauiſſimum, puniri iuſſit, quia ſtuprum dementiæ, ebrietatem vero ſtupri originem eſſe iudicauit. Et durauit hoc vtrumque apud Romanos, ita vt inexorabilis ira eſſet. Probat hoc vlterius Aul. Gell. in noctibus Atticis *lib. X. c. 23.* vbi verba M. Catonis hunc in finem adducit. Poſtea reſtricta quidem hæc poteſtas, ſed non penitus abolita, quemadmodum *iuris patrii & maritalis* veſtigia vbique ſuperſunt.

(c) Conſultius putant Politici eſſe, ſi princeps potius per alios hoc ius exerceat, quam per ſe, vt ita magis amorem ciuium ſibi conſeruet. Förſtner *ad Tacit. p. 1. pag. 211. & 561.* Cui obſeruationi conferri poteſt, quod notat Xenoph. *in Cyropæd. lib. 8. p. m. 203. lit. d.* de Cyro, quam tamen, tanquam alius diſciplinæ, hic exornare nolo. Conf. Reinhardi *theatr. prudent. eleg. p. 1288.* Ceterum de indole iurisdictionis criminalis ex traditis *cap. præced.* ſatis iudicari poteſt.

(d) Iudex inferior non poteſt durior aut mitior eſſe lege, neque pœnam mutare, quia legibus alligatur. Imperans

§. XVIII. Quod ſi inferiori iurisdictio criminalis conceſſa, illi *ex officio*, (e) quod nomine imperantis gerit, incumbit inquirere in delicta, non expectata accuſatione.

§. XIX. Inquiſitio hæc potisſimum conſiſtit tum in delicti qualitate (f) pernoſcenda, tum an accuſatus autor ſit delicti, & ſic Ius naturæ quoque dictitat, pro reorum defenſione laborare debere iudicem.

§. XX. Puniendus tantum is eſt, (g) qui deliquit.

§.XXI.

perans contra pœnam mutare, remittere, vel etiam extra ordinem grauiorem dictare poteſt, prout ſalus reip. hoc poſtulare videtur.

(e) Diximus, ad *officium Principis* ſpectare, punire delinquentes, & ad hoc obligatum eſſe. Quod ſi iam hoc officium alteri demandat, idem officium incumbit magiſtratui inferiori. Neque enim hic agitur de priuato ſingulorum intereſſe, quod ſinguli negligere poſſunt, ſed potius de cauſa totius reipubl. quam per delictum ſuum delinquens afflixit, & ad quam ſartam tectam conſeruandam imperans conſtitutus eſt.

(f) Variant pœnæ pro delicti qualitate & quantitate. Neque ſufficit conſtare de delicto commiſſo, niſi de perſona delinquente, & eius animo, aliisque circumſtantiis exacte conſtet. Dum itaque in hoc inquirere iudex iubetur, ſimul quoque præcauere debet, ne innocens condemnetur.

(g) Optime Cicero *lib. 3. de nat. Deor. in f. Ferretne vlla ciuitas latorem iſtiusmodi legis, vt condemnaretur filius aut nepos, ſi pater aut auus deliquiſſet.* Cum Sp. Caſſium ob affectatam Tyrannidem de ſaxo præcipitem dediſſent, & *nonnulli etiam ipſos Caſſii liberos interficere*

cere conarentur, hoc atrox & pernicioſum exemplum patribus viſum eſt. Itaque cum in eum in curiam conueniſſent, factum eſt SC. quo adoleſcentulis pœna eſt remiſſa, illisque nec exilio mulctatis, nec ignominia affectis, nec alia calamitate accepta, tutisſime viuere conceſſum eſt. Et ab hoc, pergit Dion. Halicarnaſſ. *lib. VIII. vsque ad hanc noſtram ætatem hic mos Romæ perpetuo ſeruatus eſt, vt nulla parentum delicta liberi ſuo ſupplicio luant, ſiue illi ſint tyranniorum filii, ſiue parricidarum, ſiue etiam proditorum, quod apud illos crimen eſt grauisſimum. Et qui hunc morem antiquare aggresſi ſunt noſtris temporibus circa finem Marſici & ciuilis belli, quique liberis patrum Syllæ tempore proſcriptorum ius paternos honores capiendi ademerunt, aditumque ad ſenatum intercluſerunt, quo tempore ipſi rerum potiebantur, facinus & hominum inuidia, & Deorum indignatione indignum patrare viſi ſunt. Quapropter temporis progreſſu pœna ſcelerum vindex non contemnenda eos eſt ſecuta, qua factum, vt ex altisſimo gloriæ faſtigio in infimam fortunæ abiectæ conditionem deciderint, & ne eorum quidem genus niſi per feminas amplius ſit reliquum.* Hoc intuitu forſan Cicero *lib. II. ad Brut. epiſt. 15.* de ſuo tempore dixit: *licet crudele ſit, quod pœna ad liberos, qui nihil meruerunt, perueniant, tamen id eſſe antiquū & omnium ciuitatum.* Forſan reſpexit ad mores Græcorum: nam *alii quidem*, vt ait Dion. Halicarnaſſ. *cit. l. vt liberi Tyrannorum vna cum ipſis patribus necentur, aequum eſſe cenſent, alii vero eos perpetuo exilio mulctant, quaſi natura non ferat, vt boni filii ex malis patribus, aut mali ex bonis naſcantur.* De liberis Seiani conſtat, quod paterno ſupplicio interierint Tacit., *lib. 5. annal. in f.* quod tamen contra ius naturæ eſt, nec Dei exemplo, pœnas poſteris propter peccata maiorum intentantis, hoc excuſari poteſt, cum Deus vnice afferat, poſteros ſeuerius ſe habiturum, quam piorum ſobolem, propter peccata propria, quæ alioquin non puniret propter maiorum pietatem. Quam multa

Deus

§. XXI. Delicta non alia punienda ſunt, quam quibus læditur tranquillitas reipubl. (h)

§. XXII.

Deus indulgentisſime tulit in liberis Iacobi, quæ ſeuere punire potuiſſet, niſi integritatis Iacobi rationem habuiſſet. Conf. Io. Clericus *ad pentat. Exod. XX. 5.* Ceterum diuerſa eſt quæſtio, an non alienum delictum alteri in pœnam quoque imputari poſſit, qui præcauere illud & potuiſſet, & debuiſſet. Sic non inique Meſſalinus Cotta cenſuit, *cauendum SCto, vt quanquam inſontes magiſtratus, & culpæ alienæ neſcii prouincialibus vxorum criminibus perinde quam ſuis plecterentur*, Tacit. *lib. IV. annal.* quia teſte eod. *lib. III. annal.* pleraque crimina præſidibus obiurgabantur ex vxorum auaritia, & peſſimis moribus, quibus prouincias corrumpebant.

(h) Pœnæ ſunt *medium conſeruandi tranquillitatem reipubl.* non vero *emendandi malitiam hominum*, quod ipſum per pœnas obtineri nequit. *In corpore*, ait Cicero *Philipp. VIII. p. m. 894. lit. d.* *ſi quid eiusmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, vri ſecarique patimur, vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in reipublicæ corpore, vt totum ſaluum ſit, quicquid peſtiferum eſt, amputetur.* Hoc poſito vlterius extendendæ non ſunt, quam in quem finem comparatæ. Multa inhoneſta ab hominibus quotidie committuntur, quæ tamen pœnis ſubiici nequeunt, quia his perpetratis; ſalua adhuc ſtat reipubl. ſalus. Neque pœnis eiusmodi inhoneſta aboleri poſſunt, quæ non lædunt rempubl. & ſic inhumanum foret, legibus pœnalibus illa comprehendere, cum tantum pœnæ debeant eſſe ſubſidium, & vltimum medium conſeruandæ ſalutis reipubl. Pertinet huc Ciceronis dictum, quod ex eius *Fragment. de republ. lib. 2.* ſupereſt, vbi ita: *Statuo eſſe optime conſtitutam rempubl. quæ ex tribus generibus illis, regali, optimatum & populari confuſa*,

§. XXII. Sic itaque actus mere interni, (i) vtut ſatis vitioſi, pœnæ ciuili non ſubiacent, tum quod pœna non posſit eosdem extirpare, tum quod nemo inde lædatur.

§. XXIII. Eodem modo communes omnium hominũ næui a *pœnis* ſunt immunes, (k) quatenus ex

confuſa, modice nec puniendo inuitet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo licentia eius deteriores reddat.

(i) Pertinet huc vulgatum: *cogitationis pœnam nemo patitur.* Deus ſolus eſt cogitationum & inclinationum iudex. Sic adulterium in foro politico non eſt ex ſola inclinatione æſtimandum ſecundum doctrinam Chriſti, ſed ex actu externo, & ſic aliter iudicamus in foro poli, aliter in foro ſoli. Huc reſpexit Cato apud Gellium *in N. Att. lib. 7. c. 3.* aiens: *quæ lex tam acerba, quæ dicat: ſi quis illud facere voluerit, mille nummis dimidium familiæ multa eſto: Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta pœna eſto: ſi quis maiorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. Atqui nos omnia plura habere volumus, & id nobis impune eſt.*

(k) Sic *ambitio hypocriſis, avaritia, inhumanitas*, per ſe non puniuntur, quia communis omnium hominum hæc eſt natura, & magis turbaretur respubl. ſi illi næui quoque eſſent ſubiecti pœnis. Imo difficilius eſt, vt hæc vitia posſint probari, cum ſe occultent ſemper, avaritia parſimoniam prætendat, hypocriſis pietatem ſimulet, inhumanitas prætextum iuris alleget, &c. Sed cum hi næui ſint fontes omnium ceterorum delictorum, respubl. turbantium, alia ratio eorum vtique eſt, ſi in delictum proprie dictum & ciuile degenerant. Sic ex ambitione oritur contemtus aliorum & iniuria, ex luxuria oritur ſtuprum &c. & hi effectus praui haud debent eſſe impuniti.

(l) Sic

ex affectibus internis profluunt, niſi alterius læſionem complectantur, ſic enim in delictorum claſſem incidunt.

§. XXIV. Cum vero interſit Reipubl. vt hi nævi, quantum fieri poteſt, reſtringantur, non dubium, quin *fomenta* (l) horum ſub pœna posſint prohiberi.

§. XXV. Sic etiam *actus intellectus*, (m) qui in conceptu mentis conſiſtunt, pœnis humanis non ſubiacent, cum finis pœnarum eousque pertin-

(l) Sic luxuriam augent *conuiuia*, *compotationes*, *cibi delicati*. &c. Quid ergo prohibet, quo minus imperans poſſet ſub pœna hæc prohibere, quemadmodum Romulus ſub pœna graui mulieribus interdixit; *ne vinum biberent*, quoniam inde ſtupra & adulteria naſcerentur, vid. Exegeſin ad §. 15. Avaritia eſt mater *vſurariæ prauitatis*. Quin ergo & huic certus posſit ſtatui modus, non dubium. Impietatem & neglectum cultus promouet nimia *libertas*. Quid ergo prohibet, quo minus posſit imperans ſub pœna prohibere, ne die dominica ſub pœna hoc vel illud fiat. &c. Quamuis itaque per has pœnales conſtitutiones impii non emendentur interne, eatenus tamen finis obtinetur, vt quantum fieri poteſt, affectus intimi magis magisque domentur, refrenentur, & omnis occaſio amputetur, quibus ſe exſerere posſint. Sic ergo ludi, ſaltationes, publicæ Comediæ, comeſſationes ſolennes, dies feſtiui aliaque recte ſub pœna prohibentur.

(m) *An hæreſis ſit crimen*, varie diſputant; Reuera eſt tantum *error in intellectu*, & ſic per pœnam corrigi nequit, nec per ſe Reip. nocet, quod vel Belgium oſtendit, vbi variæ ſectæ tolerantur. Turbæ ſi oriuntur, communiter ex odio eorum, qui religionem domi-

pertingere haud poſſit, nec aliquod damnum reipubl. inde offeratur, niſi præterea aliud concurrat delictum.

§. XXVI. Sic denique etiam alia crimina, quæ quidem immediate Deum, ſed rempubl. plane non lædunt, a pœnis eximi ſolent. (n)

§. XXVII. Pœna autem talis eſt infligenda, quæ ſit delicto proportionata, (o) h. e. quæ proba-

dominantem defendunt, oriri ſolent. Tolerantia medium optimum. Nonnunquam ſub tali errore ſimul voluntatis malitia latitat, vti olim tumultus ruſticorum & Anabaptiſtarum docent. Sed tunc non error, ſed delictum publicum punitur, quod in *ſeditione* conſiſtit.

(n) Huc tantum refero peccata contra præcepta amoris & honeſtatis internæ commiſſa. Minime vero periuria & blaſphemiam. Qui periurus eſt, ne quidem vinculum, quo Respubl. cohæret, ſeruat, ſed ad quamuis infidelitatem pronus eſt: imo periurium ſemper læſionem alterius continet. Blaſphemia plane viam ſternit ad quæcunque mala perpetranda. Si vero princeps poteſt omnia cetera incitamenta pœnis ſubiicere, quæ poſſunt vergere in perniciem reipubl. maxime blasphemos dimittere impunitos non debet.

(o) Sic itaque ante omnia inquirenda eſt grauitas delicti, quæ deſumenda (1) ex *obiecto*, quod læſum (2) ex *effectu*, provt damnum illatum reip. (3) *frequentia*, aliisque circumſtantiis, quorſum inprimis pertinet, vt pœna illa ſtatuatur, quæ poſſit homines abducere a delinquendo, & ſalutem publicam turbando. Hunc in finem optimi prudentisque legislatoris eſt, ipſorum delictorum fontes examinare: quædam enim ex *auaritia*, quædam ex *ambitione*, quædam ex *luxuria* fluunt. Cognitis fontibus cogitandum erat de tali pœna,

probabiliter ſufficere poſſit ad libidinem reprimendam ſubditorum.

§. XXVIII. Et denique cum malitia delinquentis creſcat ex *intentione* eiusdem, ante omnia ad hanc reſpiciendum eſſe ius naturæ iubet, cum ob infirmitatem hominum culpa (p) excuſationem quandam mereatur.

CAP. IX.

De Iure imperantium exigendi a ſubditis ſubſidia.

§. I.

SOcietates & Collegia quæcunque carere non poſſunt bonis & reditibus, præſertim cum onera & ſæpe longe maiora, ac quidem ſinguli (q) ferre debeant.

§. II.

pœna, quæ maxime hiſce fontibus aduerſatur: Sic delicta ex auaritia fluentia mulcta eſſent luenda, &c. ex ambitione vero, infamia aliaque ambitioſis contraria, & ita porro. Quod ſi enim avaris pœnam ambitioni contrariam impoſueris, parum effeceris.

(p) Culpa facillime cadit in hominem, vnde dolus potiſſimum coërcendus, & inde quoque eſt, quod animus diſtingvat delicta. Non tantum autem is delinquere videtur, qui *conſilium directum* delinquendi habuit, ſed etiam *per indirectum*, ſeu qui illud maxime voluit, ex quo ſciuit delictum hoc vel illud neceſſario ſecutum eſſe.

(q) Si ſinguli bona non habent aut reditus, vel *mendicando* poſſunt ſuam ſuſtentare vitam. At ſocietates ciuiles

§. II. Ex quo etiam eſt, quod cuilibet Collegio probato permiſſum ſit, habere arcam communem, & conſtituere adminiſtratorem, (r) qui reditus Collegii adminiſtret.

§. III. Et qui in ſocietatem aliquam ſe conferunt tanquam *membrum*, ad conſeruationem iſtius ſocietatis obſtringuntur, vt neceſſaria conferant ſubſidia, & onera ſubeant. (s)

§. IV. Societates ciuiles grauioribus ex cauſis adhuc indigent variis ſubſidiis, quo grauiores expenſæ ſunt faciendæ in adminiſtrationem, & defenſionem Reipubl. (t)

§. V.

viles in republ., quæ grauisſima habent onera, habere neceſſario debent, vnde hæc ferant. Quo intuitu *neruum reip.* in tributis conſiſtere ait Vlpianus *in l. 1. §. 20. de quæſt.* Loquor autem de collegiis *ciuilibus*, in quibus prout finis præſtitutus maiores ſumtus requirit, eo pinguiores quoque reditus habere debet.

(r) Probat hoc ICtus in *l. 1. ff. ſi vniuerſ. nom.* Idem in eccleſiis obſeruatur, quarum ſingulæ ſua propria bona & reditus habent. Antequam olim approbatæ eſſent, integrum illis non erat, bona aut reditus posſidere. Vnde *ius conſtituendi adminiſtratores bonorum* proprie ad eccleſias ſpectat.

(s) Hæc concluſio etiam naturalis eſt, cum qui vult finem, velle etiam debeat media ad finem facientia. Qui ſe collegio adiungit, pro *conſeruatione* eius quouis modo laborare, nec tantum commodum quærere, ſed etiam onera ferre debet, cum naturale ſit, apud eum eſſe incommoda, qui commoda quærit. Sic quando eccleſiæ ſunt reficiendæ, parochiani ex hoc principio adſtringuntur, vt ſumtus refectionis ferant.

(t) Vere admodum Tacitus *lib. 4. Hiſtor. Nec quies gentium*

 ſine

§. V. Vtrobique itaque Collegii membra obligantur ad præſtanda ſubſidia, ſed inæquali iure; in æquali ſocietate quidem *ex præcedente pacto*, in inæquali *ex imperio*, (u) cum penes Impe-

ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Verum expenſarum non vna ubique & eadem ratio eſt. Alicubi minora, alicubi maiora ſubſidia requiruntur, cuius ratio potiſſimum eſt petenda ex *ratione adminiſtrandi rempubl.* Quod bonus Pater familias in priuata domo, id Princeps in Republica; vterque modum in expenſis faciendis ſeruare ſtudet, vel ad minimum ſtudere debet. Sed pater familias largiter viuens eodem modo bona diſſipat, ſicut Rex profuſus bona ſubditorum. Cum tamen tributa & vectigalia deberent eſſe *patrimonium imperii*, vt ait Florus *lib. III. c. 13. n. 4.* quia his demum *reſpublica ſuſtinetur*, & ita non facile diminuenda, vti Senatus cenſuit contra Neronem apud Tacitum *lib. XIII. annal. c. 51.*

(u) In *Collegiis* ſubſidia per modum *pacti* conferuntur; ſed in *republica* per *modum imperii*. Vtut enim imperantes aliquando leniori via vtantur, & per preces collectas exigere videantur, conſtat tamen, preces imperantium magis eſſe *imperia*, & ita tales collectæ precibus imperatæ non amittunt naturam ſuam. Principes boni ſe accommodant ad naturam ſubditorum, qui ſponte agunt, quæ precibus exiguntur, inuiti autem, quæ per imperium. Multa huius generis habet Klock *de contribut. c. 1.* Loquor de imperantibus proprie dictis, & independentibus. Reges germanorum, qui ſuadendi magis, quam imperandi autoritate pollebant, nihil *iure imperii* exigere poterant. *Mos eſt,* inquit Tacit. *de Mor. german. ciuitatibus vltro & viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubuenit.*

(*) Obli-

Imperantem ſit, exigere ſubſidia ciuilia a ſubditis. (*)

§. VI. Neque itaque hoc ius exigendi ſubſidia ciuilia imperanti præciſe adſcribendum propter *dominium* aliquod *eminens*, (x) cum alio ex fundamento eius ratio ſatis conſtet.

§. VII. Præterea nec inferior magiſtratus *iure ſuo* imperare poteſt ſubſidia, ſi vel maxime iuris-

(*) Obligantur itaque ſubditi tanquam membra imperii ciuilis, præſertim quia ſumtus fiunt in communem ſalutem reipublicæ, h. e. *pro pace* & *tranquillitate ſeruanda*, vt ſcil. quilibet ſubditorum posſit ſecure frui tranquillitate, patrimonii ſui commoda pacifice percipere, neque vim aut deprædationem ab hoſtibus metuere, in quo ſingulorum inſignis conſiſtit vtilitas. Et cum hæc *publica tutela* pro omnibus ſuſcipiatur, æquum quoque eſt, vt ab omnibus ſubſidia neceſſaria huc facientia conferantur. Collimat huc Iuſtinianus in *Nou. 16.* aiens: *Non aliter conſeruare licet rempublicam, niſi præſtationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur copiæ, vt reſiſtatur hoſtibus, ac per agros & vrbes agantur excubiæ, perfruuntur item reliqui ordines attributis ſibi ſalariis, reparantur quoque muri & vrbes; denique omnia alia proueniunt, quæ communem ſubditorum vtilitatem concernunt.*

(x) Non dico, quod non posſit inde *ratio aliqua* peti, ſed id tantum aſſero, inde *vnicum fundamentum* petendum non eſſe. In collegiis æqualibus non datur *dominium eminens*, & tamen obligatio ſingulorum adeſt ad ſubſidia collegio præſtanda; Et deinde, prout ſupra id explicuimus, magis hoc dominium videtur reſpicere ad *caſum aliquem neceſſitatis ſummæ*. Aſt ſubſidia ſunt *neceſſitates ordinariæ* & *quotidianæ*.

 (y) Iuris-

iuriſdictionem omnem habeat, (y) niſi conſentiant ſubditi, vel ex imperantis indultu *expreſſo* vel *tacito* eidem certæ præſtationes debeantur.

§. VIII. Vtrum autem conſenſus plurium ſufficiat, an vero vel ſinguli conſentire debeant, ex *cauſa*, propter quam ſubſidia præſtanda, ſtatuendum eſt, (z) quæ ſi commune bonum

(y) Iuriſdictioni, quam magiſtratus habet, non cohæret *ius indicendi tributa*, quæ vi *imperii ſummi* indicuntur. Iuriſdictio enim ſuis incluſa eſt limitibus, & magiſtratus ſubalterni nullum aliud ius exercent, niſi quod iis commiſſum. Quod ſi tamen expenſæ faciendæ immineant, pro ciuitatis peculiari ſuſtentatione, ciues conſentire debent, & ſic ſunt *collectæ conuentionales.* Equidem plures ſunt ciuitates municipales, vbi certa ſubſidia ſunt præſtanda, ſed illa debentur vel ex antiqua imperantis conceſſione, vel olim a magiſtratu indicta ſunt, propter conceſſam *generalem adminiſtrationem ciuitatis*, quæ cum ſumtus requirant, tacite quoque conceſſum videtur, vt tales præſtationes exigere poſſint. Similiter & præſides prouinciæ tributa exigunt ex *generali commiſſione prouinciæ*, ſed vt non *ſuo*, *ſed imperantis nomine* ea exigant. Ægypti præfectum Tiberius grauiter increpauit, quod grauiora tributa, quam iuſſus eſſet, exegiſſet, aiens, *tonderi meas oues*, *non deglubi volo* Sueton. *in Tiber. c. 32.*

(z) Nota eſt diſtinctio inter collectas *voluntarias* & *neceſſarias*, quæ tunc ſatis fundata eſt, vbi ex conſenſu collegii, & non per *modum imperii* indicuntur collectæ. *Neceſſariæ* ſunt, ſine quibus non poteſt ſalus communis obtineri. *Voluntariæ*, quæ non præciſe neceſſariæ ſunt. v. c. Si ciuitas principi *die natali*, vel *honoris cauſa*

num reſpiciat, ſine quo ciuitas commode ſubſiſtere nequit, vel maiora vota ſufficiunt, alias ſinguli conſentire debent.

§. IX. Tempore *neceſſitatis extremæ* (a) tamen etiam magiſtratui inferiori hoc ius non eſſet denegandum.

§. X. Sic etiam *ius ſubcollectandi* [b] ſeu collectas ab Imperante indictas inter ciues diſtribuendi

ſa vellet offerre munus aliquod, vbi ſingulos conſentire debere exiſtimarem, ſi prorſus ex libera voluntate hoc munus facere vellent. Huc referunt *den VVilkomſchatz* vti vulgo vocant, quæ collecta vnanimi ciuium conſenſu decernenda eſt. Chriſtoph. VVintzler *de collect. ceſ. 4. n. 1.* Sic aurum coronarium olim erat voluntarium munus, & inde in *l. 1. C. Theod. de auro coron.* Iulianus ſanciuit: *aurum coronarium munus eſt voluntatis* &c. ex quo porro inferunt imperatores in *l. vn. C. de aur. coron. ad collationem auri coronarii neminem abſque conſuetudine eſſe cogendum.*

(a) Ponamus ciuitatem obſidione cinctam eſſe, Principe abſente; magiſtratus oppidani officium erit, ciuitatem in obſequio ſui principis retinere, & cum hoc aliter fieri non poſſit, quam per ſubſidia, hæc quoque exigere tunc licitum erit, quod tamen magis fit ex *præſumta voluntate* & conceſſione imperantis. Ziegl. *de iur. mai. lib. 2. c. 1. §. 19.*

(b) Suppono caſum, ſi certa pecuniæ ſumma ciuitati ſit imperata. Qualis autem *proportio* in diſtribuendis collectis ſit ſeruanda, id vel ex Principis committentis voluntate dependet, vel ex ſingulorum ſubditorum patrimonio, & reditibus æſtimandum: Qui plus poſſidet, eo maiorem etiam vtilitatem ex publica tranquillitate percipit, & ſic merito plus conferre debet.

buendi ſeruata æqualitate, illasque exigendi ex commisſione imperantis, ſubalterno magiſtratui competere poteſt.

§. XI. Dependet quoque ex imperantis arbitrio *determinatio ſubſidiorum ciuilium* (c) & quantitas, quatenus vtraque ſaluti reipublicæ expedire videatur.

§. XII.

Ceterum qui ſe grauatos in ſubcollectando ſentiunt, recurrere poſſunt ad imperantem, cum ita magiſtratus limites officii ſui exceſſerit.

(c) Dantur ſcil. varia genera tributorum, quædam *rebus* imponuntur, quædam *perſonis*, quædam ſunt *mixti generis*. Prout itaque expedit, ita poteſt vel *rebus*, vel *perſonis* indicere tributum. Quanta ſubſidia ſufficiant, optimus itidem eſt arbiter, quippe cui ſumma rerum commiſſa eſt, & huius æſtimationem optime omnium ſcire debet. Merito tamen omnia ita prouidenda, *vt ratio quæſtuum, & necesſitas erogationum inter ſe congruant* Tacit. *lib. XIII. Annal. c. 50.* Legem hanc egregie obſeruauit Valens, de quo Ammianus Marcell. *lib. XXX. c. 30. prouinciarum æquisſimus tutor, quarum ſingulas vt propriam domum cuſtodiebat indemnes, tributorum onera ſtudio quodam molliens ſingulari, nulla vectigalium admittens augmenta, in adærandis reliquorum debitis non moleſtus.* Eodem modo Rex Romanorum Seruius *belli paciſque munia non viritim, vt ante, ſed pro habitu pecuniarum* ordinabat Liu. *lib. I. c. 42.* quo factum, *vt in dites a pauperibus onera inclinata fuerint*, vt idem demonſtrat *c. 43.* quod ante populo promiſerat. *Iuſtum autem*, ait, *& reip. vtile hoc ipſum exiſtimo, vt qui multa posſident, multa conferant, qui vero tenuibus ſunt facultatibus, pauca.* Dion Halicarnaſſ. *lib. VIII.*

(d) Ratio

§. XII. Neque regulariter adſtringitur ad *conſenſum ſuorum ſubditorum* (d) in imponendis collectis, niſi lege fundamentali aliter prouiſum, vel ratio Reipubl. aliud poſtulat.

§. XIII. Imperari poſſunt hæc ſubſidia omnibus, qui vel in territorio degunt, vel ſaltem bona ibidem habent, cum etiam extranci bona ibidem poſſidentes fruantur ſecuritate reipubl.

§. XIV. Neque itaque ab hiſce ciuilibus ſubſidiis quisquam ſe immunem præſtare poteſt, niſi vel plane ſubſidia talia præſtare non poſſit, (e) vel ex ſpeciali gratia principis immunitatem obtinuerit.

§. XV.

(d) Ratio regulæ euidens eſt, quia ex *iure imperii* quicquid facit Princeps, *ſuo iure* facit; quod autem *ſuo iure* facit, approbatione ciuium non indiget. Ratio exceptionum etiam euidens eſt, quia etiam imperans legibus fundamentalibus adſtringitur. Hinc in multis locis ſtatus prouinciales conſentire debent in impoſitionem collectarum. Penes antiquos Germanos ex ratione reipubl. *peti* non *imperari* poterant collectæ. In imperio noſtro collectæ ab imperatore per modum *imperii* non amplius indicuntur, ſed *mutuo ſtatuum pacto* & *conſenſu* determinantur. Ex quo facile conſtat, quid dicendum ſit de vulgata quæſtione, an vota maiora hic ſufficiant, an ſingulorum conſenſus requiratur? de quo iudicandum ſecundum ea quæ dicta ſunt ad §. *VIII.*

(e) Pauperes itaque per ſe immunes ſunt. Vltra poſſe nemo obligatur. Bene Ictus *in l. 4. §. 2.* de muner. & hon. *Inopes onera patrimonii ipſa non habendi neceſſitate*

§. XV. Et cum nimia immunitatis conceſſio cæteros per conſequentiam grauet, illa absque *graui cauſa*, & *euidenti reipubl. vtilitate* non concedenda. (f)

§. XVI.

---

non ſuſtinent. Inde quilibet obligatus eſt ad profeſſionem ſuarum facultatum, & redituum annuorum. Cæteri omnes cum ſint einsdem conditionis, eadem quoque onera ſubire debent, cum ratio æqualis inter ſubditos poſtulet, vt omnes æqualia ferant onera.

(f) Quibus immunitas concedi debeat, determinat Imperans, neque enim iure naturæ quædam perſonæ ipſo iure exemtæ ſunt. De ſacerdotibus forſan hoc dicendum foret, ſi illud, quod apud omnes gentes peræque obſeruatur, ex iuris naturæ dictamine proueniret. Nam pleræque gentes hunc ſacerdotibus ſuis præſtant honorem, vt eos a quibuscunque oneribus publicis immunes reddant. *Druides olim tributa vna cum reliquis non pendebant, militiæ vacationem omniumque rerum habebant immunitatem* Cæſ. *de bello gall. lib. VI. c. 14. n. 1.* Eodem modo Artaxerxes ex more vniuerſali ita reſcribit: *vobis quoque notum facimus de vniuerſis ſacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, nathineis & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal & tributum & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos,* Esdr. *VII. 24.* Ioſephus vtut omnem terram tempore famis a ſubditis redimeret, tamen a ſacerdotum prædiis abſtinuiſſe legitur *Gen. XLVII. 22.* Ægypti ſacerdotes enim maxima immunitate gaudebant Diod. Sic. *lib. I. c. 73.* quod etiam de Romanorum ſacerdotibus conſtat. vid. *§. ſeq.* Imperatores Chriſtiani Iudæorum ſacerdotibus immunitates, quibus clerici fruebantur, indulgebant *l. 13. l. 15. C. Theod. de iudæis.* Et infinitum foret, omnium populorum ſcita circa immunitatem

§. XVI. Non prodeſt tamen talis immunitas tempore *neceſſitatis extremæ* (g), ſed interim *ſuſpenditur*, licet non plane tollatur.

§. XVII. Modus in determinatione ſubſidiorum deſumendus ex *publica inopia* & *grauitate expenſarum* in vtilitatem reipubl. faciendarum. Quicquid vltra Princeps in ſolam ſuam auaritiam extorquet, in eo officii limites transgreditur, & contra ius naturæ peccat. (h)

§. XVIII.

tem ſacerdotum referre. Neutiquam tamen ex communi gentium more hæc immunitas iuri gentium aut naturæ adſcribenda eſt, ſed vnice *venerationi* & *deuotioni*, quam erga ſacerdotes, vtpote miniſtros Dei, habuere. Cum enim adhuc ſubditi ſint, paceque publica fruantur, iure naturæ quoque oneribus reip. ferendis obnoxii ſunt. Omnis itaque immunitas eorum eſt ex lege mere ciuili.

(g) Sacerdotes vtut apud plerasque gentes immunes ſint, tempore belli tamen non excuſantur. Sic *vltimam penſionem pecuniæ collatæ in bellum Macedonicum perſolui placuerat priuatis.* Igitur Q. Fabio Labeoni & L. Aurelio Quæſtoribus vrbanis viſum eſt, ab omnibus Pontificibus hanc pecuniam exigi, melius commodiusque eſſe, *quod ſtipendium hoc toto bello non contuliſſent*, quam a reliquis ciuibus, quorum iam magna pars idonea eſſe deſiiſſet. Itaque *magnum certamen cum omnibus ſacerdotibus fuit quæſtoribus vrbanis*, cum hi antiqua ſua, & ſacroſancta priuilegia vel immunitates allegarent, Quæſtores ex aduerſo neceſſitatem vrgerent. Ergo Tributos pl. appellarunt. Tribuni pronunciarunt, *ſacerdotes nequicquam appellaſſe, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum eſt*, Liuius *lib. XXXIII. c. 28.*

(h) Sunt hic duæ diſtinguendæ quæſtiones (*1*), an ſubditi Prin-

§. XIIX. Quicquid autem imperans reſpectu ſubſidiorum ciuilium ſubditis imperat, ad hoc eosdem recte *cogit* & *imperio ſuo* (i) coërcet.

§. XIX. Similiter ab aduenis, & iter publicum per territorium facere volentibus recte ſubſidium aliquod exigit, tum reſpectu expenſarum in itinera publica faciendarum, tum reſpectu ſecuritatis & libertatis commerciorum. (k)

§. XX.

Principi poſſint reſiſtere iniuſte extorquenti tributa, quod nego, vti ex infra dicendis apparebit. (2) vtrum Princeps iuſte agat, ſi minus neceſſaria ſubſidia extorqueat. id quod nego etiam, quia boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. In ſtatu turbido rei Romanæ, vbi bellis ciuilibus reſpublica lacerata erat, *acerbiſſime imperatæ pecuniæ exigebantur. Multa præterea generatim ad auaritiam excogitabantur. In capita ſingulorum ſeruorum ac liberorum tributum imponebatur* &c. Cæſar *lib. III. de bell. ciu. c. 32.* Sed cogitandum eſt, talia inter publicas calamitates, vbi reſpubl. Romana in interitum ſuum ruere videbatur, contigiſſe, vbi magis per *vim*, quam *iure* agebatur, atque ita regulæ nullæ huius doctrinæ admitti poterant. Grauiſſime & ſimul pro more egregie de hoc argumento philoſophatur Förſtner ad *Tacit. lib. 4. circa f. p. m. 441.* vbi ſimul cautiones optimas adfert.

(i) Imperantur enim *vi imperii*, & ſubditi ad ſubſidia ciuilia obligantur ex *ſubiectionis vinculo*. Ergo *coactio* hic haud excludenda eſt. Interim certum eſt precibus ſæpe plus obtineri, quam imperio, quod probat Liuius *lib. IV. c. 6.*

(k) Quod notandum contra eos, qui vectigal iniuſtum

eſſe

§. XX. Præterea ad oſtendendum dominium vel imperium in mare, vel littora, quod iuri naturæ haud repugnat, non iniquum eſt, (l) ſi imperans nauigantibus quoque vectigal imponit.

§. XXI. Quæ res autem vectigalibus eſſe debeant obnoxiæ, & qua pœna afficiendi defraudantes vectigal, ex imperantis determinatione pendet, neque hac in doctrina explicari (m) poteſt.

§. XXII. Quodſi viatores damnum in via publica paſſi ſunt, multi imperantem obligatum

eſſe contendere ſatagunt, quod transeuntibus imponitur. His quippe etiam vtilitas ſingularis in eo quæritur, quod ſecure commercia agere poſſint per aliorum territoria, & ſic merito ad conſeruandam illam ſecuritatem, quæ ſumtus requirit, aliquid contribuere debent.

(l) Ziegl. *de iur. mai. lib. 2. cap. 7. §. 13.* ex hoc *æquitatem vectigalis maritimi* deducit. Poſtquam enim imperium in certam maris portionem ſibi aſſeruerunt imperantes, iure ſuo quoque in ſignum imperii aliquid exigunt; Sed etiam præterea ratio antea adducta hic quoque occurrit, quæ proinde hic non ſeparanda.

(m) In hac doctrina tantum illa duo explicari merentur 1.) quod habeat *Ius determinandi* collectas, 2) *Ius puniendi* eos, qui vectigal non ſoluunt, & quidem ſi extranei ſunt, naturale eſt medium cogendi & coërcendi *detentio corporis* & *bonorum*. Neque ita extraneis infertur iniuria, qui quamdiu commorantur in territorio alterius imperantis, eius legibus ſubiecti ſunt. Si ſubditi ſunt, pœnis aliis ordinariis ſubiici poſſunt.

(n) Da-

tum eiſſe volunt ad eius refuſionem, ſi vectigal percepit. Verum id ex *ratione damni perpeſſi*, & *cauſa vectigalium ſolutorum* (n) iudicandum.

§. XXIV. Quod ſi damnum culpa ipſius viatoris contigit, (o) ſibi, non alii imputare hoc debet.

§. XXV. Si vero caſu fortuito ex viarum corruptione vel deprædationibus damnum datum, tunc ſi quidem vectigal ſoluit *ob ſecuritatem viarum*, vel ob *viarum reparationem*, ſine dubio damnum ipſi ab Imperante refundendum. (p)

§. XXVI. Quod ſi vectigal, ob commerciorum libertatem & ſecuritatem, ſolutum ſit, idem videtur dicendum. (q)

CAP.

(n) Damnum ordinarie is, cui illatum eſt, ferre debet, non alius, niſi ſit, quod alii imputari quid poſſit, veluti quod debuiſſet & potuiſſet præcavere damnum, nec tamen fecit, atque adeo per tertii culpam damnum contigerit.

(o) Quid enim ſi nimis oneravit currum? quod ſi anſam inimicitiæ dederit, vt ab hoſte in via publica violaretur? quid ſi debitam curam in vehendo non obſeruauit, vel in equis regendis.

(p) Naturale eſt, vt qui aliquid ſoluere debet pro facto ab altero præſtando, id quoque exigere poſſit; alioquin qui ſua culpa id non præſtiterit, tenetur ad damnum perpeſſum reſtituendum. Si vero caſu fortuito impeditus ſit, aliud dicendum. Quod etiam hic applicandum, vtut damnum paſſis executio deficiat, & inde actio plerumque inanis ſit.

(q) Ita recte Ziegl. *de iur. maieſt. lib. II. c. 13. §. 1. ſeqq.* Nam

qui

CAP. X.
De
Iure imperantis circa ἀδέσποτα.

§. I.

Status rerum naturaliſsimus (r) conſiſtit in eo, quod ſint ἀδέσποτα, ſeu quod quidem hominum vſibus inſeruiant, a proprietate tamen omni alienæ ſint.

§. II. Dominium itaque, corrupto ſtatu generis humani id poſtulante (s) demum introductum

qui commercia agunt per territoria extranea, ſubſidia ſoluunt propter ſecuritatem commerciorum, quam ſi non habeant, respubl. eo ipſo fidem illis tacite datam non ſeruat.

(r) Et hoc eſt quod Imp. *in §. 1. I. de R. D.* dicit, quasdam res eſſe *naturali iure* communes, cum Stoici ſæpe ius *naturale* pro *ſtatu naturali* ſumant. Theologi contrarium ſentiunt ex *Geneſ. II.* quaſi ſtatim Deus Adamo dominium dederit, ille vero hoc ad poſteros transtulerit. Sed has fabulas alii iam ſatis profligarunt. Dedit DEUS hominibus *facultatem*, rebus in medio poſitis vtendi, non *dominium* ſeu *proprietatem* in ſingulas res. quin magis voluiſſe videtur, vt inter homines *communes* eſſent, & in tantum cuiusuis vſibus paterent, in quantum neceſsitas id poſtularet.

(s) Proprietatis origo eſt ex *inuidia* & *auaritia*, hæc enim denotat cupiditatem omnia ſibi habendi, & appropriandi, & ab vſibus rerum ſibi appropriatarum alios excludendi. Multiplicato genere humano, & amore mutuo extincto, mox a communione receſſum eſt, & ſinguli ad proprietatem inclinarunt, & quia *communio* inter *corruptos homines* eſt *mater litium*, non aliud

ductum eſt præcedente facto humano, i. e. *occupatione*.

§. III. Quæ vero occupata nondum ſunt, nec commode occupari potuere, manſere in ſtatu ſuo naturali (t) & ſic ἀδέσποτα dicuntur.

§. IV. Quicquid itaque ab initio homines in res omnes iuris habuere, id, ſi in ſtatu naturali conſiderantur, adhuc retinuere, vt ſcil. vacua a dominio, occupanti cedant. (u)

§. V.

aliud medium tollendarum litium fuit, quam vt dominia rerum introducerentur, & agris termini ponerentur. Atque id *iuri Gentium* adſcribitur, quatenus absque dominii introductione non potuit ſubſiſtere generis humani quies. *Occupatio* autem eſt naturaliſſimus modus ſibi res appropriandi, illas ſcilicet, ad quas occupandas ius naturæ omnibus facultatem dedit, quibus ita occupatis, alii ab vſu eiusdem rei excluduntur. Et hoc eſt quod Nerua *ICtus in l. 1. §. 1. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* dicit: *dominia rerum cepiſſe ex naturali poſſeſſione*, quæ incipit ab *occupatione*.

(t) Huc pertinent inſulæ in mari repertæ, & alia plura, quæ nondum occupata ſunt. Inde recte Boiocalus apud Tacit. *lib. XIII. annal.* cenſet, *ſicut cœlum diis, ita terras generi mortalium datas, quæque vacuæ, eas publicas eſſe*. Imo nequidem omnia occupari potuerunt, vel quod proprietatem effugerent, vel quod non neceſſe in eam fuerit, vt redigerentur, quibus enim homines facile carere, vel absque diſcordia *communiter* vti poterant, facilius primævam ſuam retinuere indolem, vti ſunt vaſtus oceanus, terræ omnem inhabitationem perpetuam repudiantes &c.

(u) Hæc enim eſt natura τῶν ἀδεσπότων, non quod acquiri non posſint, ſed quod hactenus nondum ſint occupata,

§. V. In ſtatu ciuili receptum eſt, vt certus tractus terrarum, intra quem ſubſiſteret reſpubl., *per vniuerſitatem* occuparetur, & terminis circumſcriberetur, (x) qua occupatione facta, quic-

cupata, & ſic adhuc ante occupationem in ſtatu ſuo naturali ſubſiſtant, donec ab aliis occupentur. Occupari autem non tantum poſſunt a *ſingulis* fundi, vel agri aliæque res mobiles & ſe mouentes, ſed etiam ab *vniuerſitate*, vel *populo* integri tractus terrarum, inſulæ, & diſtrictus quidam ipſius maris, vt ſcil. tractum talem in vniuerſum quidem poſſideant, & ſinguli deinceps intra illum tractum aliquid ſibi rurſus approprient. Contra hæc principia videtur peccaſſe Grotius, exiſtimans, mare a gentibus acquiri, & in proprietatem reduci non poſſe, quod quidem de *vaſto* mari haud negandum, bene tamen de *accolente*.

(x) Conſiſtit quidem primario ciuitas in *vnione ſubditorum*, nec ita præciſe ad certam & perpetuam adſtricta eſt ſedem, vt tamen eo *ſtabilior tutiorque* fiat, nullum conuenientius medium eſſe poteſt, quam vt incerto loco conſtituatur, & firmetur. Notæ interim ſunt variæ populorum migrationes, qui magis de raptu viuere, & nullibi ſubſiſtere, quam certam ſibi ſedem conſtituere amauerunt, vt interim rempublicam quandam inter ſe conſtituerint. De antiquis Germanis ipſe Tacitus hæc memorat: *Nullas Germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt, nec pati quidem inter ſe munitas ſedes. Colunt diſcreti ac diuerſi vt fons, vt campus, vt nemus placuit.* De Sueuorum gente ita Cæſar *lib. IV. de bello Gallico c. 1. n. 7. Sic neque agricultura, neque ratio, neque vſus belli intermittitur. Sed priuati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt, neque longius anno remanere vno in loco incolendi cauſa, licet.* De Scythis Arrianus *rerum indic. libr.* ait: *Scythæ aratio-nem*

quicquid intra illum tractum continetur, ad *rempublicam* ſpectat. (y)

§. VI. Sicuti autem quæ ab *vniuerſitate* occupantur, ad illam *qua talem* quidem ſpectant; ita tamen ratio ordinis ciuilis poſtulauit, vt ſimul ſingulis peculiariter quædam res attribuerentur, & ita intra illum tractum *loca* quædam

nem non exercent, *ſed in plauſtris degentes incertis ſedibus vagantur, neque vrbes incolunt*, quod etiam de Slauis memorat *Procop. lib. 3. hiſtor. Goth.* Conf. Dn. Hertius *in elem. prud. ciuil. P. I. Sect. 5. §. 18.* Tales quoque olim *Nomades* fuiſſe, ſupra memoratum eſt. Verum poſtquam populi magis magisque *cultiores* redditi, certis tandem ſedibus ſubſiſtere inceperunt, & tum quidem neceſſum fuit, certum tractum ſibi appropriare, & terminis, quibus a vicinis diſtinguerentur, diſtinctis includere, quod *territorium* vocare ſolemus.

(y) In hoc occupato tractu multæ quoque dantur *res ſingulorum*, ſed quæ extra illas ſunt, merito reipubl. adſcribuntur, & ſic ad *adeſpota* ſtricte loquendo referri nequeunt. Dicuntur ἀδέσποτα quædam *ſtricte*, *quæ ab omni proprietate vacua ſunt*, vt inſula a nemine hactenus occupata, & hoc reſpectu, quæ intra territorium ſunt, pro talibus haberi nequeunt, quippe quæ iam occupata ſunt, quod terminorum circumſcriptio indicat. Quædam *latius* ita dicuntur, quæ quidem per *vniuerſitatem* occupata ſunt, ſed tamen ad *vſus promiſcuos* ſingulorum adhuc conceduntur, & hoc ſenſu etiam, quæ intra territorium ſunt, vt ſyluæ, montes, lapides, valles, loca deſerta, antra, aliquando ἀδέσποτα dicuntur, quatenus ſingulorum vſibus poſt occupationem adhuc patent. Vnde nunc fluunt ſequentes vſus.

(z) Nam

dam *particularia* ſubditis asſignarentur, quibus frui poſſent. (z)

§. VII. Quæ autem ſubditis (zz) haud asſignata ſunt, vel in eorum proprietatem venerunt, ad rempubl. pertinent, & in eius proprietate ſunt. (a)

§. VIII. Et ita penes imperantem eſt, an ſingulos ad promiscuum & communem harum rerum vſum adhuc admittere [b] an eosdem

(z) Nam quæ ratio ante conditas ciuitates homines induxit, vt, *multiplicato genere humano*, a communione recederent, hæc ratio eo magis, *introductis ciuitatibus*, vbi homines cohabitant & arctius coniunguntur, poſtulabat, vt quilibet proprium quid haberet, nec in commune ſubditi agris & paſcuis fruerentur. Cum enim ſtatus ciuitatum potisſimum in vnione tot hominum conſiſtat, illa aliter conſeruari non potuit, quam vt ſingulis ſua particularis regio, vt ita loquar, attribueretur. Sic itaque quædam in republ. pertinent ad *ſingulos*; quædam ad *rempublicam*, vt theſis ſequens demonſtrabit.

(zz) Sub his etiam *corpora*, *collegia* & *vniuerſitates* in republica comprehendo, vtpote quæ inſtar *priuatorum* & ſubditorum iudicantur, & ita bona eorum non ſunt bona reipublicæ, ſed *priuata*.

(a) Idem iudicium ferendum eſt de tractu maris occupati, & in dominium reipubl. redacti, cum non tantum terræ, ſed etiam maria ſub reipubl. dominium cadere posſint, vti eleganter Cornelius van Bynkershuek *diſſ. de dominio maris* oſtendit.

(b) Quamdiu imperans, quæ extra ſingulorum proprietatem in territoriis reperiuntur, ſibi ſoli aut reipubl. vſibus non adſcripſit, *communia* vocantur, & ſingulorum

dem ab illo excludere, & res illas in vſus publicos conuertere velit.

§. IX. Intelligendum autem hoc tantummodo de illis, quæ ita intra territorium ſita ſunt, vt firmiter eidem cohæreant, (c) quæ tantum per vniuerſitatem occupata intelligi poſſunt: Ceteræ res hinc inde in territorio vagantes adhuc ad ἀδέσποτα proprie dicta referendæ ſunt. (d)

§. X.

rum vſibus patent, vti multis locis adhuc ſunt lapicidinæ ingentes, ſylvæ latisſimæ &c. & hoc intuitu *nullius* dicuntur h. e. non ſunt in *priuatorum* bonis, & ſic nullius non *abſolute*, ſed *reſpectiue* vocantur: cum alias omnino reipubl. ſint. Aſt quicquid in his imperans ſubditis indulget, hoc ex mera *gratia* facit, nec *ſuo iure* ſubditi vſum talem promiscuum prætendere poſſunt. Quin potius *ſuo iure* imperans has res, reipubl. proprias, ſuo fiſco adſcribit, quia ille rempubl. totam repræſentat, & eius imaginem gerit. Sic itaque ad rempubl. ſpectant *montes, fontes publici, flumina, maria parua intra territorium ſita, inſulæ in fluminibus natæ, deſerta, valles, lapicidinæ, promontoria, viæ publicæ, loca alia ad ſingulos non pertinentia, mineralia,* & alia *ſubterranea* &c.

(c) Quas ad §. *antec.* recenſui res, ſunt tales, vt ad immobilia quæ conſtanter & inſeparabiliter tractui occupato cohærent, referantur, & ita cum ſint pars territorii, ſimul quoque, integro tractu occupato, ſingulæ res occupatæ videntur, & hactenus non ſunt abſolute ἀδέσποτα.

(d) Sunt adhuc plures aliæ res, quæ territoriis non cohærent, & tamen ab omni omnino vacuæ ſunt proprietate, vt ſunt feræ beſtiæ, piſces in fluminibus, aves &c. Neque etiam quamdiu in hoc tractu vagantur, ad ipſum territorium pertinent, vel eius acceſſo-

§. X. Et hæ res naturali ratione cedunt occupanti.(dd)

§. XI. Poſſe tamen ſubditos ab vſu huius iuris, acquirendi ſcil. hæc ἀδέσποτα, excludi, vel inde patet,(e) quod libertas naturalis per leges ciuiles ex *iuſta ratione* reſtringi, determinari, & imperans illa vſibus publicis applicare queat, quæ ſingulorum patrimonium non lædunt.

§. XII. Quin quod ſubditi eo ipſo non priuentur iure quodam *quæſito*, ſed tantum *acquirendo* (f) circa quod imperans facilius diſponere poteſt.

§. XIII.

ceſſorium dici poſſunt, non magis ac auis in mea arbore ſedens mea eſſe intelligitur. Sunt itaque feræ adhuc omnino nullius ante omnem occupationem, nec in dominio ſingulorum, nec reipublicæ.

(dd) Sæpe dictum eſt, per conditas ciuitates non omnem ſubditis adimi libertatem naturalem, & ita quoque non debet cenſeri, in ſtatu ciuili indiſtincte *ipſo iure* ſingulis ius occupandi feras beſtias ademtum eſſe, cum hoc nullo modo rationibus ciuilibus aduerſetur, & plures gentes adhuc hodie vnice inde ſe alant.

(e) Veteres Moraliſtæ valde deſudarunt in eruenda iuſtitia huius iuris. Diſquiſiuerunt, quo iure princeps ſibi potuerit adſcribere *ius venandi* ſeu occupandi feras beſtias, vid. Zigl. *de iure mai. lib. 1. c. 14. §. 14.* cum tamen venatio dicatur *iuris naturalis*. Sed tamen non eſt iuris naturalis pro *lege* accepti, ſed *libertatis naturalis*, quæ tamdiu ſubditis ſalua manet, donec iuſta ex ratione ſubditis reſtringatur.

(f) Ratio differentiæ eſt, quod ius *acquirendum* proprie

§. XIII. Sic itaque iure imperans ſibi ſoli vindicat (I) ius occupandi feras beſtias, & vi huius iuris quoque recte de iure venationum diſponit.

§. XIV. Aſſerto ſemel hoc iure, ſubditis haud amplius integrum eſt, prouocare ad libertatem naturalem, quin potius iam in crimen (g) incidit, quod antea erat libertatis naturalis, niſi expreſſa conceſsio a Principe doceatur.

§. XV. Si de *conceſsione* conſtat, firmius ius (h) ſubditus habet, ac quidem antea ex *ſola libertate*

non ſit ius perfectum, *quaſitum* enim denotat, quando res ad me iam ſpectat cum iure excludendi alios ab vſu & prohibendi, ne in eius præiudicium ab aliis quid inique fiat: Ibi non eſt res propria, vti hic: In iure acquirendo manent res ἀδέσποτοι.

(g) Prohibitio pœnalis inducit delictum, licet antea res erat libertatis naturalis. Neque itaque amplius quis pro ſe præſumtionem habet, licet id negari non poſſit, tam diu pro libertate ſubditorum præſumi, donec de prohibitione conſtet, hæc autem ſi adſit, iam per ſe præſumtio ceſſat. Ex quo etiam fluit, quod ſtante prohibitione is, qui ius venandi exercet, conceſsionem imperantis pro ſe allegare & docere debeat, imo etiam hæc conceſsio ſolet plerumque eſſe reſtricta, quo caſu quoque intra reſtrictionem exercenda eſt.

(h) In ſtatu naturali quilibet in ſuo venari poterat, in loco communi vero quilibet abſque prærogatiua, ſed vbi quis illud exercet ex *ſpeciali conceſsione*, non tantum in ſuo, ſed etiam in omnibus illis locis, ad quæ conceſsio porrigitur, illud exercere poteſt. Manet tamen

bertate habere poterat, ſcil. reſpectu *conciuium*. Reſpectu *imperantis* non idem obtinet, quippe qui ius conuenationis adhuc exercere poteſt, niſi expreſſe hoc etiam remiſit; Quamuis etiam ex aliis iuſtis cauſis illud reuocare valeat: Quicquid enim conceditur ab imperante, *ſubordinate* conceſſum eſſe intelligitur.

§. XVI. Ita vero ſibi imperans ius venandi tribuere debet, vt ſubditi indemnes (i) præſtentur in aliis ſuis bonis.

§. XVII. Pertinet huc (ll) *ius vindicandi loca deſerta & inculta, montes ſiluasque*, cum hæ res per ſe proprie reipublicæ ſint (k)

§. XVIII.

tamen penes principem ſemper ſuprema directio, quia regalia concedendo non *priuatiue* conceſſiſſe dici poteſt. Imo ſi imperans ius venandi intra certum locum conceſſit, non ſibi aliquid adimere, & ſuam libertatem venandi reſtringere voluiſſe, ſed tantum prohibitionem, quoad ſubditos in genere factam, ſoluere & laxare ratione certæ perſonæ præſumitur. Breuiter, quicquid princeps alicui conceſſit contra leges publicas, *ſalvo iure ſuo* conceſſiſſe videtur.

(i) Sic itaque non iniqua eſt ſententia exiſtimantium, principem teneri damnum reſarcire, quod a feris datum in frumento, dum eas capere nequeunt. *Ziegl. c. 1.* §. 29.

(k) Poteſt itaque de *montibus* vario modo diſponere, vt & de *locis deſertis*, illa aliis colenda concedere ſub certis decimis, quod hodie fieri ſolet; dicitur talis ager noualis *Neubruch*, vnde recte dominus territorii talia ſuæ reſeruat conceſſioni, quemadmodum olim a Cæſaribus in feudum data ſunt, inde tot locis vo-

§. XVIII. Ex iure in ſyluas dependent plura alia iura, quæ communiter iura *Foreſtalia* (l) appellari ſolent.

§. XIX. (III.) Sic etiam iura *ſubterranea* & *mineralia* (m) omnis generis ſuo adſcribere poteſt

cem *rode* tributum eſſe credunt, quod idem eſt quam *ausrotten*, quia locus incultus conceſſus fuit in feudum, vt in culturam reduceretur.

(l) vid. Myler ab Ehrenbach *de iure ſtat. & Princip. Imp. cap. 73. §. 1. ſeqq.* Huius iuris virtute imperans ſyluis præficit præfectum, qui præcauet, ne per exciſionem arborum eæ deuaſtentur, lignandi & paſcendi vſum in ſyluis aliis concedit, ſtatuta ſylueſtria condit, *VVald und Forſt-Ordnung*, exercet & prohibet ius glandis legendæ, aliasque vtilitates. v. c. *Holtz, Kohlen zu brennen, Pech, Tehr* &c. iurisdictionem itidem in Foreſtum exercet. &c.

(m) Cum enim a ſingulis non poſſideantur, vel occupata ſint, ad rempublicam ſpectant. Imo & hoc procedere puto, licet in priuatis bonis inueniantur, quia dominus fundi non ſtatim poſſidet iure proprietatis mineralia, quod dominus fundi eſt, ſicuti hoc argumentandi genere vtitur Iure conſultus *in l. 3. ff. d. A. vel O. poſſ.* Olim quidem hæ fodinæ priuati iuris fuere, & adhuc ſunt, quamdiu imperans illas non ſibi tribuit *l. 7. §. 13. ſol. matr.* Sed ſi lege publica excludit ſubditos ab vſu iuris, aliud dicendum. Sic iam olim teſte Suetonio *c. 49.* pluribus priuatis ius metallorum ademtum eſt. Devictis regibus Macedoniæ respublica Romana per Paulum pronunciauit, *metalli, auri atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti. Liuius lib. 45. c. 29.* Quemadmodum in Saxonia metalla minora priuatis concedi ſolent. De Philippo Rege Macedonum refert Liuius *Lib. 39. c. 24. quod*

Google

eſt fiſco, vt ad vſus publicos adhibeantur.

§. XX. Ita tamen hoc ius exercendum, vt illæſum maneat ius ſubditorum in fundis ad eos ſpectantibus.

§. XXI. (IV.) Ex hoc fundamento plures Respublicæ ſibi adſcribunt *theſaurum*, (n) qui itidem inter ἀδέσποτα refertur.

§. XXII. (V.) Item huc refero iura circa flumina, (o) vi quorum omnes reditus ex fluminibus perceptibiles ſibi adſcribere poteſt.

LIBER

24. quod metalla vetera intermiſſa recoluerit, & noua multis in locis inſtituerit.

(n) Omnis theſaurus habet quidem dominum, ſed quia ignoratur, pro eo eſt ac ſi non adeſſet dominus. Neque recte dicimus, eum poſſidere theſaurum, qui poſſidet fundum, cum ne quidem is ſciat, ibi latere theſaurum. Iam autem abſurdum eſt, alicui tribuere dominium earum rerum, quæ ab ipſo ignorantur. Quamdiu autem fiſco non adſcripti ſunt, occupanti cedunt.

(o) Fluunt inde varia iura, quæ hic quidem in compendio referam, ſcilicet (1) *ius piſcandi*. (2) ius *inſularum*. (3) ius *aluei*. (4) ius *alluuionis*. (5) *conceſſionis aquæ ductus*. (6) conceſſionis *molendini naualis*. (7) ius *pontonem habendi*. (8) *grana auri legendi*. (9) ius *gratiæ*. (10) *iurisdictio* in flumen. (11) ius diſponendi de *nauigatione*. (12) ius *vectigal* nauigantibus imponendi. &c.

LIBER III.
DE
OBLIGATIONE ET IURIBVS SVBDITORVM.
CAP. I.
De
Statu Subditorum vario.

§. I.

CUm reſpublica quælibet potiſſimum *nexu ſubditorum cum imperante*, & illorum *inter ſe* conſtet, euidens eſt, ad ius publicum vniuerſale quoque ſpectare *obligationes* & *iura ſubditorum* (a) qua *talium*. (aa)

§. II.

(a) Supra dictum, duplicem eſſe nexum (1) *imperantis cum ſubditis* (2) *ſubditorum inter ſe*, quatenus ciuili vinculo inter ſe coniuncti ſunt. Non ergo ſufficit, iura *imperantium* tantum conſideraſſe, ſed præterea etiam vlterius ex correlatis inſpicienda ſunt *iura* & *obligationes ſubditorum*, ſicuti in ſocietate qualibet hoc iuris eſt v. c. coniugali, vbi & *mariti*, & *vxoris* iura conſideranda ſunt. Præſertim autem hæc doctrina vel ideo eſt neceſſaria, quod non pauci ſint, qui vel nullum ius ſubditis adſcribunt, vt Machiavelliſtæ, vel *nimium iuris* eis tribuunt, vt Monarchomachi, cum tamen ab vtraque doctrina maxime cauendum ſit.

[aa] Habent enim ſubditi alia iura, quatenus conſiderantur ſimpliciter *vt homines*, de quibus hic non agitur.

Aliud

§. II. Sicuti autem *ſtatus perſonarum* vt plurimum *diuerſitatem iurium* arguit, ita quin idem in *iure ſubditorum* (b) dicendum ſit, dubium eſſe non poteſt.

§. III. Diuerſitas ſtatus, prout inæqualitatem inducit, non eſt a natura, (c) ſed in ſtatu naturali omnes homines ſunt æquales.

§. IV.

Aliud eſt *officium hominis*, aliud *ciuis*, vt Puſendorff. *de offic. hom. & ciu.* accurate diſtinxit.

(b) Pro ſtatu perſonarum iura variare certum eſt. Iam quidem omnes ſubditi intuitu principis in vno eodemque ſtatu generali ſunt, quod ſint *ſubditi*; inter ſe tamen diuerſo adhuc *ſtatu ſpeciali* gaudent, & ſic diuerſo vtuntur iure, tum reſpectu ſui ipſius, tum reſpectu imperantis, quamuis etiam ſubditi reſpectu imperantis alium præterea ex eius voluntate induere poſſint ſtatum, ex quo adhuc ſpecialius imperanti ſuo obligantur.

(c) Senſus huius theſeos hæc eſt, quod ante omne factum humanum, prout a natura homines generati ſunt, homines ſint æquales, nec alteri in alterum competat imperium, quo & tendit ICti monitum in *L. 32. de R. I.* aiens: *quod ius naturale attinet, omnes homines ſunt æquales.* Nam quod de *imperio maritali* aſſerunt, id itidem non *neceſſarium*, ſed *arbitrarium* eſt, nec generatio liberorum per ſe inducit aliquod imperium in patre, niſi quod *educatio*, quæ parentibus incumbit, abſque *imperio* quodam in liberos eſſe nequeat, & inde per conſequentiam *patria poteſtas* fluat. Interim tamen non talis inæqualitas in ſtatu naturali obtinet, qualis eſt in *ſtatu ciuili*, vnde, vt dubiis eo magis occurramus, admittamus in hoc caſu hanc inæqualitatem in ſtatu naturali in *ſenſu comparati-*

Nn 5 *vo:*

§. IV. Atque adeo omnes *aequali* inter ſe fruuntur *iure*, (d) & nihil huic æqualitati contrarium a quocunque fieri poteſt.

§. V. Introductis autem ciuitatibus, nata eſt ſimul *ſtatus diuerſitas*, & maxima *inaequalitas*, (e) & quidem primo generalis, qualis eſt inter *imperantem* & *ſubditos*.

§. VI. Conſiſtit hæc inæqualitas inprimis in eo, quod imperans adhuc *liber* ſit, nemini obnoxius,

ſo: ſed extra hunc caſum omnes æquales inter ſe erant, & liberi quoque *ex poſt facto*, vbi propriam inſtituebant familiam.

(d) Iura naturam ſtatus ſequuntur, atque adeo ſupra iam inde ſuppoſitum eſt, inter ipſos imperantes eſſe *aequalitatem*, nec alterum alteri cedere teneri, niſi pactum interceſſerit, vel regulæ prudentiæ & decori aliud poſtulent: ſunt enim imperantes inter ſe adhuc in ſtatu naturali, & ſic æquales.

(e) Inæqualitas hæc ſatis euidens eſt, qualis alias differentia eſt inter *parere* & *imperare*. Alii quidem iam ante ciuitates eiusmodi inæqualitatem fuiſſe, veluti in familia aiunt, ſed illi ſupponunt, quod ex pluribus familiis ortæ ſint ciuitates, id quod vniuerſaliter aſſeri nequit. Eſt autem hæc tanta inæqualitas, vt vix maior reperiri poſſit; atque hinc facta quoque *inaequalitas iurium* inter imperantes & ſubditos. Sed hæc inæqualitas tantum attenditur, quatenus prædictæ perſonæ in ſtatu illo conſiderantur; extra illum ſi conſiderantur, *vt homines*, ſubditi & imperantes *aequalibus* vtuntur *iuribus*, quia per ſuſceptionem imperii, & ſubiectionem homines non amittunt naturam humanam, vt tamen, prout ſupra monitum eſt, iura ſubditorum intuitu imperantis, non tam efficacia ſint.

(f) Hæc

noxius, atque adeo in ſtatu naturali conſtitutus; ſubditi autem *libertatem naturalem* depoſuerint, & ſuam voluntatem arbitrio imperantis ſubiecerint. (f)

§. VII. Hoc poſito inæqualitatis ſummæ ſtatu, ſimul conſtat, *iura* ſubditorum pauca, vel ſaltem *imperfecta* reſpectu imperantis ſupereſſe, & parendi gloriam magis in eis produxiſſe *vinculum obligationis*, ſeu *neceſſitatem* quam *libertatem* (g) agendi, ſicuti in imperante manſit libertas agendi.

§. VIII.

(f) Hæc eſt quaſi principalis ratio differentiæ, vnde tot noua iura enata eſſe ſupra dictum eſt, quæ partim fluunt *ex iure libertatis*, quo adhuc fruitur imperans intuitu aliarum gentium, cum ille adhuc in ſtatu naturali ſubſiſtat; partim *ex iure imperii*, quod præterea ei acquiſitum eſt in ſubditos. Contra ſubditi, amiſſa naturali libertate, amiſerunt quoque omnia iura, quæ antea obtinuere, & imperio ciuili agnito, *grauiſſimam* ſubiere *obligationem* & *ſubiectionem*, quarum antea expertes erant. Unde euidens eſt, ſtatum ſubditorum *magis* producere *obligationem* quam *iura*; cum contra ſtatus naturalis, ſeu libertatis ab hac obligatione ſpeciali liber ſit, & magis *iura* producat.

(g) Differunt *ius* & *obligatio* vt *libertas* & *neceſſitas agendi*; loquor autem de libertate & neceſſitate *externa* agendi, quatenus de iure naturæ aliquid libere quilibet agere, vel non agere poteſt, & inter homines absque ſua voluntate ad aliquid faciendum cogi nequit. Imperans itaque quia *liber* manet, libertatem agendi retinuit, & ita infinitis gaudet iuribus reſpectu ſubditorum: ſed *ſubditi* cum imperio & voluntati imperantis ſubſint, magis ſubſunt *neceſſitati agendi*, & ſi vel

§. VIII. Interim non vna eademque omnium ſubditorum eſt ratio, ſed prout *adſtrictior* eſt *libertas* agendi imperantis, ita ſubditorum eminentiora ſunt iura, & ſtatus liberior.

§. IX. Licet enim propterea ſubditi non deſinant tales eſſe, tamen *neceſſitas* (i) ipſa agendi habet ſuos *gradus*, atque adeo in aliis *laxior* & *remiſſior*, in aliis *adſtrictior* eſſe poteſt.

§. X. Prout ergo ciuitas vel *ab initio* conſtituta,

ſi vel maxime adhuc ius quoddam habeant, illud tamen valde *imbecille* eſt propter neceſſitatem agendi, qua premuntur propter ſtatum ſuum.

(h) Iura correlatorum potisſimum diiudicantur ex vtriusque natura. Neque enim naturam alterutrius recte ex correlatis poſſum conſiderare, niſi vtriusque comparationes inſtituerim. Conſequenter quo magis libertas principis adſtringitur, eo magis laxatur neceſſitas agendi in ſubditis, & vice verſa; quo magis imperans libertate agendi gaudet, eo adſtrictior eſt neceſſitas agendi in ſubditis. Neque adeo, *ſubditi* cum *ſeruis* ſunt comparandi *ſimpliciter*, licet non negauerim, quorundam ſubditorum conditionem a ſeruorum ſubiectione vix differre.

(i) Neceſſitas per ſe non eſt vnius eiusdemque naturae. Sic ſerui abſoluta neceſſitate agendi ducuntur. Non eandem vbique ſortem habent liberi, qui liberalius educandi, licet nihilominus ſint ſub patris imperio, neque eadem poteſtas hodie in vxores competit maritis, vti quidem olim. Simili ratione omnes ſubditi in eo conueniunt, quod imperanti ſubiecti ſint, ſed *modus ſubiectionis* variare poteſt, & hinc ordinarie conditio eorum ex prima Reip. conſtitutione petenda.

(k) Per

tuta, vel *ex poſt facto* paulatim mutata, ita ſtatus ſubditorum variat, (k) inter quos quidam *abſolute* parent, & dicuntur *κατ' ἐξοχὴν ſubditi*, quidam maiori immunitate gaudent, & dicuntur vel *ciues*, vel *ſtatus Reipubl.*

§. XI. Ciuium autem & ſtatuum Reipublicæ præeminentia potisſimum in eo conſpicua eſt, quod in quibusdam (l) concurrant ad reipublicæ adminiſtrationem, ſalua tamen ſubmisſio-

(k) Per inductionem omnium rerumpublicarum res poteſt probari; ſi bello deuicti ſunt populi, abſoluti ſubditi inde oriuntur, qui necesſitate agendi in omnibus vtuntur. Ceterum qui antea liber populus erat, & poſt ſibi elegit imperantem, ibi certum & probabile eſt, eligentes vel ſaltem proceres ciuitatum ſibi maiorem reſeruaſſe libertatem, qui *ciues*, vel *ſtatus prouinciales* vocantur, quod vel ex rerumpublicarum Germanicarum ratione & ſtatu apparet. Alias quidem *ciues* dicuntur quoque illi, qui in Democratia concurrunt ad ſumma rerum, ſed itidem hoc intuitu, quod maiorem retinuerunt poteſtatem. vid. Pufend. *lib. 7. c. 2. §. vlt.* Submisſio voluntatis vtrobique adeſt, ſed diuerſo modo. Ægre hanc diuerſitatem admittit Hobbes, ſed experientia & ratio rerumpublicarum ipſi contrariatur.

(l) In hoc adhuc differentia conſpicua eſt a ſtatu vero Democratico, vel Polyarchico. Hic enim omnia iure Imperii per *concilium* vel *procerum*, vel *plurium* expediuntur: ſed ſtatus prouinciales, vel ciues in quibusdam tantum adhibentur in concilium, ita vt absque horum præconſultatione abſolute imperans nihil determinare posſit, in ceteris tamen adhuc ſubiecti manent, & parent imperio imperantis.

(m) Sub-

miſsione in ceteris actionibus, quibus intereſſe nequeunt.

§. XII. Hæc ſubmisſio voluntatis, quæ ſubditum conſtituit, afficit magis *perſonam* (m), quam *bona*, quo intuitu proprie non eſt ſubditus, qui ſub alio principe bona ſita habet.

§. XIII. Præterea illa ipſa ſubmisſio voluntatis in conſtitutis iam rebuspublicis non de nouo declarari præciſe debet, ſed *ipſo facto* cenſetur fieri, quo quis in diſtrictu & territorio imperantis commoratur, quia verſari in republica alterius, & noluiſſe ſe imperanti ſubmittere, hoſtilitas foret.

§. XIV. Atque adeo inde eſt, quod iudice Gro-

(m) Submittere voluntatem imperanti, eſt declarare, quod actiones ſuas in poſterum ad eius nutum in cauſis ad rempublicam pertinentibus inſtituere velit, & ſic ſubiectio ſupponit *perſonæ præſentiam ordinariam* ſub alicuius imperio, quo ſenſu quis ibi proprie ſubditus eſt, vbi habitat, & domicilium ſuum habet; non autem vbi tantum bona habet, quia ſuam voluntatem ibi non in omnibus ſubmiſit voluntati imperantis, licet ad leges *rebus* dictas in illa republica obſtrictus ſit.

(n) Alia ratio eſt *ciuitatis conſtituendæ*, quo caſu voluntas nonnunquam expreſſe declarari poteſt, ſed ciuitate iam conſtituta, natura ordinis non aliter patitur, quam vt qui vult commorari in eo diſtrictu, debeat ſe accommodare ad conditionem communem omnium, qui ibi commorantur. Nam & paterfamilias, qui ſuæ præeſt domui, his poteſt leges præſcribere, qui ædes ſuas intrare volunt.

(o) Con-

Grotio, peregrini, quamdiu in territorio aliquo commorantur, pro *ſubditis temporaneis* (o) habeantur.

§. XV. Quinam vero in claſſem ſubditorum ſint recipiendi, & inter reliquos ſubditos tolerandi, (p) imperans ſolus (q) determinat ex ſtatu

(o) Concluſio hæc fluit ex antecedentibus. Inde ius ſtatuendi in extraneos, extraneos ibidem delinquentes puniendi, eorum perſonam vel bona detinendi, quod *arreſtum* vocatur; ab extraneis ſubſidia exigendi, uſibus reipublicæ inſeruientia, illos excludendi a communi iure ſubditorum ſtricte dictorum &c. fluit; quatenus tamen eis tacite eſt conceſſa immunitas ſingularis, qualis *legatis* ſolet concedi, in eo merito ab aliis ſunt diſtinguendi. Ceterum a reliquis perpetuis ſubditis adhuc in eo differunt, quod nexu illo non contineantur, qui peculialiter, inter *ciues perpetuos* conſtitutus eſt.

(p) Recipere extraneos in claſſem ſubditorum eſt res *meræ facultatis*, receptos defendere, *neceſſitatis*, ſæpe receptio extraneorum poteſt eſſe damnoſa reipubl., quia mores ſubditorum ex commercio extraneorum corrumpi poſſunt, quod tunc inprimis attendi debet, ſi ingens multitudo in ciuitatem admitti petat. Romani quoscunque aſciſcebant ciues. Audiamus Ciceronem *orat. pro Cornel. Balbo*, vbi fatetur *nullam eſſe gentem ex omni regione terrarum, neque tam diſſidentem a populo R. odio quodam, atque diſſidio, neque tam fide beneuolentiaque coniunctam, ex qua nobis interdictum ſit, vt neque adſciſcere ciuem, aut ciuitate donare poſſimus.* Atque id ipſum ex Romuli inſtituto fluxiſſe videtur, per ea, quæ refert Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* vbi ſimul taxat græcorum mores. *Dum græcorum mores*, ait, *cum his confero, non poſſum vllo modo laudare*

ſtatu reipublicæ.

§.XVI. Poteſt tamen libertas ſubditos quoscunque recipiendi reſtringi vel fœdere (r) cum aliis gentibus inito, vel alio pacto publico, (s) vel

laudare illam conſuetudinem Lacædemoniorum & Thebanorum & Athenienſium, qui de ſe ob ſapientiam magnificentisſime ſentiunt: qui quod ſuam nobilitatem retinere vellent, nec vlli, niſi raro iura ſuæ ciuitatis impertirentur, (illud enim omitto, nonnullos etiam ſolitos eſſe hoſpites expellere) non ſolum nihil commodi ex hac ſua arrogantia perceperunt, ſed etiam maxima propter eam damna perceperunt. Damna ipſa in ſequentibus refert, quæ recenſere ſuperſedeo. Terrarum Brandenburgicarum ſtatus florentisſimus non minimum incrementum accepit ex peregrinorum receptione, quos tam indulgentisſime habet habuitque Rex noſter potentisſimus, qui Boruſſorum ſceptra tenet, vt fere dicere posſis, quæ incommoda ex exterorum receptione metuenda ſint, compenſari inſigni accesſione commodorum, quæ Reſpublica inde percipit.

(q) Magiſtratus inferioris non eſt, recipere ſubditos, quos imperans lege publica recipere prohibuit. Inde vnice ratio petenda, quod receptio iudæorum principum regalibus adnumeretur. Cum enim tolerantia iudæorum ex principiis clericalibus ſemel generaliter interdicta ſit, vti oſtendi diſſ. *de caut. iudæor. tolerant.* inde ſi recipiuntur, ex ſola diſpenſatione recipiuntur, quæ *principi*, non *magiſtratui inferiori*, competit.

(r) Tale exemplum adfert Cicero *orat. pro Cornel. Balbo*, inquiens: *quædam fœdera extant, vt Germanorum, Inſubrium, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum eſt, ne quis eorum a nobis ciuis recipiatur.*

(s) Huc referre ſolent diſpoſitionem inſtrumenti pacis, qua

vel lege fundamentali imperii. (t)

§. XVII. Recepti ſubditi ſolent quidem ordinarie *homagio* obſtringi, ſed id non neceſſitatis abſolutæ, (tt) ſed meræ tantum ſecuritatis gratia fieri ſolet.

§. XVIII.

qua cautum eſſe volunt, principes imperii hæreticos recipere non poſſe, quales omnes illi iudicandi, qui a tribus illis approbatis religionibus recedunt, & alii ſectæ v. c. Socinianorum, Arrianorum adhærent: Ita enim in I. P. *art. VII. in f.* diſponitur: *præter religiones ſupra nominatas nulla alia in ſacro imperio Romano recipiatur vel toleretur.* Sed obſeruarunt iam alii, *vſum ſacrorum peregrinorum* hic prohiberi, non *receptionem hominum*, his ſacris addictorum, ſi absque vſu ſacrorum publico in prouincia vel territorio degere velint.

(t) Huiusmodi lex fundamentalis erat itidem apud Romanos, vti oſtendit Cicero *Orat.* pro Cornel. Balbo vbi ait: *Nos non poſſumus & huius eſſe ciuitatis: & cuiusuis præterea: ceteris conceſſum eſt.* Qui ergo aliarum ciuitatum ciues manebant, non poterant ciues R. fieri. Pomponius Atticus, ne ius ciuitatis Romanæ amitteret, ciuis Athenienſis fieri recuſauit, Cornel. Nepos *in eius vita.* Lege vero fundamentali id prouiſum eſſe, itidem oſtendit Cicero *cit. l. O iura præclara atque diuinitus iam inde a principio Romani nominis a maioribus noſtris comparata, ne quis noſtrum plus quam vnius ciuitatis eſſe poſſit; diſſimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat neceſſe eſt.* Sic itidem per leges publicas imperii non ſunt tolerandi Zingari, vulgo *Ziegeuner*, genus hominum turpe & nefandum, quod variis legibus publicis cautum eſt. vid. Dn. Hertius *de ſubiect. territ.* §. 10.

(tt) Non ideo quis fit ſubditus, quia homagium præſtitit, ſed

§. XVIII. Sed præter homagium etiam aliis indiciis ſubiectio ſolet & poteſt probari, ſi ſcil. membra alicuius ciuitatis actus imperii in ſe admiſerint, admittendo enim alterius in ſe imperium, (u) tacita ſubmisſio inde deducitur.

§. XIX.

ſed per homagium illi; qui iam ſunt ſubditi, publice profitentur, quod ſint ſubditi. Solet proinde homagium tanquam *indicium ſubiectionis* adhiberi, ſi dubius ſit ſtatus ſubditorum. Neque vero heri aut nudius tertius hæc ſolennis homagii præſtatio inualuit, ſed iam antiquisſimum eſt inſtitutum. Apud Athenienſes, qui in numerum ciuium cooptabantur, in hæc verba iurare debebant: *Non ignominia afficiam arma ſacra, neque deſeram meum adſtitem, quocum iunctus fuero. Dimicabo pro ſacris & profanis ſiue ſolus ſiue cum multis. Patriam non relinquam in deteriori ſtatu, ſed ampliori meliorique, quam acceperim. Semper magiſtratui præfecto prudenter obediam, & legibus conſtitutis parebo, atque aliis quibuscunque plebis conſenſu decretis. Quodſi quis leges vel irritas facere vel eis non obtemperare velit, non concedam, ſed vlciſcar tam ſolus, quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum mihi Dii teſtes & conſcii ſunto.* Io. Stobæus *ſerm. XLI.* Iul. Pollux *lib. VIII. Onomaſt. c. 9. n. 25.*

(u) Neceſſarius reſpectus eſt inter *imperium* & *ſubiectionem*; qui admittit alterius imperium ſupremum, eo ipſo libertatem ſuam negat. Huc refero (1.) ſi pareat ciuitas quædam mandatis emisſis alicuius imperantis; (2.) Si pœnis eiusdem ſe ſubiecerit; [3.] Si comparuerit ad Diætas prouinciales, ad ſequelam &c. [4.] Si collectas *ex imperio* impoſitas ſoluerit &c. quæ materia ſæpe occurrit in cauſis exemtionis, quia hisce & ſimilibus probatur *exemtio*, qua probata, exemti ſunt ſubiecti imperio eximentis.

x) Sic

§. XIX. Sed caueas, ne a *titulis* vel aliis externis *ſignis* (x) ſubiectionem petas, ſi cetera, ſubmisſionem voluntatis denotantia, deſint.

§. XX. Fluit quoque ex hactenus dictis nullo iure *Clericos* exemtionem a ſtatu ſubditorum prætendere poſſe, (y) cum fruantur Reipublicæ commodis, & in ciuili ſocietate viuant.

§. XXI. Imo quacunque etiam dignitate quis præfulgeat (z) ſiquidem in Republica quadam

(x) Sic quando *reuerentiæ* intuitu ciuitas principem extraneum ſalutat *unſern gnädigen Herrn*, inde nulla infertur ſubiectio. Quando Electores ad Cæſarem ſcribentes ſe nominant *allerunterthänigſte Churfürſten*, quando a Cæſare per mandata euocantur, quando Cæſar dicit: *VVir befehlen euch Churfürſten* &c. hæc & ſimilia plane non conueniunt cum libertate præſenti ſtatuum imperii, licet olim conuenerint: non enim infrequens eſſe ſolet, vt formulæ antiquæ & ſtylus curiarum durent, licet ſtatus Reipublicæ iam mutatus ſit. Merito itaque ſtatus Reipublicæ non vnice iudicandus eſt ex huiusmodi externis rerum figuris, ſed potius hæ formulæ iam aliam interpretationem accipiunt ex *præſenti ſtatu*. Sane ignorantiam ſummam profiteretur, qui hodie ex formula iuramenti a ſtatibus imperii præſtari ſolita, *treu hold gehorſam und gewärtig ſeyn*, ſubiectionem eorum concludere vellet.

(y) Plenius hoc Dn. Cocceius *de Poteſt. fundat. in territ. c. 2.* ex omni antiquitate & rationibus naturalibus & eccleſiaſtica praxi illuſtrauit, & ſupra quoque de ea iam actum eſt.

(z) Sic multi principes in Gallia, Bohemia &c. item comites aliique ſubſunt imperio imperantium, licet dignita-

quadam viuit, ſubditorum claſſe eximi nequit, cum deſtitutus adhuc ſit libertate naturali, & agnoſcat imperium alterius.

§. XXII. Neque ordinarie aliud dicendum de *vxore* (a) *imperantis*, *liberis* ceterisque *cognatis*, niſi

gnitatem ſingularem habeant, quamuis ita non ſtatim in *infimam ſortem ſubditorum* ſint abiiciendi, interim cum non ſint liberi ab imperio imperantis, manent vtique dependentes, & ratione imperantis *ſubditi* ſunt.

(a) Quærunt publiciſtæ, an Auguſta ſit ſubdita? id quod negant, quod ſit ſocia thori; ſed hoc quidem quoad rationem *matrimonii* certum eſt, propterea tamen non ſtatim eſt *ſocia imperii*, nam actus omnes imperii in ſolo imperante reſident, atque adeo non dubium, quin poſſit iurisdictionem in eam exercere, qua *imperans*. Quid enim ſi de *adulterio*, vel *inſidiis vitæ mariti ſtructis* ſuſpecta ſit? Adſunt non pauca exempla imperantium, qui ob has & alias rationes ius vitæ & necis in vxores exercuerunt. De liberis idem dicendum. An etiam in patrem vel matrem? Nec hoc negauerim. De Fabio maximo Plutarch. in *Apophthegm. Rom. p. m. 196. lit. a.* hoc refert, quod ſenectute eius ingraueſcente, cum filius eius conſul in publico magna hominum frequentia officio fungeretur, conſcenſo equo ad eum adiuerit. Sed cum filius miſſo lictore deſcendere eum ex equo iusſiſſet, reliquis pudore affectis, deſiluit ex equo, at contentiore, quam ætas ferret, impetu accurrit ad filium, amplexusque eum, *recte*, inquit, *ſapis*, *fili*, *ſentiens*, *quibus præſis*, & *quantam imperii maieſtatem adeptus ſis.* Conf. Liuius *lib. XXIV. c. 43.* Hodiernum exemplum Reginæ Angliæ oſtendit, imperaſſe eam, qua *Reginam*, marito vt *ſubdito*. Quod hodie in Germania Principibus

niſi quod quædam libertas & exemtio iis indulgeri ſoleat.

§. XXIII. In eo quoque eſt differentia ſubditorum, quod quidam *immediate* pareant, quidam *mediate*: [b] Hi ſubſunt aliis, qui tamen itidem intuitu imperantis pro ſubditis habentur.

§. XXIV. Ex quo fluit, mediatos non amplius eſſe ſubditos ei, cui olim mediate ſubiecti erant, quando ille, cui immediate ſubiecti ſunt, non amplius ab imperio ſuperioris dependet, ſed ſuam libertatem recepit. (c)

§. XXV.

pibus denegetur imperium in apanagiatos, magis eſt ex antiqua obſeruantia, quam ex iure vniuerſali. Aſt in Gallia res ſecus ſeſe habet.

(b) Sic multi nobiles habent ſuos ſubditos *ihre Vnterthanen.* Quando nunc quæritur cui adſtrictius obligentur, ſine dubio pro *imperante ſummo* eſt pronunciandum, quia huic ipſe nobilis ſubeſt. Interim cum hic quædam ſubordinatio adſit, cauendum, ne ſubordinatio euertatur. Obtinuit olim hæc diſtinctio in Germania, vbi terræ quædam fuere *mediatæ* quædam *immediatæ*. In illis incolæ vel ſubditi ſub ducibus erant, hi autem ſub Rege.

(c) Id iam applicari poteſt ad noſtrum imperium. Communiter dicunt ſubditos imperii ſub ſtatibus degentes eſſe *mediatos*, item ciuitates eſſe vel *mediatas* vel *immediatas* &c. Quæ omnia ſi ſenſu proprio ſecundum §. *anteced.* eſſent intelligenda, ſequeretur, vt ipſi ſtatus adhuc eſſent ſubditi, quod neutiquam aſſerendum. Unde & in quæſtione, *cuinam ſubditi magis obligentur, an Imperatori, an Principi ſuo?* facilis ſane eſt deci-

 ſio,

§. XXV. Non mutatur ſtatus ſubditorum, mutata perſona Imperantis; licet enim huic ſubmiſiſſe tantum ſuam videantur voluntatem, tamen cum reſpublica per obitum imperantis non intercidat, ſed maneat eadem, manet quoque ſtatus ſubditorum idem, (d) qui ante fuit.

§. XXVI. Si autem in totum extincta ſit linea imperantis, cui ius imperii quæſitum, populus vel omnis, ſi *æqualis* eſt conditio omnium, vel ſaltem ſtatus Reipublicæ, ſi *inæqualis*, redeunt ad primæuam libertatem (e) quam vel

ſio, quod huic magis obligentur, quia huius intuitu proprie ſunt ſubditi. Et licet hodie ex antiqua forma nomina retineantur, ſufficit tamen, quod mutata iam ſit rerum facies.

(d) Huc pertinet illud Taciti *Lib. IV. annal. Principes mortales, Rempublicam æternam*, quod eo magis obtinet, ſi iure ſucceſsiuo imperium certæ familiæ deferatur. Cum ergo ex primæua ſubmisſione ſemel ſubditi ſint, cuicunque habenas tenenti parere debent, ſiue iam ex familia ſit, ſiue voluntate ipſius imperantis alii imperium delatum, modo pacta non reſiſtant. Sic itaque, qui territorium cum omni iure pignoris detinet, itidum exercet poteſtatem, & ſubditi huic parere debent, quod etiam dicendum de eo, qui *ſequeſtri iure* Reipublicæ præeſt; licet enim vterque non habeat ſummam poteſtatem *proprio iure*, ſed ex conuentione, ſubditorum tamen conditio ſemper manet eadem, cum imperium duret, quamuis per aliam perſonam nunc exerceatur.

(e) Eſt neceſſarius reſpectus inter ſubditos & imperantem. Hoc ergo ceſſante, deeſt, cui ſubmittant voluntа-

vel retinere, vel de nouo imperium alicui deferre valent.

§. XXVII. Idem dicendum, ſi plures prouinciæ antea inter ſe diuerſæ, poſtea ſub vno capite coaluerint, & hactenus vnum quoddam corpus conſtituerint, tunc ſingulæ liberæ & ſui iuris erunt, (f) niſi de nouo in idem conſentiant imperium & nexum.

§. XXVIII.

luntatem, atque adeo conditio ſubditorum mutari poteſt, præſertim *potentiorum*, quod contigit in noſtro imperio, extincta domo Carolingica. Item in Franconia & Sueuia extinctis ducibus, quo ipſo plures ciuitates ad libertatem redactæ ſunt, non quidem omnimodam, ſed ne amplius ducum poteſtati ſubeſſent.

(f) Exemplum extinctæ lineæ imperantis Germania nouit anno 912. in *Ludouico Infante*. Prouinciæ antea cohærentes liberæ, & ſui iuris factæ fuiſſe videntur i. e. *potuiſſent*, ſi *voluiſſent*, & ſi expediuiſſet, *ſuo iure* vti, & in plures abire particulares, & a ſe diſtinctas, vel ſolum nexu ſyſtematico confœderatas Respublicas; ſed an hoc factum fuerit, quæſtio facti eſt, & ex hiſtoriis decidendum. Circumſtantias autem temporum perſcrutanti apparebit, omnino veroſimilius eſſe, reſpublicas illas Germaniæ in priſtinam rediiſſe ſortem, electo Conrado, cui cum nihil iuris detractum ſit, idem, quod anteceſſores habuere, legitime exercere potuit, vti præclare docuit Dn. Gundeling *de ſtatu Reip. German. ſub Conrado I. §. 4.* vtque adeo ab hoc æuo ſuperioritatis territorialis initia peti nequeant, ſed longe ex aliis cauſis, quas pereruditæ explicat Dn. Hertius *de orig. & progreſſ. ſpecial. Rom. Germ. Imper. rerumpubl.* Quin cum non omnes

§. XXVIII. Tunc autem reuera recedunt a ſtatu ſubditorum, ſi imperio imperantis non amplius proprie ſubſunt, nec ſuam volunta- tem ſubmittere tenentur eius voluntati, ſed libere agunt, (g) licet figura antiqui imperii ſuperſit.

§. XXIX. Sed etiam alii modi ſunt, quibus conditioni ſubditorum prouinciæ ſe eximere poſſunt, ſi internis ſeditionibus coactus im- perans in libertatem conſentire debuit. (h)

§. XXX. Status ſubditorum inter ſe, quo æqualior eſt, (i) eo magis tranquillitas Rei- publi-

æquali iure a regibus Franciæ acquiſitæ, & ſub iugum redactæ ſint prouinciæ, dubitari poſſet, an quoque o- mnes & ſingulæ poſſent fieri liberæ.

(g) Sic itaque *ſtatus* imperii non amplius ſunt *ſubditi*; nam (1) non dependent ab imperio Cæſaris, ſed in ſuis territoriis libere agunt, omnia iura imperii exer- cent, nec (3) proprie illis Cæſar imperare poteſt, quin potius (4) ipſimet coimperant, (5) quo nomine Cæſari adhuc obſtricti ſunt, magis eidem obſtringuntur *ex pa- cto* & vt *Vaſalli*, quam vt *ſubditi ſeu vi imperii.*

(h) Sicuti enim per bellum imperia ſæpe conſtituuntur, ita ſæpe prouinciæ ſe in libertatem vindicant. De iu- ſtitia huius vindicationis ex circumſtantiis diiudican- dum.

(i) Inæqualitas mater litium eſt, & ſemina ſeditionis pa- rit, quo magis paucorum potentia creſcit: eo minus ſecura eſt imperantis gubernatio, quod bene explicat Forſtner *in not. ad Tacit. p. 1. p. 143. ſeqq.* Vnde in Re- publica Hebraica maxima æqualitas ſemper fuit, do- nec in Regium ſtatum degeneraret.

(k) Inde

publicæ obtinetur, cum ita *jure æquali* fruantur.

§. XXXI. Sicuti vero per ambitionem pleræque ciuitates ortæ, ita fieri aliter vix potuit, quin etiam inæqualitas inter ipſos oriretur ſubditos, cum enim omnia per ambitionem regerentur, neceſſarium erat, vt *inſtrumenta ambitionis* (k) ex ſubditis adhiberentur, quibus *præeminentia* præ aliis indulgebatur.

§. XXXII. Sic & *famæ* & *exiſtimationis* valor inter ciues (l) maxime vigere vel vileſcere incipit,

(k) Inde eſt, quod in rebuspublicis regiis plus valeat *potentia* inter ipſos ſubditos, plus per *ambitionem* agatur, quia hi, qui ad regimen ſimul adhibentur, & ſimul quandam prærogatiuam habent, *proceres* dicuntur, item *nobiles*: ceteri, *ſerui* vel *ignobiles*. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Imperat hic, præcellit ceteris, ergo quos rex adhibet ad adminiſtrationem regiminis, prærogatiuam quærunt, quaſi imaginem imperantis gerentes, vnde nobilitas prima in rebuspubl. orta. Sic Romulus ſtatim ſub auſpiciis regni ſubditos in *patricios*, qui *proceres* erant, & *plebem*, qui infimæ conditionis homines, diuiſit; ſed euentu apparuit, multa mala ex hac notabili inæqualitate orta eſſe.

(l) In ſtatu ciuili homines ſunt *famæ integræ*, vel *diminutæ*, quod ex iudicio aliorum dependet, quod in ſtatu naturali ceſſat. Contemtus quidem aliquis inter gentes ex turpi facto oritur, v. c. qui pacta non ſeruat, qui pacem vel fœdera frangit, ſed vt talis infamis fiat proprie, dici nequit, licet id quidem Pufend. *Lib. 8. c. 4. §. 5.* exiſtimet. Semper enim in ſtatu naturali actionum ſuarum quilibet cauſas iuſtificas alle-

cipit, prout nimirum quis ex vita ſua vel inter *optimos ciues* haberi vel non haberi meritus eſt: nam in ſtatu naturali ceſſat hic valor, quia iudicium alterius in alterum ceſſat.

§. XXXIII. Et hinc potiſſimum in ſtatu ciuili attenditur diſtinctio: vtrum quis ſit integræ famæ nec ne? ad effectus ſcil. ciuiles, quatenus in corpore ciuili ei valor (m) quidam attribui debeat.

§. XXXIV. Sed & hi, qui integræ exiſtimationis ſunt, ex *impoſitione imperantis* (n) cœpeperunt inter ſe diſtingui quoad valorem ciuilem,

gare poteſt, quæ an veræ, an falſæ ſint, nullius iudicio *deciſiuo* determinari poteſt.

(m) Valor quidem proprie prædicatur de rebus in commercio poſitis, quæ certam æſtimationem ex impoſitione humana habent, ubi quædam res ſunt, quæ nullum valorem & pretium habent; aliæ autem valorem quendam, ſed variantem habent. Sic etiam in ciuitatibus ciuibus aliquis valor inter ſe attribui cœpit, & alius quidem *communis*, propter quem in genere in ſubditorum numero haberi poteſt, cui opponuntur iſti, qui per turpia facta communem valorem amiſere, vt propterea in rebuspublicis pro putido membro haberi debeant, & quaſi nullius pretii ſint, adeo vt collegiis, aliisque honorificis actionibus intereſſe non poſſint.

(n) Omnis hic valor *aduentitius* eſt, non *naturalis*, vti antea monitum, & hic valor aliis maiorem tribuit dignitatem, & maiorem efficaciam in negotiis ciuilibus, id quod ex particularibus rerumpublicarum ſtructuris metiendum.

[o] Sic

lem, ſecundum quem alii aliis præferuntur, & vt alii iis cedant, *iure perfecto* exigere poſſunt, quo ipſo factum, vt certæ leges de *proëdria* ſint introductæ.

§. XXXV. Hic valor potisſimum ſeſe exſerit in excellentiori gradu honoris, & vel *ſanguini* [o] in genere tribuitur ab imperante, diciturque *dignitas natiua*, omnibusq; liberis cohæret, vel pro meritis perſonarum imponitur, & cum perſona extingui ſolet, niſi ad liberos primos ſimul lege protrahi cœpit.

§. XXXVI. Quemadmodum autem valor hiſce ſubditis ab imperante impoſitus tantum concernit *ciues* inter ſe ratione reipublicæ, in qua ſunt poſiti, ita euidens eſt, extra rempublicam valoris huius nullam haberi rationem, ſed *ius* tantum *imperfectum* (p) producere.

§. XXXVII.

(o) Sic nobilitas ſanguini cohæret, & ſecundum varias diſpoſitiones rerumpublicarum variat, variaque iura habet, quæ ex iure publico particulari addiſcenda ſunt. Generatim prærogatiua eorum in eo conſiſtit, quod maiori libertate gaudeant, nec in infimam conditionem ſubiectorum abiecti ſint.

(p) Hæc concluſio fluit ex poteſtate circumcluſa territorio ipſi. Nobilis Gallus prærogatiuam, quam in Gallia habet, non poteſt *iure ſuo* prætendere in Germania, niſi forſan, vti communiter fieri ſolet, ex *complacentia* eidem tribuatur, nec ſi nobilis Gallus & Germanus in tertio loco concurrant, prætendere hic poteſt, vt ille ei cedat, quia prærogatiua rempublicam non egreditur.

(q) Banni-

§. XXXVII. Sic etiam, qui infamis inter ſuos eſſe cœpit, non ſtatim apud alios extra rempublicam (q) in eodem ſtatu conſideratur.

CAP. II.
De
Obligatione ſubditorum intuitu imperantis.

§. I.

OBligatio ex natura *imperii* & *ſubjectionis* potiſſimum conſiſtit in *neceſſitate agendi ex imperantis præſcripto*, quæ alias dicitur *obedientia*.(r)

§. II.

(q) Bannitus extra imperium poteſt a Rege Galliæ ad omnes admitti honores, quoniam infamia ſe non extendit vltra territorium, quod etiam in relegatis cum infamia ex academiis dicendum eſt. Et ſi vel maxime infamia perpetuo & vbique perſonæ cohæreat, poſſet tamen extra rempublicam ab alio imperante aboleri ad effectum, ut intra ipſius territorium ad omnes dignitates admitti queat.

(r) Imperans ſe refert ad ſubditos, ex cujus imperii indole ſequitur, ut ei ſit obediendum, adeoque inde ſtatim regula juris: *imperanti pare*. Si enim ei non eſſet parendum, non foret imperans. Quin cum respublica tota hac mutua relatione cohæreat, & præterea ſocietas inæqualis ſit, *obedientia* per ſe inde fluit. Inane foret imperium ſine obedientia. Non ſunt ſubditi, qui ad obedientiæ leges non ſunt adſtricti, licet imperans quidam quoad *nomen*, non quoad *rem* in tali republica detur: Apud Germanos antiquos fuere reges *autoritate magis ſvadendi quam imperandi*: ergo nec

§. II. Dependet hæc ipſa obligatio ex *ſubmiſſione voluntatis* & *agnitione imperantis* (s) quæ ſi in totum deficiat, obligatio quoque ceſſat.

§. III. Et quia hæc obligatio ſaluti humani generis proſpicit, & ex præcepto legis naturæ venit, & præterea in ſtatu civili abſolute neceſſaria, hinc etiam ſtringit conſcientiam. (t)

§. IV.

go nec ſubditos proprie dictos habuere, cum non *vi*, ſed *precibus*, non *imperio*, ſed *conſilio* omnia peragere debebant. Prout itaque ratio imperii ſe habet, ita quoque de *ſubiectione* iudicandum.

(s) Ab initio quidem reſpublicæ plerumque violenta ſubiectione ortæ ſunt, ſed, iis ſemel introductis, omnes, qui rempublicam intrant, ſe ſubmittere, & imperium imperantis agnoſcere tenentur. Imo qui antea liberi populi erant, ſtatim obligationem hanc ſubeunt, quoties ſe voluntati vnius ſubiiciunt. Et ſic obligatio hæc *ex pacto* quoque *tacito* deduci poteſt, prout ſupra id expoſitum. Imo ne quidem ſubmiſſio ſufficit, ſi ne quidem ab imperante recipiuntur. Sic Afri cum Pœnis bellum gerentes ad Romanos confugerunt & *futuros ſe ſub imperio Romano dixerunt, ſi illis videatur, non ſunt tamen recepti.* Appianus *de bello Punic. p. 7. edit. Amſt.* Sic quoque victi in bellis ſe ſubmittere victori tenentur. Quamdiu adhuc reſiſtunt *hoſtes*, non *ſubditi* ſunt, atque adeo ceſſat omnis ad parendum obligatio. Neque hæc *obligatio* pro inani habenda, quod *violenta* ſit, cum vis in ſtatu belli pro *iniuſto* medio haberi nequeat, quippe quod inter gentes, vt licitum medium acquirendi imperia, receptum.

(t) Id ipſum eſt, quod Paulus inculcat *Rom. XIII.* conf. Grot. *lib. 1. c. 4. §. 4.* Obligatio *in conſcientia* dicitur, quæ ſimul internam obligationem inducit, ut ſi contra agamus, Deum lædamus, omnis boni ordinis au-

torem

§. IV. Comprehendit autem hæc obligatio neceſſario in ſe (t) *renunciationem omnis reſiſtentiæ*, quæ in ſtatu naturali obtinuit, (u) cum renitentia pugnet cum obedientiæ vinculo.

§. V.

torem & approbatorem. Cum itaque hæc obedientia in hominum ſalutem a Deo approbata ſit, non poteſt non inobedientia Deum lædere. Accedit, in ipſa felicitatem totius reipublicæ contineri, quam ſupra in vnione quæſivi, hanc autem non aliter obtineri poſſe euidens eſt, quam ſi omnium voluntas imperantis voluntatem ſequatur, id quod per obedientiam fit. Optime hoc animaduertit Ageſilaus, qui interrogatus, quam ob cauſam Spartani aliis feliciores eſſent? reſpondit: *Quia plus quam alii ſe exercent imperando & obediendo.* Plutarchus *in apophthegm. Lacon. p. m. 212.* Idem quoque Agis Archedami filius interrogatus, *quænam diſciplina maxime Spartæ exerceretur?* corroborauit, reſpondens: *peritia imperandi & parendi* Id. *ibid. p. 215.* Eleganter id ipſum Chryſantus apud Xenophontem *L. VIII. Cyrop. p. m. 201. lit. a. b. c.* illuſtrauit, & inde perpetuam rerumpublicarum felicitatem deduxit his verbis: *Cogitate, quænam Vrbs hoſtium ab iis capi poſſit, qui nolint imperio parere? quæ amicorum Vrbs conſeruari poſſit ab iis, qui nolint imperio parere? qui militum contumacium exercitus Victoria potiri poſſit? quonam modo facilius poſſint in prœliis homines Vinci, quam Vbi ceperint ſeorſum ſinguli ſalutis propriæ conſilia capere: quid aliud rei præclaræ perfici poſſit ab iis, qui ſe potioribus haud parent? quæ Vrbes legitime adminiſtrentur? quæ domus ſeruari queant? quo pacto naues eo perueniant, quo tendunt? Nos ipſa ea commoda, quæ modo nobis adſunt, quanam alia ratione magis comparauimus, quam principi parendo &c.*

(u) In ſtatu *naturali* homines æquales ſunt, ergo ad reſiſtendum

§. V. Quibus poſitis perſpicuum eſt, populum, qui imperio alterius paret, nullam retinere maieſtatem ſeu ſummam poteſtatem, (x) id quod ſtatuunt Monarchomachi.

§. VI.

ſtendum procliues, inde *bellum*. Sed in ſtatu *ciuili* neceſſario a ſtatu illo renitendi recedendum fuit, alioquin potius diſſociata multitudo, quam ciuilis ſocietas foret & ſtatus belli non ceſſaret. Accedit, quod obedientia ſtatim ceſſet, ubi reſiſtentia poteſt locum habere.

(x) Contradictionem inuoluit ſubditos habere quandam maieſtatem h. e. ſummum imperium, & tamen eos debere obedire, eosque renunciaſſe reſiſtendi facultati. Monarchomachi id ideo aſſerunt, vt populo ius tribuant inſurgendi contra imperantem, ſi male agat, ſic enim putant, populum ſuperiorem eſſe, qua ſententia perniciloſior in hac diſciplina reperiri non poteſt. Nec obſtat, quod imperium *propter populum* ſit, & ſic ex nobilitate finis populus ſuperior judicari debeat, nam hoc tantum ad *officium imperantis* pertinet, quomodo ipſe debeat eſſe comparatus, non vero ad *ius populi.* Sic & pater vtilitatem liberorum quærit, non tamen liberi ſuperiores ſunt, & patri reſiſtere poſſunt. Inde non poſſunt non arma ſubditorum contra imperantem mota iuri publico vniuerſali repugnare. Cum contra Emericum Hungariæ regem a fratre Iuniore Andrea arma ſumta & ſubditi ad ſeditionem deducti eſſent, & iam res ad prœlium ſpectaret, Emericus depoſitis armis & ſtipatoribus, corona ſceptroque ornatus per mediam aciem ſeditioſam inceſſit, illamque his verbis compeſcuit: *Non cum mortali vobis res eſt, miſeri, ſed cum eo, cui præ diuina dignitate ſupra mortalitatem aliquid accedit. ſub omnipotentia Dei tutela reges degunt, quorum læſa Maieſtas vix populo-*

§. VI. Sed voluntatum ſubmiſſione ſemel facta imperanti etiam *duro*, *impio*, & *infideli* parendum, (y) nec ſub prætextu *impietatis* aut *hæreſeos*

populorum exitio expiari poteſt. Bonfinius *rer. Hungar. decad.* 2. *l.* 7.

(y) Contrarium plures antiquitus cenſuerunt, tam Ethnici quam Chriſtiani. Satis notanter ait Seneca *in Herc. fur. Victima haud villa amplior poteſt, magisque opima mactari Ioui, quam rex iniquus.* Clerus Romanus ad ſtabiliendam ſuam poteſtatem populo impie perſuadere tentauit, regem impium, h. e. *a clero non dependentem*, non eſſe regem. Sic Nicolaus Pontifex Lotharium regem eſſe negat propter commiſſum adulterium, *ſi tamen*, ait, *rex veraciter dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrænat, ſed lubrica eneruatione magis illicitis eius motibus cedit c.* 21. *c.* 2. *qu.* 1. Similia in patrum ſcriptis paſſim obueniunt. Hoc intuitu Clerici autores fuiſſe videntur, vt reges electi iurare & ſolenniter promittere neceſſum haberent *de pietate & iuſtitia conſeruanda*, vt ſi regem impium deprehenderent, iam amplius eidem ſubditos non obligari crederent, qualis eſt impia Roſſæi philoſophia. quin talem regem impium *Tyrannum* eſſe allegabant, hunc autem legitime a quouis interfici poſſe, imo interfectorem adhuc præmiis affici debere voluere. Atque hæc philoſophia eſt illa peſtis nefanda, quæ tot rerumpublicarum euerſionem procurauit, ſuffragante clero impio. Magis ſobria certe philoſophia veterum Chriſtianorum fuit, qui Iuliano Apoſtatæ non denegauerunt obedientiam ob apoſtaſian. Ab hac impia ſententia profluxerunt ſeditiones & bella ciuilia, quæ tamen iudice Plutarcho *in Bruto c.* 17. *peiora & deteriora ſunt tyrannide & iniuſto imperio.* Breuiter, ſicut princeps propter impietatem non amittit imperium, ita ſubditorum obligatio durat. Si amitteret illud,

vel

hæreſcos (z) ei obedientia deneganda.

§. VII.

vel ex *natura ſtatus ciuilis* hoc fieri dicendum eſſet, quod abſurdum, cum potius ſtatui ciuili eiusque quieti repugnet, vel *ex praecedente pacto*, quod tamen hic deficit, & ſi vel maxime adſit, deeſt tamen, qui de eo iudicare posſit, cum populus *proprio iudicio* ſe obligationi eximere nequeat.

(z) Romanæ aulæ ius publicum aliud docet, quod ita principes Hierarchiæ & iugo cleri ſe ſubducant, & quaſi rebelles fiant, quod dogma mirifice excoluerunt ab omni tempore hi, qui ſocietatem Ieſu profitentur. Bellum omnibus regibus hæreticis grauisſimum indixit iam olim anno 1592. VVilhelmus Roſſæus, vel, qui ſub hoc nomine latitat, Gilbertus Genebrandus in tr. *de iuſta reip. Chriſt. in reges impios & hæret. poteſtate*, vbi reges hæreticos non eſſe reges, ſed excommunicandos, imo bello perſequendos contendit. Quantas turbas ſeditionesque hoc impium dogma excitauerit, hiſtoriæ omnium ſeculorum loquuntur. Facile vero apparet, hoc dogmate nefando aulam Romanam tantum intendiſſe, imperantium poteſtatem ſupremam ſupprimere regiaque ſceptra pedo ſuo ſubiicere. Eſt in bibliotheca regia Berolinenſi Codex MStus Gratiani antiquisſimus, ſeculo XIII. manu elegante in membrana conſcriptus, vbi prima litera decreti Gratiani, H. ſcilicet, in parte ſuperiore Pontificem, altera manu benedicentem, altera manu faſciam quandam tenentem: in parte infima literæ, imperatorem altera manu gladium, altera prædictam faſciam apprehendentem repræſentat, ipſi faſciæ vero hic notabilis & ſimul faſtuoſus verſiculus inſcriptus legitur:

Rex ego ſum regum, lex eſt mea maxima legum.
Te facio regem, tu rectam dilige legem.

qua ſententia totum ius publicum aulæ Romanæ, vniuerſali e diametro contrarium, depingitur, inſimulque

§. VII. Multo minus Pontifici vel vlli alii poteſtas erit, vinculum obedientiæ, quo ſubditi conſtringuntur, relaxandi. (a)

§. VIII.

que oſtenditur, Reges tam diu reges eſſe, quamdiu *rectam* diligant *legem*, h. e. cleri Romani placita. Vtinam vero omnes eodem auſu pontifici reſtitiſſent, quo Philippus Pulcher Bonifacio VIII! ſed forſan in aliis non defuit voluntas, quin ſubditorum ſuperſtitio executionem impediuit. Hæreſis, nec religio ipſa, quæcunque ſit, ſtatum publicum tollit, mutat, aut eam afficit, & res conſcientiæ eſt, quæ ſicuti ſubditis eſt relinquenda, ita eadem libertate imperantes multo magis frui debent. Eſt hæreſis *diſſenſus a religione dominante*, & ita nouam *ſectam*, vel, vt loquuntur, *nouam religionem* conſtituit, quæ iura imperii non concernit, cum ethnici reges idem imperium, quod Chriſtiani gerunt, optimo iure exerceant.

(a) Vinculum obedientiæ eſt ex propria ſubditorum ſubmiſſione, qua imperanti ſimul poteſtatem in ſe dederunt. Aut itaque imperantes alteri ſubſunt, aut non. Priori caſu non ſunt imperantes, cum poſſint a ſuperiori deponi & actionum ſuarum rationes eidem reddere teneantur: Poſteriori deficit ſuperior, qui vinculum ſubiectionis in ſubditis tollere poſſit. Equidem Pontifex imperium in imperantes ſibi arrogat, & vi huius tot imperatores excommunicauit, ſubditosque a vinculo ſubiectionis abſoluit. Aſt talis relaxatio *iuri vniuerſali* e diametro repugnat, quod ſingulis rebuspublicis *independentiam* tribuit, & hactenus monſtroſa illa Monarchia, cui etiam reges colla ſubmittere deberent, ab omnibus ſeculis ita impugnata eſt, vt quæ a Pontifice acta ſunt, *vi*, *aſtutia* & *ſubdolis artibus* geſta ſint. Nulla grauior peſtis rebuspubl. imminere potuit, quam hæc ſacra Tyrannis, quæ Monarcho-

§. VIII. Et in hoc principio naturaliſſimo conſenſerunt omnes, quibus curæ cordique ſalus reipublicæ fuit, nec ſtudio Hierarchiæ abrepti ſunt. (b)

§. IX.

narchomachismum adhuc ſuperat, cum prætextu *autoritatis diuinæ* adhuc inſtructa ſit, quæ facile vulgus ſuperſtitione captum decipere poteſt. Senſit Germania hanc peſtem, cum Henrici IV. & Friderici I. exautoratio ſubditos armaret, & bellum ciuile excitaret, vt fere dicere poſſis, non grauiorem hoſtem vnquam rebuspublicis imminuiſſe, quam Pontifices, qui animam & ſpiritum rerumpubl. extinguere conati ſunt. Et forſan illa pictura, de qua ad §. *præcedentem* mentio facta, adumbrare voluiſſe videtur Friderici I. fata, quorum memoria eo tempore adhuc recens erat. Sed ab hac Tyrannide reſpublicæ hoc tempore prouidentia diuina liberatæ ſunt.

(b) Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis *in c. 13. ad Rom.* ſatis conuenienter ait: *Siue bona ſit illa poteſtas ſiue mala, quicunque ei reſiſtit, ſubtrahendo ſeruitium ab ea, denegando tributum, & honorem non præbendo, quem ei debet præbere, Dei ordinationi reſiſtit & diſpoſitioni, cuius ordinatione illi principantur.* Veteres Chriſtiani aperte profitebantur, ſe pro imperatoribus ethnicis, qui in ipſos tamen ſæuiebant, preces fundere, ceu pluribus oſtendi *diſſ. de iure precum publ. c. 1. §. 10. ſeqq.* Æneas Sylvius *lib. de ort. & aut. Imp. Rom. c. 16.* in hunc ſenſum ita loquitur: *Tolerandum eſt patienter, quicquid princeps facit inique, expectandaque eſt vel ſucceſſoris emendatio, vel ſuperni correctio iudicis, qui violentias & iniurias non ſinit eſſe perpetuas.* Cum Darius a Beſſo lethaliter vulneratus eſſet, Alexander hoc nefandum facinus vindicare ſtuduit hac ratione, *quod ad vltionem pertineat, iam non ſuam, ſed exempli, communemque omnium*

§. IX. Quatenus tamen voluntatem ſuam ſubmittere *potuerunt*, & *voluerunt*, eatenus obligantur, & ita in hac obligatione cenſetur exceptus ipſe Deus, tanquam *ſuperior*. (c)

§. X.

mnium regum eſſe cauſam, quam negligere illi & indecorum & periculoſum eſſe, quippe cum in altero iuſtitiæ eius, in altero etiam vtilitatis cauſa verſetur. Juſtin. *lib. XI. c. 15.* Curt. *lib. V. in f.*

(c) Notum eſt vulgatum: *Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus*, h. e. quæuis extrema potius eſſe toleranda, quam vt ſecundum præceptum principis illa agamus, quæ voluntati Dei aduerſantur. Veritas huius aſſerti ſatis certa eſt; ſed non raro homines ſibi fingunt præcepta Dei, vt ſub hoc prætextu obedientiam imperantibus denegent. Iuſſus erat Ambroſius, vt templum traderet imperatoris delegatis, reſpondet: *Mandatur: trade baſilicam h. e. dic aliquod verbum in Deum & morere, nec ſolum dic aduerſus Deum, ſed etiam fac aduerſus Deum.* Ita interpretabatur Ambroſius mandatum imperatoris, *de templo hæreticis tradendo*, & ſub hoc prætextu obſequium denegabat, cum tamen *traditio templi* nihil contra voluntatem diuinam contineat, cum Deus templis non indigeat, ſed templa potius ſint in imperantis poteſtate. Inde pergit: *allegatur imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. reſpondeo: noli te grauare imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. ſcriptum eſt, quæ Dei Deo: quæ Cæſaris, Cæſari. Ad imperatorem palatium pertinet, ad ſacerdotem eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius quæſitum, non ſacrorum. Iterum dicitur: mandaſſe imperatorem: debeo & ego vnam baſilicam habere. Reſpondi: non licet tibi illam habere. Quid tibi cum adultera? adultera enim eſt, quæ non eſt legitimo Chriſti coniugio copulata c. 21. c. 23. qu. 8.*

Miſeri-

§. X. Si modo manifeſte conſtet, mandatum imperantis eſſe impium & iniquum: in dubio (d) enim potius parendum.

§. XI.

Miſerrima ſane eſt philoſophia Ambroſii, quæ ſuperſtitionem circa templa vbique præ ſe fert, ne dicam, quod manifeſte ius ſupremum imperanti circa ſacra deneget. Meliorem philoſophiam ſecutus eſt Papinianus, qui cum a Caracalla iuſſus eſſet, vt fratricidium Getæ colore iuris defenderet, detrectauit recte obſequium, aſſerens: *non tam facile eſſe parricidia excuſare, quam admittere*, & ita glorioſam ſuſtinuit mortem. Ruſſi e contrario domino in omnibus, quicquid etiam tyrannice mandet, obedientiam præſtare dicuntur, cum Dei voluntate omnia geri exiſtiment, Chytr. *Chron. Saxon. lib. 1.* ad quam obedientiam tamen ius publicum vniuerſale eos non adſtringit. conf. Grot. *de iur. bell. & p. lib. 2. c. 26. §. 3. & in not.* ibidem, vbi plena manu id illuſtrat.

(d) Alias quidem in dubio abſtinendum eſſe ratio docet, ſed tantum in iis negotiis, quæ nullam neceſſitatem agendi habent, ſed æque facile omitti poſſunt. Aſt in iis, quæ neceſſitatem agendi habent ex *vinculo ſubiectionis*, talis electio haud ſalua eſt, quin potius tam diu præciſe obedientia præſtari debet, donec de iniquitate manifeſte conſtet. Nulla eſt a ciuili ſocietate magis aliena opinio, quam *in dubio non eſſe parendum*, cum ita ſubditi facile ſibi dubium fingere poſſint, ad detrectandum obſequium. Et ita ſubditi pro cauſa ſui principis in hoſtem ire debent, vtut de *iuſtitia cauſæ* illis non ſatis conſtet. *Si vbi iubeantur*, philoſophatur Otho apud Tacitum *lib. I. Hiſtor. quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio, etiam imperium intercidit.* & paucis interiectis: *parendo potius quam imperia ducum ſciſcitando res militares* (ſubditorum) *continentur.*

§. XI. Præterea idem præceptum applicari nequit, ſi *iubentis* tantum iniquitas adſit, non *exequentis*. (e)

§. XII. Sunt quoque ſubditi *ex voluntate imperantis* magiſtratui ſubalterno (f) ad obedientiam obſtricti; ſed ſicut hæc obligatio eſt *ſubordinata*, ita ſemper cenſetur excepta imperantis perſona.

§. XIII. Extendit quoque hæc obedientia ſe ad ea, in quibus ſubditi ſibi libertatem, imperantis pacto præcedente, (ff) retinuere.

§. XIV.

(e) Non ſemper peccatum eſt in executione. Inique ſæpe princeps extorquet a ſubditis tributa, in quorum *ſolutione* nihil iniqui latitat. Peccabat Dauid iubendo, vt populus numeretur. Ioabus eum a propoſito grauiter dehortabatur, tandem vero, rege idem mandatum vrgente, obtemperauit.

(f) Magiſtratus ſubalterni intuitu ſubditorum publicam perſonam & autoritatem habent, ſed non *ex horum ſubmisſione* ſed *imperantis voluntate*, intuitu cuius *meri ſubditi* ſunt. Cum itaque ſubditi hiſce ad obedientiam obſtricti ſint ex *voluntate imperantis*, certe *contra voluntatem* eius illis obedientiam præſtare nequeunt. Nequaquam itaque audiendi ſunt, qui inferiori magiſtratui facultatem reſiſtendi principi concedunt, ſi forſan contra officium agere videatur, inter quos eſt Danæus *lib.* 4. *polit.* & Stephanus Iunius Brutus, cum tamen inferiores magiſtratus omnem ſuam autoritatem a ſummo imperante habeant, ab eo dependeant, & intuitu eius plus iuris non habeant, quam ceteri ſubditi. Hoc vnicum tantum eis relictum eſt, vt, quæ obſtare executioni mandati videantur, referre imperanti posſint, ſed neutiquam eidem reſiſtere.

(ff) Non raro ſubditi in delatione imperii quædam excipere

§. XIV. Praeterea (II.) ſubditi quoque obligantur ad *patiendum*, (g) quaecunque etiam illis

pere ſolent, quorum libertatem imperans ipſis pacto publico promittit, v. c. ne turbentur a principe in *immunitatibus*, *priuilegiis* aliisque *iuribus*, quin quando armata manu ciuitates occupantur, capitulatione praeuia, plerumque pactum hoc ei inſeri ſolet, *de iuribus ciuium non imminuendis aut tollendis.* Quid itaque dicendum, ſi princeps poſtmodum ea tollat, imminuat? Contra fidem pactorum vtique agit, iniurius eſt in ſubditos, ſed *conditio ſubiectionis* facit, vt obedientiam tandem nec in hoc caſu poſſint recuſare, aut eidem reſiſtere, cum talis reſiſtentia cum ſubiectione conſiſtere non poſſit. Quodſi vero tertius guarantiam horum pactorum in ſe recepit, *iure gentium* defendere ſubditos alterius imperantis poterit, vt pactis ſtetur: aſt ſubditi contra principem nihil tentare poſſunt, cum iis nunquam colores iuris deficiant, quibus facta ſua incruſtare poſſint, de quibus tamen iudicare ſubditis integrum haud eſt. Valet hic quoque illud Valentiniani imperatoris ad milites: *Veſtrum fuit, vt me extolleretis ad imperialem dignitatem, res autem adminiſtrare, non iam veſtri ſed principis ipſius eſſe, vos ipſi quoque dixeritis: itaque vos deinceps imperata facere & quietos eſſe, me autem, quid facto opus ſit, curare decet.* Equidem Huberus *de iure ciuitatis lib. 1. ſect. 9. c. 3. §. 17. & 18.* excipit caſum, ſi *lex commiſſoria* adiiciatur pactis publicis, *vt ſi rex non ſeruet iura fundamentalia, populus omni obſequii vinculo ſolutus ſit*, vti Poloni hodienum adhuc ſtipulari ſolent: Verum tale pactum ſtatui ciuili contrariari & plane inane eſſe iudico, cum deficiat ſuperior, qui de eo iudicare poſſit, an & quatenus contra leges fundamentales imperans peccauerit, nec vnquam rationes iuris deficiant, quibus facta ſua iuſtificare poſſit, de quo infra pluribus.

(g) Duplex obligatio ex *ſubiectione* fluit α) ad *obediendum*

lis iniuria inferatur.

§. XV. Atque adeo nequidem ob *religionem*, eiusque illibatam conſeruationem (h) arma contra

dum β) ad *patiendum*. Supra vbi de limitibus imperii actum eſt, hoc ſatis excuſſum, & ſimul oſtenſum, principis poteſtatem ſe quidem non extendere ad iniuriam ſubditis inferendam, interim ſubditos in *publici boni gratiam* reſiſtere non poſſe, & hactenus facta eiusdem effectum externum iuris habere, quod etiam Deus innuit in deſcriptione iuris regii *1. Sam. VIII.* Plenius hac de re egit Grot. *de I. B. & P. lib. 1. c. 4.* Non poſſet ſalutis publicae ratio ſubſiſtere, ſi promiſcuum reſiſtendi arbitrium ſingulis conceſſum foret. Tyranno tamen, qui *exercitio talis* ſit, reſiſti eumque occidi poſſe volunt. Huber *cit. l.* Verum recte animaduertit illuſtris Thomaſius *in obſeruat. ibid.* vix *in hypotheſi* definiri poſſe, quisnam pro tali habendus ſit, & ſi vel maxime de eo conſtaret, ſingulis tamen ius reſiſtendi vel occidendi haud competeret, vt ita tota haec doctrina ad ſpeculationes meras referenda videatur. Bene Tacitus: *Bonos imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos.* Idem alibi: *quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cetera naturae mala, ita luxum & auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, ſed neque haec continua, & meliorum interuentu penſantur.* Alii aſſerunt, eum pro Tyranno, cui reſiſti poſſit, habendum eſſe, *qui notorios imperii fines excedit in detrimentum totius reipubl.* Sed quis ſubditorum de eo iudicabit? Non *ſinguli*, quia nullo iure hoc iudicium ſibi arrogare poſſunt; *non omnes*, quia populus de eo, quod reipubl. conducit, arbitrari nequit, quod iudicium omne in imperantem transtulit.

(h) Fuga potius amplectenda, quam armis huiusmodi vtendum ad exemplum primitiuorum Chriſtianorum, de quibus

contra imperantem ſubditi capeſſere poſſunt, ſed potius quæuis mala tolerare debent.

§. XVI. Equidem Grotius quibusdam in caſibus hanc obligationem ceſſare defendit, ſed vel *ad regulam* non ſpectant, (i) vel admodum dubii ſunt. (k)

§. XVII. Quodſi hoſtis inuadat territorium, quamdiu quidem ſubditi hoſti reſiſtunt, eidem non obligantur; aſt poſtquam a ſuo legitimo impe-

quibus plura egregia adduxit Grotius *de I. B. & P. lib. 1. c. 4. §. 7.* De conuallenſibus plura ſingularia adduxit Dn. Henninges *in Comm. ad Grot. cit. l.* Fratrum Bohemorum exemplum quoque inſigne eſt, quod ad illuſtrandam hanc materiam adferatur, quorum fata ſane admiratione digna ſunt.

(i) Sic *lib. 1. c. 4. §. 8.* huc refert caſum, ſi principes ſub populo ſunt. Sed ita ſummum imperium non habent, quin populi miniſtri potius dicendi ſunt. In §. *9.* huc refert caſum, ſi imperans imperium abdicauit, aut manifeſto pro derelicto habuit. Sed ita in ſortem priuatorum incidit, qualitate enim depoſita, ceſſant omnes effectus qualitati illi cohærentes. Tale quid imputant VVenceslao, quod imperium pro derelicto habuerit, de quo ex circumſtantiis hiſtoricis iudicandum.

(k) Huc refert in §. *11.* ſi hoſtili animo in rempubl. ſæuiat, ſed talis caſus vix dabilis eſt, & plerumque in applicatione priuatæ iniuriæ quorundam pro *hoſtilitate in vniuerſam rempublicam* aſſumuntur. In §. *ſeq.* habet caſum de *clauſula commiſſoria,* de quo iam ſupra actum eſt. Idem iudicium formandum de caſu in §. *14.* propoſito.

 (l) Suppo-

imperante amplius defendi nequeunt, (l) & victoris iugum ſubire coguntur, ſoluti ſunt a priori nexu, & nouo imperanti tamdiu obligantur, quamdiu eius poteſtati ſubſunt.

§. XIIX. Ceterum vinculum hoc ſubiectionis, obligatio tam arcta ad parendum, non aufert ſingulis libertatem emigrandi, (m) & priſti-

(l) Supponi ergo caſus debet, vbi omni auxilio legitimi imperantis deſtituti ſunt, ita enim ſe ſubmittere hoſti licite potuere, cum legitimus princeps in hoc conſenſiſſe præſumendus ſit, vt potius hoſtis poteſtatem ſubeant, quam cum totali deſtructione ciuitatis reſiſtant. Neutiquam itaque contra obligationem ſubditorum exiſtimandæ ſunt pactiones, quas cum victore tales ſubditi omni defenſione deſtituti ineunt, vti plerumque fieri ſolet, cum ita ſe potius conſeruent in ſui legitimi principis commodum. Vnde licite homagium victori præſtant, preces pro eo fundunt in eccleſiis &c. cum hæc omnia ſint ſubiectionis conſequentia.

(m) Loquor hic de iure publico vniuerſali, ſi præterea libertas ſubditorum emigrandi haud reſtricta fuerit. Hoc enim conclamatum eſt, poſſe imperantem hanc libertatem reſtringere, vel certis demum ſub conditionibus admittere, qua lege deficiente, ſubditis hæc libertas ſalua manet. Equidem obſtare videtur vinculum arctisſimum, quo imperanti ſunt obſtricti, quo ſe liberare poſſe, inuito imperante, non videntur, eadem ratione, qua ſerui iugum ſeruitutis declinare haud poſſunt. Verum ſicut magna diuerſitas occurrit inter ſeruos & ſubditos, ita argumentum ab illis deſumtum non ſtringit. Et licet ſubditi ſemel voluntatem ſuam imperantis voluntati ſubmiſerint, ſeque ad obedientiam obſtrinxerint, ex natura tamen rerumpublica-

priſtinas ſedes derelinquendi, quatenus tali emigratione nullum ciuitati præiudicium creatur.

§. XIX. Quodſi enim migratio tenderet in gra-

blicarum per ſe non fluit *perpetua ſubiectio*, vel quod ſe ad *perpetuam ſubiectionem* obſtrinxerint, ſed quod, quamdiu ſubditorum numero continentur, ſinceram & debitam obedientiam præſtare velint. Potuit ergo ſingulis libertas emigrandi relinqui, quæ vires reipublicæ nec minuit nec ſupprimit. Nunquam deficit alter. Et denique cum tot circumſtantiæ obuenire poſſint, quæ pro varia vitæ humanæ conditione vrgeant emigrationem, quæque in tanta copia hominum ciuitati non poſſunt, imperans, naturæ humanæ optime conſcius, potius emigrandi facultatem ſingulis reliquiſſe, quam ademiſſe videtur, id quod exempla gentium quoque docent. Cicero *Orat. pro L. Cornel, Balb. p. m. 719.* hoc exemplo ciuium Romanorum declarat aiens: *iure noſtro neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque, ſi velit mutare, non poteſt, modo adſciſcatur ab ea ciuitate, cuius eſſe ſe ciuem ciuitatis velit.* & poſt pauca inter iura præclara atque diuinitus a maioribus comparata inter alia refert, *ne quis in ciuitate maneat inuitus. Hæc ſunt enim*, pergit, *fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quemque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum.* Equidem Bodinus *de republ. lib. 1. c. 6.* diſtinguit inter *domicilii commutationem* & *patriæ repudiationem*, vt illam quidem permiſſam, non æque hanc licitam cenſeat, quo ipſo reſpexiſſe videtur ad placita iuris R., ſecundum quæ forum originis immutabile erat. Aſt de eo non eſt quæſtio, ſed tantum de iure publico vniuerſali diſputamus. Mere ciuile eſt, quod de *origine* diſponitur in iure Romano, cum iure naturæ, mutata origine, omne vinculum relaxetur & ſoluatur.

(n) *Sapiẽ-*

grauem reipublicæ iacturam, (n) vel in fraudem eius (o) fieret, delictum conſtitueret, & ab imperante impediri poſſet.

§. XX.

(n) *Sæpiſſime*, ait Bodinus *de republ. lib. 1. c. 6. principes ingenioſos homines præmiorum magnitudine ac immunitatum illecebris ad ſe pertrahunt, ſiue ad finitimos principes debilitandos, ſiue ad ſuos ciues erudiendos, ſiue ad opes & copias cogendas* &c. Debet diſceſſus eſſe innoxius, alioquin imperans illum recte prohibet, ne reſpublica detrimentum capiat. Quid enim ſi plures ex ciuitate diſcedere vellent, maxime illi, ex quorum commercio reſpublica floruit? quid ſi artifices alioſum ſe conferre velint, cum tamen interſit imperantis, ne huiusmodi artifices ad vicina loca emigrent?

(o) Huc reſpexit R. I. *de anno 1512.* ibi: *und nachdem ſich mannigfältig im Reich begiebt, daß etliche leichtfertige Unterthanen umb verſchuldete Sachen von ihrer Herrſchafft oder Nachbahrn empören, und unwillens befleiſſigen, ihre Herrſchafft oder deſſelben Unterthanen bedrauen, und umb ihre vermeinte Forderung nicht ordentlich billig recht nehmen wollen: haben wir denſelben zu begegnen geordnet und geſetzet, daß hinführo dieſelbe niemand wiſſentlich enthalten, hauſſen herbergen und dergleichen fürſchub thun* &c. Similiter in R. I. *de anno 1544. §. 83.* cauetur: *Doch ſoll kein ſtand den andern zu ſeiner Religion dringen, noch dem andern ſeine Unterthanen abpracticiren oder wieder iede Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen* &c. Idem repetitum in R. I. *de anno 1551. §. 93.* Pertinent huc etiam, quæ in A. B. *tit. 16.* de Phalburgeris conſtituta leguntur: *Ceterum quia nonnulli ciues & ſubditi principum, Baronum & aliorum hominum, ſicut frequens ad nos querela deduxit, iugum ordinariæ ſubiectionis quærentes abiicere imo auſu temerario contemnentes in aliarum ciuitatum ciues recipi*

ſe pro

§. XX. Præterea emigrandi libertas reſtringi poteſt (I.) ſi aliud inſuper vinculum peculiare (p) adſit, ob quod diſcedere ſubditus non poſſit.

§. XXI. (II.) Si lege publica (q) emigratio prohi-

ſe procurant, & frequentius in præterito procurarunt, & nihilominus in priorum dominorum, quos tali fraude præſumſerunt vel præſumunt deſerere, terris, ciuitatibus oppidis & villis corporaliter inſiſtentes, ciuitatum, ad quas hoc modo ſe transferunt, libertatibus gaudere, & ab eis defenſari contendunt, qui in partibus Alemanniæ Phalburgeri conſueuerunt vulgariter appellari. Quoniam autem patrocinari non debent alieni fraus & dolus &c.

(p) Subditi ad officium publicum ab imperante adſumti diſcedere, vel illud deſerere, inuito eo, non poſſunt, cum vinculum illud, quod ex officio ſuſcepto eosdem ſtringit, indiſſolubile ſit intuitu ſubditorum, vt eo ſe liberare non poſſint, ſed imperans tantum eos remouere queat, prout ſuo locô dictum eſt. Similiter glebæ adſcripti, proprii homines, & VVildſangi tam adſtrictisſimæ conditionis ſunt, vt diſcedere haud poſſint, eodem modo, quo ſerui iugum herile excutere non poſſunt.

(q) Talem legem vt *inhumanam* iuualidam eſſe quidam aſſeruerunt. vid. Klock. *de vectigal. concl. 63.* Schepliz *ad conſuet. march. P. 4. tit. 14. §. 2.* quod libertati naturali aduerſetur, & contra ius gentium ſit, contra quod princeps nihil diſponere poſſit, Myler ab Ehrenb. *de princ. & ſtat. imp. c. 63.* Aſt enim vero, ſi huiusmodi argumentis robur quoddam ineſſet, imperanti interdictum eſſet, in aliis rebus quoque libertatem ſubditorum reſtringere, id quod tamen minime aſſeri poteſt, prout ſupra euictum. Quin ſemper libertas ſubditorum reſtringi poteſt, quatenus reipublicæ

prohibita ſit. (r)

§. XXII. (III.) Si alias intempeſtiua (s) fuerit, h. e. eo tempore ſuſcipiatur, quo ſubditis imperans valde eget.

§. XXIII. Sicuti autem in totum prohiberi, ita quoque ita reſtringi lege publica poteſt, vt diſceſſurus onera quædam (t) præſtet in commodum illius reipublicæ, quam deſerere intendit.

§. XXIV.

publicæ vtilitas, ſalus & incolumitas id poſtulat. Neque hæc emigrandi libertas ſimpliciter poteſt dici *iuris gentium*, prout *legem*, ſed tantum quatenus *facultatem naturalem* denotat, quæ tamen mutari omnino poteſt. Quin ſi lege publica emigrandi libertas prohibetur, id agnouiſſe videntur, qui in illam ſe recipiunt, ſcientes, ſe legibus reipubl. ligari.

(r) Sic Mediolani Senatus decreto nec ius alienæ ciuitatis capere nec domicilium in eiusdem imperii finibus commutare fas eſt, niſi prius impetrata venia & honorario principi ſoluto. Plura alia exempla collegit Bodin. *de republ. lib. 1. c. 6.*

(s) Ita enim vergeret diſceſſus in reipubl. præiudicium, nec innoxius amplius dici poſſet, quod tamen requiritur, prout ad *§. 19.* dictum; Inde ratio poſtulat, vt diſceſſurus emigrandi propoſitum imperanti mature ſignificet, niſi ſatis conſtet, quod nullum in emigratione reipublicæ immineat periculum, vel decrementum.

(t) Ita in multis ciuitatibus receptum eſt, vt ſubditus, deſerere ciuitatem volens, de omnibus ſuis bonis certam pecuniæ ſummam ſoluere cogatur, quam penſitationem vulgo vocant *die Nachſteur, Abzug.* Antiquiſſimum hoc colligendi genus eſſe, vel inde conſtat,

quod

§. XXIV. Ceterum vtut ſubditi omnia iura, quibus ad ſe ſuaque inter homines tuenda egent, in imperantem transtulerint, & ſe ad omnimodam ſubiectionem obligauerint, quædam tamen iura illis illibata manſerunt tum *inter ſe*, tum *intuitu imperantis.* (u)

§. XXV.

quod iam Cæſar Auguſtus eo vſus legatur ad varia bellorum incommoda ſuſtinenda Dio *lib. LV.* Tacit. *IV. annal.* 55. Fundatur hæc penſitatio optima ſane iuris ratione; quoniam enim diſceſſurus tot commoda ex ſecuritate publica, per rempublicam conſtituta, & conſeruata, percepit, æquum quoque eſt, vt in horum compenſationem aliquid largiatur in vſus publicos, vnde porro onera publica ſuſtineri posſint. Et cum hæc ratio vniuerſalis ſit, ſinguli ad huiusmodi onera obligantur, niſi ſe exemtos doceant. Ipſa exemtio eſt iuris poſitiui, nulla iuris vniuerſalis, & ita in hac diſciplina explicari nequit. Poteſt etiam pacto mutuo ciuitatum exemtio conſtitui, qualia pacta hinc inde in Germania occurrunt. vid. Knipſchild *de ciuit. imp. lib. II. c. 20. n. 22.* Myler. *de Stat. imper. c. 63. n. 8. ſeq.* Beſold. *theſ. pract.* Voc. *Abſchoß.*

(u) Iam *P. gener.* oſtenſum eſt, in republ. dari duplicis generis negotia, *publica* & *priuata.* Illa quidem ad diſciplinam præſentem ſpectant, hæc vero ad *ius priuatum*, quod identidem vel *vniuerſale* vel *particulare* dici poteſt. Ceterum iura ſubditorum priuata ſunt infinita, prout ſtatus ſubditorum varius eſt, quæ tamen ad hanc diſciplinam primario non pertinent, quæ principaliter iura negotia publica dirigentia complectitur. Equidem Huberus *de iure ciuit. lib. 2.* hæc quoque fuſius explicuit, verum, vt ſupra iam monitum eſt, intra terminos huius doctrinæ non ſtetit, & plura aliena immiſcuit. Quædam tamen, quæ huc perti-

§. XXV. Iura quæ *intuitu imperantis* ſibi vindicare ſubditi poſſunt, ea potisſimum concernunt, circa quæ imperanti ius nullum competit, quorſum refero illa quæ ad religionem ſpectant, (x) quæ iure naturæ ſubditis libera manſerunt.

CAP.

pertinere videntur, & ex ſtatu ciuili quandam neceſſariam determinationem accipiunt, ad caput ſequens reſeruabo.

(x) Supra iam libertatem ſubditis circa ea, quæ religionem concernunt, aſſerui *lib. II. c. V. §. 5. ſeqq.* quæ huc quoque repetenda ſunt. Commendari hac in re meretur Gerardi Noodtii diſſertatio erudita *de religione ab imperio iure gentium libera*, quæ a Dn. Barbeyracio in gallicum quoque verſa eſt ſermonem, & Becmanni *diſſ. de iure ſubditorum circa ſacra*. In ceteris iuribus priuatis princeps pro ſalute publica diſponit, ſed hæc Deus benignitati ſuæ reſeruauit, cuius ſolius *imperium in conſcientias* fundatum eſt. Neque etiam excogitari poteſt, in quem finem imperans ſubditis formulam religionis præſcribere vellet, quæ ad intellectum & animum vnice ſpectat, & tantum commodum & periculum eius vertitur, qui religionem veram vel falſam amplectitur. Et ſane omnis coactio a religione tam aliena eſt, vt merito verendum ſit, *ne tandem populus ad impias libertinorum & de numine male ſentientium opiniones vi nimia & magiſtratus ſeueritate adigatur, ademto religionis, quam probant, cultu, & inculcata eius, a qua abhorreant, profitendæ neceſſitate*, vti monuerunt Proteſtantes Belgici anno 1566. in literis ad Ducem Parmenſem ſcriptis apud Thuanum *lib. XL. p. 44.* Quantas calamitates ſententia contraria pepererit, docent nuptiæ Pariſienſes, varia gentium excidia, imprimis vero iudæorum miſerrimæ clades, vti omnibus notum eſt.

(y) Faci-

CAPUT III.

De Iure & obligatione ciuium qua talium inter ſe.

§. I.

EST inter ſubditos eo arctius vinculum, quod non tantum *ſub vnius imperio* in vnum corpus coaluerint, ſed *inter ſe* quoque ſocietatem æqualem (y) conſtituant.

§. II. Hæc ſocietas æqualis inter ſubditos ante imperium imbecillis fuit, ſed vires ſuſcepit ex imperio eidem accedente. (z)

§. III. Proinde imperium ſuperueniens non ſuſtulit *vnionem illam æqualem* inter ciues, ſed potius firmauit, (a) cum abſque imperio illa conſeruari haud potuerit.

§. IV.

(y) Faciunt ſubditi vnum corpus cum imperante, & hactenus ſocietas ſumme inæqualis eſt, & ex natura ſua *inæqualem obligationem* & *iura* producit. Deinde inter ſe, non habito reſpectu ad imperantem, æqualem ſocietatem colunt, id quod ex *geneſi rerumpubl.* earumque *nexu* conſpicuum, & *lib. I. c. 2. P. Spec.* demonſtratum eſt: antequam enim cœtus ſe vnius voluntati ſubiiciat, inter ſe nexu æquali cohærere debet, qui nexus per *imperium* accedens non abſorbetur, ſed firmatur, conſtringitur, augetur.

(z) Actum eſt ſupra de huiusmodi vnionibus earumque defectibus, ex imbecillitate naturali deductis.

(a) De hoc itidem plenius actum ſupra. *c. 2.* Patet exinde, quod *ſubditorum* inter ſe ſit longe diuerſa ratio, ac *extraneorum*, qui in eandem ſocietatem ciuilem non

§. IV. Et quidem manente eodem nexu, cenſetur adhuc eadem ſocietas eſſe, quæ olim fuit, (b) licet mutatæ perſonæ ſint.

§. V. Cum vero ſubditi, vni imperio ſubiecti, non ſemper vno contineantur loco, hinc inde naſcuntur plures ſubditorum *ſpeciales ſocietates*, [c] quæ inter ſe quoque ſeparatas rationes habent.

§. VI.

ſunt ſuſcepti. His non æque ad defenſionem obligantur, ac ſibimet ipſis. Qui ληστρικὴν exercuerunt, in alios, non in ſemet ipſos illam iure fundatam eſſe credidere. Non poſſunt denegare iura conciuibus, quibus in communi fruuntur; bene extraneis; quibuscum talis peculiaris ſocietas non eſt inita. Hinc quod ciues extraneis præferantur, habet rationem. Olim apud Romanos peregrini in totum a *communione iuris Romani* excludebantur, ſaluis iuribus naturalibus & Gentium. Nec proſelyti iuris Hebræorum participes erant, quin omne commercium iudæis cum incircumciſis erat interdictum, quo conciuem priuare non poterant. Hinc Antiochi amici Iudæos accuſabant, *ſolos ex omnibus populis inſociabiles eſſe extraneis, ita vt cæteros pro hoſtibus ducant, cum nulla gente alia menſam habere communem, neque bene eos aliis velle.* In hoc tamen Iudæi leges naturæ minime obſeruabant, cum per talem ſocietatem peculiarem non tollatur vinculum humani generis.

(b) Ita ex his principiis philoſophatur ICtus in *l. 76. de iudic. l. 7. in f. quod cuiusque vniv. nom.* id quod omnibus collegiis æqualibus commune eſt, conſequenter quoque omnia iura, priuilegia & obligationes durant.

(c) Ab initio quidem ſinguli cœtus in vno loco collecti ſuum

§. VI. Et quia plerumque ſtatus ſubditorum diuerſus eſt, diuerſa quoque iura inter ſe quodammodo habent, (d) quatenus ſtatus diuerſus

ſuum peculiarem imperantem habuere, ſed mox vni plures ſubiecti ſunt. Inde originem traxerunt *prouinciæ*, *Vrbes*, *pagi*, *Vici*, qui cœtus ſinguli inter ſe peculiarem conſtituunt *Vniuerſitatem*, vti vocantur in iure R., & peculiaria iura inter ſe habent. Agunt inter ſe ad inſtar ſingulorum. Poſſident bona in commune, quin omnia, quæ de collegiis dicta ſunt ſupra, his applicari poſſunt. Vnde reſpectu ſummi imperantis ad inſtar *priuatorum* ſunt, quod recte obſeruarunt ICti Romani, qui ciuitates imperio Romano ſubiectas *priuatorum* inſtar eſſe iudicarunt, vnde *iura reipublicæ propria* ſibi vindicare nequeunt, ſed tantum *iura collegiorum*. Sic ius fiſci haud exercent, nec quæ priuilegia illi data ſunt, ſibi vindicant, quæ bona ad ciuitatem, pagum vel vicum ſpectant, ſunt in eius patrimonio, nec confundenda cum bonis reipublicæ, de quibus *c. ult. lib. 2.* actum eſt. Sunt tamen ſuo modo *publica*, quatenus imperanti plus iuris in illa competit, quam in ſingulorum patrimonium, cum eius interſit, hæc bona vniuerſitatibus perpetuo conſeruari & bene adminiſtrari. Plura ſunt permiſſa ſingulis in res proprias, quam vniuerſitati in res ſuas &c.

(d) Ciues quidem inter ſe in *ſtatu* conueniunt, quod ſint ſubditi; quia tamen ſubiectionis dantur diuerſi gradus, inde etiam maior libertas quibusdam in republica competere poteſt, quæ aliis denegatur, prout *cap. antec.* dictum. Interim hoc certum eſt, eo firmius cohærere corpus ciuile, quo minus inæqualitate libertatis inter ſe differunt. Dat hæc anſam ad inuidiam, hæc diſcordiam operatur, & mutua odia alit, dum qui maiori libertate in republ. pollent, facile quoddam imperium in plebem ſibi arrogant. Seruius

uius Tullius apud Dion. Halicarnaſſ. *lib. IV.* ait: *precipue decreui ius ciuium aequare, vt omnes inter ſe pari & aequo iure in iudiciis certare poſſint.* Hoc ipſum, vt fieri ſolet, aegre tulerunt patricii: nam idem alibi ait: *communis omnium dolor eſt, quia ex legibus viuere aſſueſcent, pari iure vobiſcum diſceptantes, nec quod iam faciunt, pauperibus tanquam mancipiis abutentes.* Vnde tot diſcordiae in Rom. republica, quam ex patriciorum ſtudio ſupprimendi plebem? quae aequo iure cum illis frui volebat, quod in plurimis plebi denegabatur. Nata eſt inaequalitas ſubditorum ex vitio reipublicae, & ita ex eodem vitio iura inaequalia orta ſunt. Monuit iam ſuo tempore Cicero *lib. 1. de oratore p. 180. lit. e. ſit erge*, ait, *in iure ciuili finis hic legitimae atque vſitatae in rebus cauſiſque ciuium aequalitatis conſeruatio.* Aſt in omnibus rebuspublicis fere euenit, vt qui vel diuitiis abundant, vel quibus ſimul reipublicae adminiſtratio committi ſolet, ab aliis infimae ſortis ſubditis & iurium inaequalitate & conditione diſtinguantur. Sic Romulus populum vndique collectum more iam vſitato ſtatim diuiſit in *plebeios* & *patricios.* Inter hoc connumerabantur *genere & virtute celebres & opibus abundantes, & penes quos ſimul erat reipublicae adminiſtratio*, vt ait Dion. Halicarn. *lib. 2.* Hac diſtinctione facta ſtatim quoque conſtituit, *vt patricii ſacra curarent, & magiſtratus gererent, & ius dicerent, & ſecum rempublicam adminiſtrarent, & vrbana munia aſſidue obirent: plebeii vero horum quidem negotiorum eſſent immunes, ſed agros colerent, pecus alerent, & artes quaeſtuoſas exercerent.* Eodem modo Theſeus Athenienſem rempubl. ita adornaſſe legitur apud Plutarch. *in eius vita f. 11.* aientem: *Primus diſcreuit ſeorſim patricios, agricolas & opifices. Patriciis curam ſacrorum & magiſtratuum ex ordine ſuo dandorum permiſit ius, legumque diſciplinam & interpretationem, quid ius fas eſſet. De cetero ciues adaequauit, quod dignitate patricii, vtilitate agricolae, artifices*

ſus hoc poſtulat, in cæteris æquali inter ſe iure fruuntur. (e)

§. VI. Vtut vero iura priuatorum primario ad ius publicum vniuerſale non ſpectent, cum ſubditi tantum eis inter ſe fruantur,

ſices numero viderentur præcellere. At vero hæc prima diſtinctio ſicuti in aliis ciuitatibus, ita quoque in republica Romana perpetuas aluit lites. Ipſe Dion. Halicarn. *cit. l.* hoc non diſſimulat de aliis ciuitatibus *dum aut humiliores a potentioribus contemnuntur, aut viles & egeni excellentioribus inuident.* Atque ex hac diuerſitate ſubditorum primo orta diſtinctio inter *nobiles* & *ignobiles.* Interim dum in huiusmodi diuerſam conditionem ſubditi ſe coniectos vident, ſinguli ſua ſorte contenti ſint, neceſſe eſt: *eſt enim reſpublica quodammodo corpori humano ſimilis. Vtrumque eſt compoſitum & conſtat ex multis partibus, quarum ſingula nec eandem vim habent, nec uſus pares exhibent. nam in republica vnaquæque gens proprium aliquem reipubl. vſum præbet, vt membra corpori. Alii enim agros colunt, alii pro ipſis pugnant cum hoſtibus, alii mercaturam exercentes multa commoda reip. ex mari afferunt, alii neceſſarias artes exercent.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. VII.* Si igitur membra propter diuerſa ſtudia, conditionem, & iura inter ſe diſſentire, & omnia vnum idemque munus & officium obire vellent, non poſſet non præſentem interitum ſibi attrahere.

(e) Status diuerſus ſubditorum tantum quandam diuerſitatem iurium inducit, quæ ſcilicet ex peculiari illo ſtatu promanant; dantur præterea alia iura infinita, quæ nullum reſpectum ad ſtatum peculiarem, quo diſtinguuntur, habent, in quibus æquali iure fruuntur. Sic nobiles in contractibus & commerciis communibus non plus iuris ſibi vindicare poſſunt, quam ignobiles &c.

 (f) Ex

antur, pleraque tamen ex ſtatu ciuili diuerſam ſortiuntur indolem, (f) & quodammodo alterantur, vt in hoc ſtatu non eodem modo amplius exerceri poſſint, ac quidem in ſtatu naturali.

§. VIII. Incipiam a matrimonio tanquam ſeminario reipublicæ, propter quod reip. intereſt, vt matrimonium ſit conſtans & bene ordinata ſocietas, (g) nec promiſcuæ cohabitationes tolerentur.

§. IX.

(f) Extra ſtatum ciuilem actiones ſingulorum ad propriam & peculiarem diriguntur vtilitatem, quæ in ſtatu ciuili ad reip. ſalutem & ordinem compoſitæ eſſe debent. Quod præclare Pericles apud Thucydidem *lib. II. n. 138.* ita demonſtrat: *Sic exiſtimo, etiam ſingulis hominibus plus eam prodeſſe ciuitatem, quæ tota recte ſe habet, quam ſi qua priuatis floreat vtilitatibus, ipſa autem vniuerſim laboret. Qui enim domeſticas fortunas bene collocatas habet, patria tamen euerſa, pereat & ipſe neceſſe eſt. Contra vero etiamſi quis in beata republica parum felix eſt, multo tamen facilius per illam incolumis ſeruatur. Quare cum ciuitas quidem ſingulorum poſſit ſuſtentare calamitates, ſinguli autem publicas non item, quid eſt, cur non vniuerſim ipſi conſulere ipſamq; tueri oporteat, nec id facere, quod vos facitis, dum quaſi attoniti iactura rei familiaris ſalutem proditis reipublicæ.* Vnde propter ſtatum ciuilem in iuribus ſubditorum priuatis quædam neceſſaria mutatio inducitur, quæ hic non prætereunda. Quæ vero vtrique ſtatui communia ſunt, omittenda ſunt, quos limites Huberus plane non obſeruauit.

(g) Equidem *regulæ honeſtatis* id quoque in ſtatu naturali docent, aſt *ius naturæ* non præciſe præcipit, hanc ſocieta-

§. IX. Neque etiam ius naturæ præciſe poteſtatem marito in vxorem concedit, (h) cum finis huius conſuetudinis abſque imperio huiusmodi obtineri poſſit; Aſt in ciuili ſtatu cum ordinata matrimonia eſſe debeant, hoc ipſum

cietatem debere eſſe perpetuam, & ita in ſtatu naturali vel ad breue tempus hæc conſuetudo contrahi potuiſſet. Aſt in ſtatu ciuili ordo reipublicæ aliud poſtulat, & quod in ſtatu naturali regulæ honeſtatis exigunt, in ciuili quoque ratio ciuilis poſtulat, ne promiſcui concubitus tolerentur, cum ex hac inordinata conſuetudine non poſſit non ratio reip. periclitari. Unde in omnibus rebuspubl. matrimonia *ordinata* requiruntur, quæ conſtans & perpetuum vinculum poſtulant, ſaltem vt non facile diſrumpatur. vid. Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.*

(h) Hoc etiam agnoſcit Puſendorf. *lib. 6. c. 1. §. 11.* cum per ſe ex natura ſocietatis coniugalis hoc imperium non fluat. Equidem Hieronymus relatus in *c. 15. C. 25. q. 5.* ad ius naturæ prouocat, aſſerens, quod etiam *gentiles feminæ viris ſuis ſeruiant, communi lege naturæ.* & in *c. 12. C. 33. q. 5.* ait: *eſt ordo naturalis in hominibus, vt ſeruiant feminæ viris, filii parentibus, quia nulla iuſtitia eſt, vt maior ſeruiat minori.* Aſt vero nec ego nego, imperium hoc in naturali ratione fundatum eſſe, maxime in ciuitatibus, in quibus matrimonia potiſſimum ita inſtituenda, vt respubl. ciuibus repleatur, & familia quæuis fortunæ bonis abundet, quo neceſſitatibus reipublicæ ſuccurri poſſit, quem in finem in familiis ſingulis imperium quoddam requiritur; Aſt extra *rationes has ciuiles* neceſſitatem naturalem non deprehendo, nec in ſtatu naturali femina cogi potuit, vt mariti imperium ſubiret, quippe quæ ſui iuris fuit. Dicunt, imperium hoc eſſe ex *iure diuino poſitiuo*

ipſum vero ſine aliquo imperio obtineri haud poſſit, marito illud, quod conuenientius eſt, (i) concedi debuit.

§. X. Exinde quoque quaedam *praerogatiua imperii paterni* (k) in liberos naſcitur.

§. XI.

tiuo, & iam obtinuiſſe ante conditas ciuitates *Gen. III. 16. 1 Tim. II. 12. ſeqq.* Aſt Deus tantum praedixit feminae *mala futura*, quae ſubire neceſſe haberet, inter quae etiam fore dicebat *ſubiectionem*, queis homines carere potuiſſent, ſi in ſtatu integritatis manſiſſent. Paulus vero non loquitur de origine imperii maritalis, ſed tantum prohibet, ne vxor marito imperet, ſi aliquod imperium adeſſe debeat, vti in ſtatu ciuili requiritur, quin tunc potius conuenientius eſſe, ait, vt maritus imperet, vt in theſi dixi.

(i) Etiam Hobbes *de ciue c. IX. §. 5.* inter ſtatum naturalem & ciuilem diſtinguit, & imperium maritale huic recte adſcribit. cum itaque ſtatus ciuilis imperium aliquod in familia poſtulet, cui illud ex naturali ratione deferendum? maſculo an feminae? Illi ſine dubio, cum etiam per maſculos integrum corpus reipubl. ſimul ſuſtineatur, conſeruetur & defendatur, vnde maſculorum eſt, omnia ita domi inſtruere, quo reipubl. bene ſit. Equidem Arrianus 2. *H. Alex. M. c. 7.* ait: *receptum ſolitumque in Aſia iam inde a Semirami, etiam feminas imperium in viros exercere*, nec deſunt exempla in Europa imperiorum muliebrium ſat feliciter geſtorum; aſt de imperiis ciuilibus hic non loquor, & vero talia exempla irregularia ſunt nec inde argumentum vniuerſale ad domeſticam ſocietatem inferri poteſt.

(k) Vtrique parenti ius naturae committit educationem infantis recens nati, & cum haec absque imperio eſſe non poſſit, vtrique illud concedit, quatenus ad educatio-

§. XI. Porro in ſtatu ciuili officia humanitatis non raro transeunt in neceſſitatem, ſi illa vſibus reipubl. neceſſaria viſa fuerint. Atq; hinc (I.) naſcitur *neceſſitas ſuſcipiendi tutelam* (l) impu-

ducationem neceſſarium eſt, & cum ad hanc tale imperium non ſit neceſſarium, quod ſimul *ius vitæ & necis* in ſe contineat, dubito, an in ſtatu naturali illud parentibus ex hoc imperio adſcribi poſſit; interim ſi liberi hoſtilia quædam in parentes machinati fuiſſent, omnia in eos licita fuiſſent, quæ in hoſtem. Cum vero in *ſtatu ciuili* interſit reipubl., liberos educari in ſpem patriæ, & pater in familia imperium habere debeat, etiam in ipſam vxorem, non poteſt non quoque prærogatiuam imperii habere in liberos præ liberorum matre. Quantum autem imperium eſſe debeat, determinat vt plurimum lex ciuilis.

(l) Suſcipere educationem liberorum alienorum eſt *officium pietatis*, & *humanitatis*, & in ſtatu naturali cuiuis liberum eſt, cogi autem ad hoc nemo poteſt, cum officia pietatis coactionem in hoc ſtatu non recipiant, cum ſingulis hoc incumbat, & ita alter ab altero id ipſum iure perfecto exigere non poſſit. Aſt in ſtatu ciuili ſicuti omnes ſubditi ſunt in tutela reipubl., ita multo magis hi, qui maiori tutela indigent, quales impuberes aliique, & hinc ICtus in *l.* 2. §. 1. *ff. ne de ſtat. defunct.* ad hanc rationem naturalem prouocat, aiens, quod impuberes ſint in *tutela publica*. Cum itaque tutela harum perſonarum ad rempubl. ſpectet, ab imperante vero commode expediri non poſſit, illam ſubditis recte imponit, ad exemplum ceterorum munerum publicorum, quo intuitu recte Romani tutelam dixerunt eſſe *munus publicum*, & ita imperans eſt *ſupremus tutor*, qui inhabiles ex officio remouet, & quos habiliores iudicat, ſubſtituit.

impuberum, aliorumque, qui ſe ipſos regere non poſſunt.

§. XII. Præterea (II.) pauperes, languidi & debilitati ſunt alendi a republica, (m) & conſequenter ſinguli ad hoc officium pietatis aliquid conferre debent.

§. XIII. In contractibus ineundis, (III.) quibus res inuicem permutantur, ratio reipubl. poſtulat, vt pretia rerum non ex cuiusuis arbitrio, ſed communi (n) determinentur.

§. XIV.

(m) Sunt hi eodem ſenſu in tutela publica, quo impuberes. Dare eleemoſynas eſt res miſericordiæ, ſed in ſtatu ciuili conuerti poteſt in neceſſitatem, ſi ditiores nimis obdurati ſint. *Hac benignitas*, ait Cicero *lib. 2. de offic. reipubl. vtilis eſt, redimi e ſeruitute captos, locupletari tenuiores.* Apud Græcos lex erat: *mutilati in bello, publice aluntor.* Plutarch. *in Solon.* Nam vt ait Ariſt. *1. Polit. 10. aliquo modo eſt eius, qui ciuitati præeſt, & eius, qui rem domeſticam adminiſtrat, etiam bonæ valetudinis ſuorum curam habere.* De Thebanis Ælianus *lib. 2. c. 7.* hæc refert: *lex hac Thebanorum rectiſſime & humaniſſime poſita eſt, ne cui Thebano liceat exponere infantem, neque in ſolitudinem abiicere, capitis ſupplicio conſtituto. Verum ſi extrema mendicitate pater laboret, ſiue mas ſit, ſiue femina infans, iubet lex, eum ſtatim a materno partu ad magiſtratum cum ipſis faſciis afferre: qui acceptum alitui tradit leui pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, bona fide infantem alat, & adultum ſerui vel ſeruæ loco habeat, ſic vt pro mercede educationis operas eius accipiat.*

(n) In ſtatu naturali quilibet eſt rerum ſuarum arbiter, quilibet pretium rebus ſuis ſtatuere poteſt, vt alter non poſſit conqueri de læſione, cum res per ſe pretium

§. XIV. Non eadem quoque poteſtas de rebus ſuis diſponendi (o) ſingulis permiſſa eſt in ſtatu ciuili, quæ obtinuit in ſtatu naturali.

§. XV. Imo in genere omnia iura ſubditorum inter ſe ſunt ſaluti reipublicæ ſubordinata, & imperantis diſpoſitioni (p) ſubſunt.

§. XVI.

tium non habeant, ſed ex hominum affectione conſequantur. Aſt in ſtatu ciuili vnio peculiaris inter ſubditos poſtulat, vt ſinguli ſe accommodent ad iudicium maioris partis in republica, vt res ſuas haud maioris æſtiment, quam communiter æſtimari ſolent. Quod maxime tunc attendendum, ſi quis æſtimationem rei vel damni inire, vel alias pretium petere debeat. Et hoc eſt, quod vocant *iuſtum pretium.* Aſt ſi contrahentes ipſimet pretium definiuerint, maior & laxior adhuc eſt libertas in pretio definiendo, modo dolus abſit, vt neuter facile de læſione conqueri poſſit. Optime Seneca *lib. VI. de benef. c. 15.* *Quædam,* inquit, *pluris ſunt, quam venierunt, & ob hoc mihi aliquid extra pro illis, quamuis emta ſint, debes. Primum quid intereſt, quanti ſint, cum de pretio inter ementem & vendentem conuenerit? Deinde non veniit illud ſuo pretio ſed tuo. Pluris eſt, inquit, quam veniit. Sed pluris venire non potuit. Pretium autem cuiusque rei pro tempore eſt. Cum bene iſta laudaueris, tanti ſunt, quanto pluris venire non poſſunt. Præterea nihil venditori debet, qui bene emit.* Conf. Illuſtr. Thomaſius *de æquit. cerebr. l. 2. C. de reſc. vend. c. II. §. 29.*

(o) In ſtatu ciuili obtinet regula: *expedit reipublicæ, ne quis re ſua male vtatur,* manet quidem adhuc quiuis rerum ſuarum arbiter, ſed non quoad vſum reipubl. nociuum. Inde olim apud Romanos profluxit ius declarandi prodigos.

(p) Pacta, contractus, transactiones & quævis alia negotia

§. XVI. Porro defenſio ſui ipſius iure naturæ ſingulis permiſſa eſt, tam in *naturali* quam *ciuili* ſtatu; ſed in hoc nemini tam laxum ſpatium (q) indulgetur, vti quidem in illo.

§. XVII.

tia inter ſubditos poſſunt celebrari, & hactenus robur habent, quatenus ab imperante non reprobantur, ex ratione reipubl. Aiunt, *principem non poſſe tollere ius quæſitum ſubditorum.* Adde, *ſine iuſta cauſa.* Atque hæc ſemper ſupponitur, ſi ratio reipublicæ reſiſtat pactis conuentis, de quo imperans vnice iudicat. In caſu *publicæ inopiæ* creditores ius ſuum nimis acerbe & amare perſequi nec poſſunt nec debent. Quædam imperans ad debitorum leuamen iuſte remittit, imo ad aliquod tempus ſuſpendit exactiones debitorum. Inde nata ſunt reſcripta *moratoria.* Ad ſeditionem in republica Romana ſedandam ſenatus plebi debita remittere debuit. Suetonius *lib. I. c. 49.* refert, Iulium Cæſarem dictatorem tuliſſe legem occaſione belli ciuilis, per quod multi ciues ad incitas erant redacti, vt creditoribus ſatisfacerent, æſtimatione poſſeſſionum, quantæ illæ ante bellum erant comparatæ, fœnus vero omne in vniuerſum remitteretur, numerato de ſorte deducto. Qua ratione quarta fere pars deperibat. Similis lex lata fuit, dicta Licinia apud Liuium *lib. VI. c. 38.* Eodem modo & iuramenta ſubditorum relaxare imperans poteſt, vt non habeant effectum ciuilem agendi, Grot. *lib. II. c. 13. §. 20.* Generatim Cicero *lib. II. de LL.* huc reſpicit: *Reſpubl. nomen vniuerſæ ciuitatis eſt, pro qua mori, & totos nos dare, & omnia noſtra ponere & conſecrare debemus.*

(q) In ſtatu *naturali* qui ſe hoſtem mihi profitetur, & *rupto fœdere humani generis*, vt Florus de latronibus loquitur, quæuis mala mihi intentat, non tantum *illatam* repellere, ſed etiam *imminentem* præoccupare

fas

Digitized by Google

§. XVII. Et denique libertas ſubditorum in quibuscunque negotiis reſtricta (r) eſt ad ſalutem reipublicæ, quæ illimitata eſt in ſtatu naturali.

CAP. IV.

De
Iuribus ſubditorum vacante imperio.

§. I.

Quo magis iura ſubditorum, *ſtante imperio*, intuitu regiminis publici quieſcunt; ita, *eo vacante*, eo plenius ſeſe exſerunt, cum deficiat illud vinculum, (s) quo antea conſtringebantur.

§. II.

fas eſt. Sed in ſtatu *ciuili* defenſio quaſi in puncto conſiſtit, ſi iudicis copia deficiat, adeoque eius auxilio vtendum eſt, ſi tantum vis e longinquo immineat, & tantum priuata vindicta licita eſt, ſi quis aliter ſe ſuamque vitam defendere nequit. Porro in ſtatu naturali non tantum *præſentem* vim depellere, ſed etiam *in futurum* mihi ſecuritatem procurare poſſum, & ita defenſio non cenſetur finita, ſi vel maxime vis præſens feliciter fracta & depulſa ſit; aſt in ſtatu ciuili ſecuritas in futurum non a vindicta priuata, ſed a magiſtratus ope & autoritate eſt petenda &c. vid. Pufendorff *lib. II. de iure nat. & gent. c. 5. §. 3. ſeqq.*

(r) De hac reſtrictione aliquoties ſupra iam actum eſt, vt non neceſſe ſit, illud denuo hic repetere.

(s) Per imperium in vnum vel plures collatum deſinunt velle ſinguli intuitu eorum, quæ ad ſumma rerum ſpectant, cum quoad hæc voluntatem ſuam in princi- pis

§. II. Non loquor autem de *totali interitu reipublicæ*, (t) quo accidente, nullum ciuile vinculum

pis voluntatem contulerunt, prout fuſius hactenus dictum eſt. Vacante imperio res quodammodo redit ad ſua primordia, ſinguli regulariter, vel qui tanquam proceres ſingulos repræſentant, libertatem primæuam *quodammodo* recipiunt, & ad voluntatem priſtinam redeunt, ex quo neceſſario maior libertas iis competit. Verum cum variis modis vacare poſſit imperium, & præterea non vniformis ſit ratio rerumpublicarum, diſtincte de his iuribus ediſſerendum eſt.

(t) Mors ciuitatum oritur ex *diſſolutione vnionis*, quæ *ſpiritum* & *vitam* earum conſtituit, qua ſublata diſſociata multitudo inde oritur. Quamdiu vinculum quoddam inter homines in ſocietate ciuili olim coniunctos remanet, tam diu ciuitas quodammodo durat, licet ſedes antiquas relinquant, vti ex migrationibus variis populorum conſtat. De Heluetiis refert Cæſar *lib. I. de bell. gall. c. 5.* quod *oppida omnia ſua numero ad duodecim, vicos ad quadringentos & reliqua priuata ædificia incenderint, frumentumque omne, præterquam quod ſecum portaturi erant, combuſſerint, vt domum reditionis ſpe ſublata paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent.* Hi licet ſedes ſuas reliquerint, cohæſerunt tamen ſuo modo, & vinculo quodam ciuili fuerunt conglutinati. Aſt ſi aratrum ciuitati inducitur, id quod Carthagini contigit, ſi diſpergitur vndique populus, *moritur* ciuitas, cum vitam ſuam, qua cohæſit, amittat, & ſic quoque iura ſua ſimul habere deſinit, vt philoſophatur ICtus in *l. 21. ff. quib. mod. vſusfr. amitt.* Tale fatum habuit reſpublica iudaica ex iuſtisſimo DEI iudicio, quæ antea tam celebris, & ab ipſo Deo ſapienter adornata erat, vt in hunc vsq; diem iudæi diſperſi totũ peruagentur orbem.

Cauſæ

culum inter conciues remanet, & conſequenter iura reip. in totum exſpirant. (u)

§. III. Quodſi ergo, qui ſuperſunt ex ruinis prioris reipublicæ, in ſocietatem ciuilem de nouo conſentiant, (uu) noua inde emergit reſpubli-

Cauſæ huius mortis ciuitatem ſunt variæ, inprimis vero *ipſa diſcordia* ſubditorum hic nominanda eſt, quæ vnionem tollit. *Nulla enim domus tam ſtabilis, nulla ciuitas tam firma, quæ non odiis & diſſidiis funditus poſſit euerti,* vt ait Cic. *de Haruſp. reſponſ.*

(u) Extincta republica, extingui quoque iura eius neceſſe eſt, ſiue totus populus exſcindatur, ſiue in ſeruitutem publicam deducatur, vti Iudæis fecit Salmanaſſer Rex Aſſyriorum *2. Reg. 17.* Vbi Albani a Romanis deficerent, funditus vrbs eorum diruta, & omnes exire iuſſi & Romam traducti ſunt. Sic *Roma creuit ex Albæ ruinis,* vt ait Liuius *lib. I, c. 29.* ipſe autem Albanus populus deſiit ciuitatem propriam conſtituere, & propria iura amiſit. Capua, poſtquam in bello cum Hannibale a Romanis eſſet recuperata, idem fere fatum habuiſſet, ni conſilium mutatum eſſet. Principes ſenatus interfecti ſunt, & nobiles trecenti alio modo perierunt. *De vrbe quoque reliqua conſultatio fuit :* (ſunt verba Liuii *lib. XXV, c. 16.*) *quibusdam delendam cenſentibus, prævalidam, propinquam, inimicam. Ceterum præſens vtilitas vicit.* Ipſa interim respublica *in ſe* deſtructa fuit, vti addit Liuius: *Ceterum habitari tantum, tanquam vrbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore. Præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis miſſuros.*

(uu) Rariſsime quidem hoc contingit, cum deſtructa republica

§. V. Vacante ita imperio, ſtatus ciuitatis ad democratiam (y) vergere videtur, vtut priſtino imperio extincto, imperfecta, laxa & imbecillis vnio, (z) quæ inter ſubditos eſt, euadat.

§. VI.

conuocato ipſi de reipubl. forma conſultare permiſerunt, vtrum regi, an magiſtratibus annuis reip. adminiſtrationem committere vellet &c. Dion. Halicarn. *lib. II.* Non enim interreges *proprio*, ſed magis *vicario iure* adminiſtrant, iure penes totam rempublicam reſidente, cui rationibus reddendis obnoxii ſunt, niſi forſan interrex antea *lege publica* generaliter ſit conſtitutus.

(y) Antequam imperium vni deferretur expreſſo vel tacito conſenſu, vnio quædam inter ipſos, qui ciuitatem conſtituunt, præcedere debuit, vti *lib. 1. c. 2. P. Spec.* dictum eſt, quæ vnio etſi ab initio democratiam haud conſtituerit, vti contra Huberum *cit. l.* euictum eſt, interregni tamen tempore, vbi res ad primum ſtatum reduci videtur, aliud dicendum videtur. Ratio differentiæ hæc eſt: antequam respublica conſtituitur, multitudo, ex qua naſcitur, ſine vllo inter ſe imperio eſt, & in ſtatu naturali viuit: vbi autem ſemel in rempublicam tranſiit, & imperium præ ſtatu naturali voluit, perfectius inter ſe conglutinata eſt, nec, vacante forſan imperio, diſſociari animum habere videtur, quin potius cum ab initio rempublicam conſtituit, in ſtatu ciuili perſeueratura credi debet: inde, præſente imperio extincto, ſumma poteſtas, quæ ſemel placuit, ad populum, vel qui illum repræſentant, redit, & ita manet reipublicæ ratio, ſiue ad democratiam, vt in primo caſu, ſiue ad ariſtocraticam, vt in altero, redeat.

(z) Hoc tunc contingit, quando ad vniuerſum populum ſumma rerum redit, & quidem ideo, quia Democratia per ſe ſatis turbida & intuta eſt, niſi pactis per-

§. VI. Et ita in poteſtate populi eſt, imperium cuicunque deferendi, vel formam imperii immutandi. (a)

§. VII. Hinc populus non obſtringitur teſtamento defuncti, quo ſucceſſor declaratus eſt, quod ſicuti per ſe inter gentes effectum iuris

ſpicuis ſuo modo temperata fuerit, quæ hoc caſu deficere ſolent. Vnde tot mala interregnorum naſcuntur, vt fere crederes, in ſtatum naturalem rempublicam rediiſſe, ceu diuturnum Germaniæ interregnum docet.

(a) Romulo extincto, *patres populo ad concionem tributim & curiatim conuocato, ipſi de republica forma conſultare permiſerunt, vtrum regi, an magiſtratibus annuis reipublica adminiſtrationem vellet committere*, vt refert Dion. Halicarn. *lib. II.* Perinde autem eſt ſiue totus populus de eo deliberet, & aliquid certi conſtituat, ſiue negotium certis perſonis committat, cum ita ex harum inſtitutis & facto obligentur, quemadmodum feciſſe legitur populus R. *cit. l. Populus tamen*, ait Dionyſius, *eam optionem ſibi non vindicauit, ſed eius rei cognitionem ad ſenatum reiecit, lubenter admiſſurus, vtrum reipubl. adminiſtrandæ genus illi approbaſſent, & in eo acquieturus. Illis vero omnibus viſum eſt regem creare* &c. Similis deliberatio inſtituta fuiſſe legitur apud eundem *lib. IV.* regibus eiectis, quo ipſo imperium vacare incipiebat. Primo diſputatum fuit de iure indicendi comitia. Hoc Brutus tanquam *tribunus Celerum* ſibi vindicauit. Deinde deliberatum eſt, *quisnam magiſtratus poſt exactos reges vrbis imperium ſit habiturus, & quæ ſit futura forma reipublicæ.* Tandem placuit conſilium *de tradendo duobus viris imperio*, & quidem *temporario*. quod deinceps ab vniuerſo populo approbatum eſt.

(b) Car-

iuris (b) non habet: ita multo minus valere poteſt

(b) Cardinalis quæſtio eſt: an teſtandi facultas tantum ſit ex *iure poſitiuo*, an vero etiam ex *iure naturali.* Si illud aſſerimus, teſtamenta inter gentes, quæ ſolo reguntur iure naturæ, effectum nullum habent, cum ad quod quis ius nullum habuit, effectum iuris producere non poſſit: Si vero hoc defendimus, etiam teſtamenta principum vigorem obtinebunt. Cum vero illuſtris Cocceius *diſſ. de teſtam. princ.* & ill. Thomaſius *diſſ. de orig. ſucceſſ. teſtam.*, in hac iuris naturæ diſciplina facile principes, ſatis iam demonſtrarunt, teſtamenti factionem, ſeu, ius teſtamenta ordinandi non eſſe ex iure naturæ, ſed ex iure mere poſitiuo, theſin hanc pluribus exornare nolo. Res huc redit: teſtamentum eſt diſpoſitio vnius ſolitaria, ergo iure naturæ adhuc imperfecta & inualida; cum hoc iure *ius perfectum* in alterum transferri demum poſſit *vtriusque conſenſu concurrente;* cum ideo actus reuocari & impugnari non poſſit, quia alter diſpoſitionem ſeu promiſſum accepit, ex qua acceptione ius perfectum natum eſt. Porro dominium hoc natura ſua infert, vt, quamdiu viuit dominus, ius ſuum in alterum transferre poſſit: aſt vero, vt quis dominium in alterum transferat eo tempore, quo nullum ius amplius habet, ratio iuris non patitur. Morte ius omne exſpirat. Teſtamentum autem non tribuit ius viuente domino, ſed eo demum tempore, quo nullum ius habet. Neque obſtat, quod ex antecedente voluntate tribuat ius, nam *voluntas* hæc *antecedanea* confertur in id tempus, quo nullum ius amplius habet, nec transferre poteſt. Poſſumus *antecedenter* aliquid velle, modo voluntas durare poſſit. Quod *antecedenter* volumus, tunc effectum habet, ſi eo tempore, quo effectus ſeſe exſerere debet, adhuc *ius* habemus. *Nemo rem ſuam in eum caſum, quo ſua non ſit, promittere poteſt*

poteſt in præiudicium populi. (c)

§. VIII. Quod etiam dicendum eſt, ſi vel maxime *facultas alienandi* ipſi competat, ſub qua teſtamenti factio non complectitur. (d)

§. IX.

re poteſt. Dubia reliqua reſoluuntur *in alleg. Differt.* Exempla teſtamentorum imperantium non deficiunt, ſed hæc ius nec faciunt, nec arguunt. Fluit exinde, principes imperii noſtri ſecundum ſolennia iuris R. teſtamenta condere debere. Id omnes concedunt, quod habeant ius teſtamenta condendi; ſi hoc, illud non ex *iure naturæ* habere poſſunt, ſed ex *poſitiuo*, quale eſt Romanum. E. ſecundum præſcriptum legis poſitiuæ teſtamenta quoque condere debent.

(c) Voluntas imperantis eſt quidem voluntas reipubl., ſed quamdiu velle poteſt, vt & de rebus, rempublicam concernentibus. Poſt mortem velle amplius nequit, & conſequenter ſubditos obligare, ad ſucceſſorem nominatum recipiendum. Tale teſtamentum in effectu nihil aliud eſt, quam nuda *commendatio*, quæ *neceſſitatem* non infert, ſed *populi conſenſum* deſiderat, vt effectum iuris conſequatur. Vnde quæ teſtamenta inter gentes valuere, vel ex *approbatione* reipubl. ſeu populi, vel ex accedente *coactione*, cui reſiſti non potuit, effectum ſortita ſunt.

(d) Id quidem Grotius *de I. B. & P. lib. II. c. 6. §. vlt.* aſſerit, ſed inuita ratione iuris. Alienatio eſt translatio iuris in alterum acceptantem, quæ hic deficit. Dum teſtamentum condit, nihil in alium transfert, nec poſt mortem transfert, cum velle amplius non poſſit, nec *ius transferendi* eo tempore amplius habeat. Vbi potuit transferre, noluit: vbi non potuit, ibi voluit; ergo fruſtra diſpoſuit. Quando itaque imperans moritur, non alienato imperio, populus ſuæ poteſtatis ſit, & pro lubitu ſibi imperantem eligere poteſt.

(e) Su

§. IX. Quin ſi imperans imperium, ſe viuente, in alterum transferret, imperium vacare credendum eſt, cum talis tranſlatio ſit nulla. (e)

§. X.

(e) Supra Lib. I. c. *III. §. 32.* euictum eſt, ſub imperio haud comprehendi *ius alienandi* & conſequenter imperantes id habere *ordinarie* non poſſunt. Actus autem, qui *facultate agendi* deſtitutus, eſt ipſo iure nullus, & ſubditi hoc ipſo a vinculo obſequii liberati ſunt. Non ei, in quem alienatio facta, obligantur ad obedientiam, quia voluntatem ſuam ei haud ſubmiſerunt, absque qua ſubmiſſione ſubiectio nulla oritur: nec amplius priori ſuo imperanti obligantur, qui *alienando* vinculum remiſit, ſubditosque a ſe dimiſit, quo ipſo ſit, vt per indirectum ſui iuris fiant. Equidem contingere poteſt, vt alienatio ſubſiſtat, quod ſubditi reſiſtere & ſuo iure vti non posſint; ſed ita fere eodem modo ad obedientiam obligantur, quo hi, qui bello ſubiugantur, qui itidem coacti voluntatem ſubmittere debent. vid. Houtuyn. *in polit. gen. §. 98.* Proinde ad validitatem alienationis neceſſarius eſt ſubditorum conſenſus, quippe de quorum præiudicio agitur, quique ſui iuris fiunt, libertatemque conſequuntur familia regnatrice extincta. Ceterum non idem dicendum eſt, vbi ſubditi nunquam ad libertatem redire queunt, ſed, vacante imperio, ad dominum feudi imperium redit: hoc caſu ſufficit illius conſenſus, ad quem respublica, vacante imperio, redire poteſt, inſuper habito populi conſenſu. Hæc ratio facit, vt ſtatus imperii noſtri, conſenſu imperatoris accedente, alienare prouincias posſint, cum, extincta familia, territoria ad imperatorem deuoluantur, nec ſubditi ſui iuris fiant, & ita iis per alienationem nullum præiudicium inferatur.

 (f) Hoc

§. X. Niſi (I.) populus imperanti facultatem alienandi dediſſet, vel *expreſſe* vel *tacite*, (f) aut conditio imperii (g) id ita poſtulet.

§. XI. Vel (II.) imperium familiæ certæ delatum fuerit. Sic enim, quod ab anteceſſore nulliter alienatum eſt, a ſucceſſoribus (h) recte reuocatur.

§. XII. Vacat autem principaliter imperium (I.) *per mortem imperantis*, ad cuius perſonam imperium reſtrictum fuit, id quod etiam in dubio

(f) Hoc tunc cenſetur factum, ſi præter *imperium* in ſe, etiam *proprietatem* rerum ſuarum in eum contulerunt, vti fecerunt Ægyptii, tempore annonæ, admodum Ægyptum prementis. Ioſephus* enim Pharaoni omnes agros ſubditorum coemit, quo factum, vt omnis terra Ægypti in proprietatem Regis redacta fuerit, ipſi vero ſubditi facti fuerint harum terrarum coloni. *Gen. XLVII.* Vtut itaque alias in ipſo *imperio* non contineatur alienatio, in rerum *proprietate* tamen comprehenditur.

(g) Si bello acquiſitum ſit imperium & ita inuitis ſubditis, alienari poſſe facilius crediderim. De *herili* id etiam affirmant, quod tamen dubium eſt, cum ex libero conſenſu conſtituantur, id quod praxis regnorum herilium affirmat.

(h) Hoc caſu populus alienatus ſui iuris non ſit, cum ius imperii ſucceſſoribus quæſitum ſit, imo etſi vel maxime colla ei, in quem alienantur, ſubmittere non teneantur, & hactenus ſui iuris fiant, ſucceſſoribus tamen ſuam obedientiam ſubtrahere non poſſunt, cum regnatrici familiæ ſe ſemel ſubmiſerint, quo ipſo omnibus, qui ſunt de familia, ius regni quæſitum eſt.

(*) Id

dubio præſumi debet. (*) Hoc caſu ipſa collatio imperii in alium fit per *electionem* populi, (i) vel cui hanc commiſit. (k)

§. XIII.

(*) Id ſupra iam euictum eſt *p. 224. ſeq. lit. z.*

(i) Cum enim populus ſui iuris factus & a priori vinculo liberatus ſit, voluntatem ſuam cuicunque libere ſubmittit. Ergo conſenſu eius opus, qui per *electionem* explicatur. Non autem *ſingulorum* conſenſum requirit ratio naturalis, ſed *maioris partis*, vt in *democratiis* fieri ſolet. Ante respublicas conſtitutas ſingulorum conſenſum requiri, facile conceſſerim, cum nemo alterius conſenſu adſtringatur, vt in ſocietatem ciuilem eat. vid. *P. II. lib. 1. c. 2. §. 2. ſeqq. p. 159.* Aſt vbi ſemel in ciuitatem abierunt, vacante *imperio*, vel potius *ſede*, democratia quædam oritur, vti ſupra *§. V.* dictum eſt, in qua, quæ expediuntur, conſenſu *maioris partis* expediuntur. Maior pars iudicari debet ex *præſentibus*, qui abſentes obligant, quibus imputatur, quod non comparuerint. Electio ipſa *libera* eſt, niſi *primordialiter* certo pacto determinata fuerit, veluti ratione *gentis*, *religionis* &c. quod tamen pactum intelligi debet ſub clauſula: *rebus ſic ſtantibus.* Quid enim ſi populus extraneam ſacra receperit? ſalus publica, quæ ſuprema lex eſt, poſtulat, vt ſacris ſuis addictum imperantem eligat. Ceſſante omni pacto vel lege fundamentali, *extraneum* etiam eligere poteſt. Poſt Romuli diſceſſum, electores iudicarunt, *quærendum aliquem extraneum, & neutrarum partium fautorem, vt hoc potiſſimum modo omnis ſeditionis materia tolleretur, eumque regem creandum.* Dion. Halicarnaſſ. *lib. II.* Sic nulla lex imperii adeſt, quæ electionem imperatoris ad *Germanum* adſtringeret.

(k) Romulo exſtincto, *populus optionem ſibi non vindicauit, ſed eius rei cognitionem ad ſenatum reiecit*, Dion.

 Hali-

Halicarn. *lib. II. Poſt Anci Marcii mortem ſenatus denuo, cum populus ipſi permiſiſſet, vt quam vellet, ciuitatis formam conſtitueret, in eadem manere ſtatuit, & interreges creauit. Illi vero, conuocata multitudine ad comitia, regem elegerunt L. Tarquinium.* Id. *lib. III.* Permiſit ergo populus ſenatui facultatem & *de forma imperii cognoſcendi*, & *eligendi imperantem.* Sola electione commiſſa, non potuiſſent ſimul de forma decernere, cum commiſsio nihil vlterius tribuat, quam quod commiſſum eſt. Poteſt quoque *ius eligendi* perpetuo in quosdam transferri, vti in *Archi-Officiales* imperii noſtri factum eſt, quo ipſo populus arbitrium circa electionem a ſe abdicauit. Ceſſante hoc pacto ius eligendi nemo *ſuo iure* ſibi vindicare poteſt. Inſulſa fuit Iohannis XXII. conſtitutio, qua ſibi electionem imperatoris vindicauit. *In noſtram, ait, & fratrum noſtrorum deductum eſt notitiam, quod licet de iure ſit liquidum & ab olim fuerit inconcuſſe ſeruatum, quod, vacante imperio, ſicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum imperatoris vacaſſe dignoſcitur, cum in illo ad ſecularem iudicem nequeat haberi recurſus, ad ſummum pontificem, cui in perſona beati Petri terreni ſimul & cœleſtis imperii iura Deus ipſe commiſit, imperii prædicti iurisdictio, regimen & diſpoſitio devoluuntur, & ea ipſe (durante ipſius vacatione imperii) per ſe vel alium ſeu alios exercuiſſe noſcitur in imperio memorato* vid. *c. vn. ne ſede vac. in extrav. Ioh. XXII.* Ita philoſophari, eſt cum ratione inſanire, & quia tot falſa, tot erronea in paucis hiſce verbis continentur, non mirandum, quod hæc philoſophia nullibi locum inuenire potuerit. Lædit illa omnium imperantium iura independentia, facitque Reges ipſos Pontificis miniſtros, vicarios vel procuratores. Similis philoſophia rationi omni contraria fuit illius Monachi, cuius ſupra p. 593. mentio facta, quamque pictura ibidem exſculpta, expresſit hoc verſiculo:

Rex ego ſum regum, lex eſt mea maxima legum.

Te,

§. XIII. Quæ commiſſio non tantum *expreſſa* declaratione fieri poteſt, ſed etiam *tacita*, concurrente obſeruantia diuturna, & eorum acquieſcentia, *(l)* qui alias ad electionem concurre-

Te facio Regem &c. Olim non erat ſic. Olim Pontifices profitebantur, ſe conſtitui & confirmari ab imperatoribus, quibus etiam rationem reddere debebant, ſi querelæ contra eos eſſent motæ, vti hiſtoriæ docent.

(l) Iura etiam tacite remitti poſſunt per non-vſum & intermisſionem accedente diuturnitate temporis, quæ maximum in moralibus robur habet. Olim in electionibus imperatorum *ſuo modo* concurrebant omnes principes, voto primario electoribus, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictis, conceſſo. Solebant principes reliqui nominare ſolenniter candidatum imperio præficiendum, quam nominationem *prætaxationem* appellabant: ſubſequebatur deinceps ſolennis electio, Archiofficialibus competens. Ita enim Albertus Stadenſis in Chronico ad ann. 1240. *Papa Gregorius inſolentias imperatoris contra eccleſiam metuens principes ſuper electione alterius ſollicitauit, ſed nihil profecit: quia quidam principum ei reſcripſerunt, non eſſe ſui iuris imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum a principibus coronare. Electio enim ad illos dignoſcitur pertinere. Ex prætaxatione principum & conſenſu eligunt imperatorem Treuirenſis Mogontinus & Colonienſis. Palatinus eligit, quia dapifer eſt, Dux Saxoniæ, quia Mareſcalcus & Marggrauius de Brandenburg, quia Camerarius.* Clarius rem totam adumbrat VVelbertus Capellanus Conradi III., adductus a Gewoldo *de Septemuiratu c. VI.* vbi ita: *Martino Henrico rege, multi principes ex toto regno congregati ſunt in Moguntinenſi vrbe, vbi de electione noui regis magnus erat tractatus. Initio in magna cu-*

currere olim poterant, qui ita in poſterum a iure eligendi excluduntur, cum ad iura remiſſa haud detur regreſſus.

§. XIV. Modus eligendi ſpecialis iure publico particulari determinatur, nec huc ſpectat, quo etiam qualitates perſonæ eligendæ (m) circumſcribi ſolent.

§. XV.

ria collecti erant omnes, qui ibi fuerunt ſeculares ac ſpirituales principes, quorum plerique nude & ſimpliciter nominabant, quem optabant per alios eligi, & tamen ipſi non eligebant, quia non habebant voces ſuffragiorum realium. Cum igitur nominauerunt Lutherarium, dixerunt, huic promti ſumus obedire, ſi vos eum inthronizabitis in regnum, veſtris annuentibus votis & beneplacito nulla diſcordia erit. Pauci autem ſpirituales & temporales primates examinantes perſonam Lutherarii & bellicoſa facta & merita erga Chriſti ſeruos & vniuerſam eccleſiam eum votiue elegerunt &c. Vtut vero ex his ſatis appareat, ſuo modo omnes principes electionibus imperatorum interfuiſſe, poſtea tamen pedetentim electio tota in vniuerſum ad electores deuoluta eſt, omni deinceps prætaxatione, nominatione, & aſſenſu ceſſante, quæ remisſio nulla expreſſa declaratione facta legitur, ſed ipſa *intermisſione* & *non-vſu* ſtabilita & *patientia diuturna* confirmata eſt.

(m) Veluti vtrum ex certa familia electio fieri debeat? qua ætate, quibus moribus & virtutibus eligendus præditus eſſe debeat? an extraneus admitti posſit? Sane iure publico iudaico contrarium cautum legitur, quo Deus ſtatuit, *ne populus Iſrael aliunde ſibi regem eligere posſit, quam ex fratribus ſuis i. e. ex gente Hebræa Deut. I. 7.* Ius publicum vniuerſale nihil aliud requirit, quam vt talis eligatur, qui huic rei ſufficere posſit.

(n) In

§. XV. Sicuti vero in electione populus vel qui hunc repræſentant, libere conſentiunt in delationem imperii, ſeque electo ex pacto ſubmittunt; ita eodem pacto certas conditiones ei præſcribere, (n) & ſub illis demum ei imperium deferre poſſunt, ad quas ſeruandas iure naturæ obligatur.

§. XVI. Circa quas conditiones & pacta ſi dubium in interpretando occurrat, interpretatio non populo, ſed imperanti indulgenda videtur, ſaltem per indirectum. (o)

§. XVII.

(n) In omni electione duo concurrunt: (1) *deſignatio* perſonæ (2) *delatio* imperii perſonæ deſignatæ, & ab eo ſubſecuta *acceptatio*. Hæc *delatio* & *acceptio* nihil aliud eſt quam pactum, ſeu duorum in idem placitum conſenſus. Quodcunque autem pure alicui deferri, & ſub conditione poteſt. Neque obſtat, quod populus imperanti nullas leges præſcribere valeat, vt ſuperiori, vt domino: nam quando populus ſub certis conditionibus alicui defert imperium, nondum imperans eſt, cum pari paciſcitur: acceptione autem facta, & conditionibus aſſenſu confirmatis, ex poſtfacto imperium adipiſcitur, nec propter imperium acceptum nexu antea conciliato ſoluitur, id quod Hobbes voluiſſe videtur, eo quod imperans populo obligari non posſit, nam id quidem *lib. l. c. 5.* ſatis profligatum eſt.

(o) Noui, grauisſimas dubitandi rationes non deeſſe, quibus populo interpretatio concedenda videtur. Quid enim? nonne populus conditiones concepit, præſcripſit, compoſuit? quilibet vero eſt verborum ſuorum interpres. Imperans ſimpliciter in verba concepta iurare coactus eſt, cum alia ratione imperium ſuſcipere haud potuerit. Sed ſalua res eſt. Populus imperanti

§. XVII. Vbi vero imperium non *certæ perſonæ*, ſed toti familiæ primi imperantis, collatum eſt, (p) morte imperantis non vacat imperium, ſed *ſucceſſioni* locus, adeoque populus ad libertatem non redit.

§.XVIII.

perauti detulit imperium ſummum in ſe: quicquid ergo non clariſſimo pacto excepit, id libere imperans agere poteſt. In conditionibus ſuam peculiarem quæſiuit vtilitatem, & ita ſi verba ſint dubia & obſcura, contra ſe interpretationem admittere & pati debet, in cuius poteſtate fuit, clarius loqui. Semper enim interpretatio contra eum facienda, qui clarius loqui debuiſſet, qualis eſt ille, qui peculiarem & extraordinariam quæſiuit ſibi vtilitatem. Hæc regula non eſt iuris Romani inuentum: fundata eſt in ipſa ratione naturali. Dum itaque in dubio contra populum interpretatio facienda, per indirectum inde euenit, vt interpretatio imperantis præualere debeat.

(p) Succeſſio a populi voluntate *expreſſa* vel *tacita* dependet in *libera imperii delatione*, quia cum imperantem ſibi conſtituit, deſignare etiam poteſt, vtrum tantum eius *perſonæ*, an *integræ familiæ* imperium deferatur. In Theocratia iudaica quidem ex Dei arbitrio hoc vnice dependebat, cum Deus iudæis ab initio quoque regem daret, & ſucceſſionem demum in Dauide ſtabiliret, quocirca ex populi conſenſu hæc ſucceſſio non dependebat, vti in aliis rebuspublicis voluntate populi conſtitutis. Hac ratione *electiua* imperia in ſucceſſiua mutari poſſunt, ſi populus *ipſo facto* conſentiat in ſucceſſionem, liberos imperantis ſine noua electione ſponte admittat, & ita ſucceſſioni locum relinquat. Quæ *iure belli* acquiruntur imperia, non ita dependent ex voluntate populi, quam quæ ab initio libera voluntate delata fuere. Vnde fit plerumque,

§. XVIII. Ratio ſuccedendi iure naturali non eſt determinata, (q) & proinde ex *voluntate populi expreſſa* vel *præſumta* (r) diiudicanda, quatenus libera voluntate imperium familiæ delatum eſt: ſi bello ſubactus populus in imperium

rumque, vt victor ius ſucceſsionis conſtituat, adornetque, & populus ſubactus ſicuti in imperium, ita quoque in hanc conditionem imperandi conſentire debeat.

(q) Quæ rationes adducuntur pro ſucceſsione ex iure naturæ adornanda, magis *ſuaſoria* ſunt, quam *præceptiua*, & plerumque tantum oſtendunt, quid expediat & decorum ſit in ſucceſsione, non quid neceſſario fieri debeat. Et hoc eo magis in ſucceſsione hac, de qua quæritur, admitti debet, vbi ſimul habilitas ſingularis in ſucceſſore adeſſe debet. Vtut itaque ex moribus gentium ſucceſsio ad liberos deuoluatur, non tamen deſunt rationes, quæ quandoque ſuadere poſſunt, vt potius fratri defuncti, quam eius filio deferatur imperium, ſi forſan hic infans ſit, frater vero ad imperandum aptisſimus. Hoc caſu æque prægnantes & ſuaſoriæ rationes adſunt pro fratre quam filio defuncti: vtrobique dubitandi rationes occurrunt, quæ ratione iuris adæquata vix diſſolui poſſunt. Ergo aliunde tales quæſtiones diſcutiendæ ſunt.

(r) Raro contingere ſolet, vt lege fundamentali expreſſa populus in delatione imperii ſucceſsionis rationem determinet, ergo plerumque recurrendum ad voluntatem præſumtam, quæ ex *natura ipſius imperii delati* potisſimum deſumi debet, cum tales cenſeatur voluiſſe ſucceſſores eſſe, qui apti ad imperium ſunt. Qualem habilitatem enim populus in primo imperante prælegit, talem in poſteris quoque reſpexiſſe videtur, quod in ſeqq. ſpecialius demonſtrandum erit.

(s) Populi

rium conſentire debuit, ordo ſuccedendi potius ex *arbitrio victoris* dependet. (s)

§. XIX. Et quidem quod *praeſumtam voluntatem populi* attinet, credendum merito eſt, illam talem in delatione imperii fuiſſe, vt (I) ſucceſsio futura ſe haberet ſecundum *mores gentium vniuerſales* [t], & ita ſucceſsio ad liberos aliosque proximiores deuolueretur.

§. XX.

(s) Populi arbitrium vel ideo hic attendi nequit, quia victoris eſt, legem victis praeſcribere, non a victis accipere. Haec fuit philoſophia Ariouiſti apud Caeſarem *lib. I. de bello Gall. c. 36. n. 1.* aſſerentis: *ius eſſe belli, vt qui vicisſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent: idem populum R. victis non ad alterius praeſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium imperare conſueſſe. Si ipſe populo R. non praeſcriberet, quemadmodum iure ſuo vteretur; non oportere ſe a populo R. in ſuo iure impediri.* Et licet vel maxime in imperio, bello acquiſito, conſenſus populi deuicti excludi nequeat: (quamdiu enim diſſentiunt, reſiſtuntque, *hoſtes*, non *ſubditi* ſunt) conſenſus tamen talis vltima neceſsitate extortus eſt, & hic ius & poteſtas victoris praeualet.

(t) Dum modum ordinemue ſuccedendi populus non determinauit, nihil noui conſtituere, ſed ſe accommodare voluiſſe videtur ad mores aliarum rerumpubl. communes. Sunt homines ita comparati, vt exempla & mores aliorum facilius imitentur, quam contrarios ritus aſſumant, maxime ſi aliorum exempla autoritate grauisſima praefulgeant. Primis imperantibus, vtpote qui per vim ſibi alios ſubiecerunt, hoc ſemper vnice curae cordique fuit, vt imperium in ſua familia ſtabilirent, & in perpetuum ad poſteritatem ſuam deriuarent. Sicuti enim ex ambitione & imperii cupiditate

alios

§. XX. Cum vero in ſucceſſione agnatorum mores gentium varient, adeoque ſæpiſſime controuerſiæ inter plures ex regia familia de ſucceſ-

alios ſibi ſubiecerunt, ita ex eadem ambitione, gloriæ ſibi eſſe duxerunt, ſi imperium ad poſteros ſuos deuolueretur. *Certe*, ait Cicero *pro Archia poeta in f.*, characterem ambitioſorum hominum & qui gloria imperii ducuntur, depingens, *ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi, quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eisdem omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret: nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus* [ambitio], *quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam.* Non itaque aliud medium fuit, immortalitatem nominis & imperii ſui indipiſci, quam vt illud ad liberos ſuos deuoluerent. Crediderunt enim gentiles, vtpote qui *ambitionem* & *gloriæ cupiditatem* in virtutum claſſem collocarunt, *idcirco nos filios filiasque concipere atque edere, vt ex prole eorum earumue diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus*, vt philoſophatur Calliſtratus in *l. 220. §. 3. d. V. S.* Et inde factum eſt, vt prima imperia mox ad liberos ceterosque poſteros deuoluta fuerint, indeque gentium plerarumque communis obſeruantia originem traxerit, vt in ſucceſſione liberorum ante omnia haberetur ratio. Hoc more communi ſemel introducto, nihil conuenientius eſt, quàm vt credamus, populum in delatione imperii ſucceſſiui idem voluiſſe obſeruare, quod aliæ respublicæ, penes quas eſt ſucceſſio, obſeruare ſolent. Ex eadem ratione quoque reliquorum agnatorum ſucceſſio adornanda, ſi forſan liberi deſint, & quia *communi praxi gentium* proximiores, puta fratres

ſucceſſione incidere poſſint, populi eſt, (u) hanc litem decidere, niſi alter litigantium iam imperium

tres aliiſque imperia ſibi vindicauerint, inde ad morem quoque hunc deferentes imperia ſucceſſiua ſe accommodare voluiſſe credi debent.

(u) Paradoxa hæc ſententia videtur, indeque a plerisque negatur. Huberus *de iure ciuitatis lib. I. ſect. 7. c. 7. §. 52.* arbitratur, controuerſiæ huius non alium eſſe iudicem quam ferrum. Deinceps §. *ſeq.* pergit: *Populus enim, quamdiu ſtirps familiæ regnatricis ſupereſt, omni iurisdictione manet exutus*, quibus verbis iudicium populi negat. Addi poſſet, ſi iudicium hoc caſu populo indulgeretur, redire rem ad electionem, quæ tamen populo minime competit, quamdiu ſucceſſioni adhuc locus eſſe poteſt. Enimvero ante omnia notandum, ſermonem hic eſſe (I.) de *regno libera voluntate populi delato*, vt per ſucceſſionem in familia regnatrice ſubſiſteret (II.) de caſu, *vbi neuter litigantium in poſſeſſione eſt*, ſed vterque tantum de iure contendit. Hoc caſu neuter litigantium imperium exercet, ſed de eo adhuc contendit; neutri actualiter populus ſubiectus eſt, ſed ſubiectio in lite eſt; ergo quamdiu lis de ſucceſſione ſupereſt, neuterque ad poſſeſſionem admiſſus a populo fuit, populus *interim* ad libertatem redit, & ita de hac lite eo facilius iudicare poteſt. Accedit, quod deciſio huius controuerſiæ ex *præſumta voluntate populi* deſumenda ſit, de qua nemo rectius, quam ipſe populus iudicare poteſt. Et ſi populi, vel eorum, qui populum repræſentant, quales ſunt *proceres* aut *ſtatus regni*, iudicium declinamus aut reiicimus, nullum ſupereſt iudicium, & ita vi armisque agendum eſt: quæ ſententia ſtatui ciuili admodum inimica exiſtit. Neque vero ita electionem ſibi arrogat populus, cui renunciauit; cum non eligat, ſed vnice inter litigantes ius dicat. Si electionem affectaret,

perium occupauerit, ſubditosque in verba ſua iurare coegerit, quia ita ob poſſesſionem imperii ſubditi ad obedientiam obligantur, nec de *iure imperantis* iudicare poſſunt. (x)

§. XXI.

ret, poſſet neutri imperium adiudicare, & plane extraneum eligere, id quod fieri nequit. Neque denique obſtat, quod populo nullum imperium, nulla iurisdictio competat, quamdiu ex gente regnatrice aliquis ſupereſt; nam hoc concedo in caſu ſuccesſionis *certæ* & *indubiæ*; ſed ſi de ea non conſtat, ſi dubia ſit, neuterque litigantium posſideat, *ex accidente* euenit, vt populus *interim* liber, ſuique iuris fiat, donec certum ſucceſſorem conſtituerit. Non adeo diſſentire Grotius *lib. II. c. 7. §. 27. in f.* videtur; vt. vt enim eandem negandi rationem, qua Huberus vtitur, alleget, ſtatim tamen ſubiungit: *attamen ſi de primaua populi voluntate quæſtio incidat, non abs re erit, populum qui nunc eſt, quique idem cum eo, qui olim fuit, cenſetur, ſuum ſuper ea re ſenſum exprimere, qui ſequendus erit*. At vero cum ſemper in huiusmodi quæſtionibus *de primaua voluntate* quæſtio incidat, ſemper quoque voluntas populi inquirenda erit. Atque hoc eo magis dicendum, quando lege fundamentali id ipſum diſertis verbis cautum eſt, ex quo fundamento ſummum tribunal Noui Caſtri ſententiam de ſuccesſione controuerſa tulit, illamque Auguſtisſimo regi noſtro *iure optimo* adiudicauit.

(x) Hic quoque valere debet illud: *beati posſidentes*. Eo ipſo, quo imperium non vacat, quo ab aliquo posſidetur, ſubditi *per indirectum* iudicium de hac cauſa amittunt, cum, poſtquam ſemel voluntatem ſuam ei ſubmiſerint, de *iure* eius iudicare amplius nequeant. Si poſſesſio adhuc vacua eſt, nemini interim ſubſunt, & iudicium ita formare poſſunt, cum adhuc quo-

§. XXI. Regi autem adhuc regnanti, ſi poſt fata eius lites immineant, nullum de ſucceſſione iudicium eſſe recte aſſerit Grotius, (y) niſi primus acquirens ſit, qui *iure victoriæ* regnum posſidet; quippe qui de futura ſucceſſione leges poſteris præſcribere poteſt.

§. XXII. Id quoque (II.) præſumitur voluiſſe, vt eo modo imperium in poſteros deuoluatur, quo in primum, a populo electum, collatum eſt, (z) cum ſucceſſio ſit continuatio

dammodo pares, ſaltem non *inferiores* videantur: illa occupata, inferiores ſunt; iam autem inferiorum *de iure ſuperioris* non datur iudicium.

(y) *Lib. II. c. 7. §. 27.* vbi hanc rationem addit, *quod ſucceſſio imperii non ſit ſub iure imperii*, quippe quod ſe refert ad ſubditos eorumque actiones, poſt fata autem ſe non extendit. Sic cum Henricus Luſitaniæ Rex, quod ſpe prolis deſtitueretur, & lites de futura ſucceſſione eſſent metuendæ, rogaretur, vt ſucceſſorem deſignaret, isque Antonium fratris ſui illegitimum filium nominaret, aſſerens eundem legitimum eſſe, iudicium tamen effectu caruit, cum huic non tantum Rex Hiſpaniæ Philippus II. contradiceret, ſed ipſe Henricus tandem a propoſito deſiſteret, quod videret, iudicium hoc inane futurum eſſe. Thuanus *lib. LXV.*

(z) Ratio connexionis hæc eſt, quia voluntas præſumta ex ipſis *factis*, & *actionibus* concludi debet. Quales fuerunt actiones populi eo tempore, quo delatum eſt vni imperium, talis cenſetur quoque voluntas fuiſſe, vt ſcil. in perpetuum in ſucceſſione idem obſeruaretur, quod obſeruauit in prima electione. Voluntatem enim non tantum verbis, ſed re ipſa declarari poſſe, ex moralibus ſatis conſtat.

(a) Cum

tio iuris ab initio delati. Et ita inde concludo, voluiſſe populum, vt imperium eſſet indiuiduum, (a) nec in plures, ſed in *vnum* deuolueretur. [b]

§. XXIII. Quomodo vero is *vnus*, qui tantum ſuccedit, comparatus eſſe debeat, rurſus voluntas præſumta populi indicabit. Hæc autem talis videtur fuiſſe, vt primogenitus, (c) & quidem qui ſanguinem ab acquirente trahit

(a) Cum *Ϭni* delatum ſit, non pluribus coniunctim, cum vni *indiuiduo nexu* commiſſum ſit imperium, hæc voluntas præſumta inde elicitur, quod in perpetuum quoque idem in ſucceſſione obſeruari debeat. Eſt hæc voluntas præſumta *lex fundamentalis imperii*, ad quam in his controuerſiis recurrendum. Accedit, quod populus id omnino noluiſſe præſumendus ſit, ex quo vires imperii debilitantur, ſecuritas reipublicæ hoſtibus externis exponitur, & illi diſſociantur, qui in vnum corpus ciuile tranſiere, id quod ex diuiſione imperiorum neceſſario ſequitur. Quilibet & ſic etiam populus magis conſeruationem ſuam, quam periculum interitus intendit.

(b) Quando *regnum* alicui defertur, ex vi vocis per ſe fluit, *Ϭnius* eſſe debere imperium. In genere ſi *Ϭnus* eligitur, *Monarchiam*, non *Dyarchiam*, præelegiſſe populus præſumitur, & hoc quidem eo magis, quia ex plurium regimine, *pro indiuiſo* ſuſcepto, infinita incommoda oriuntur, quæ expeditionem publicorum negotiorum remorantur, ne dicam in totum impediunt. Qualem itaque formam ab initio conſtituit, dum vnum eligeret; talem quoque in ſucceſſoribus obſeruandam eſſe voluiſſe videtur.

(c) Ex ipſa delatione imperii hactenus deductum eſt, quod

quod imperium debeat eſſe *indiuiduum*, & ad *vnum*, non plures deuolui. Quodſi iam imperans plures liberos relinquat, *vnus* tantum ex iis imperio præeſſe poteſt, non omnes. Cum autem omnes æque liberi ſint primi acquirentis, itidem ex voluntate populi æſtimandum, quem ex pluribus præferre voluerit. Iam vero pro *primogenito* ſequentes rationes militant: (I.) quod ante omnes fratres ius ſuccedendi ex ipſo ordine natiuitatis conſecutus fuerit, cum ſtatim in ipſo momento natiuitatis ipſi ius quæſitum fuerit ad ſucceſsionem, ante quam reliqui naſcerentur. (II.) Quod moribus plerarumque gentium, penes quas imperia indiuidua fuere, primogenitis hæc prærogatiua data fuerit, vt reliquos fratres in ſucceſsione excluderent. Cum itaque populus aliam ſuccedendi viam non elegit, ad communem ſuccedendi morem in *dubio* ſe accommodaſſe videtur, qui in ceteris rebus publicis obtinet. Sic Cyrus in extrema oratione, quam apud Xenophontem *lib. VIII. Cyropad. p. m. 235.* ad liberos ſuos habuit, eundem fere in modum philoſophatus eſt, aiens: *Complector equidem, filii, pari vtrumque veſtrum beneuolentia: verum & conſilio prouidere & ducis officio fungi, quacunque in re vſus & tempus poſtulet, eum iubeo, qui natu maior eſt, & vſum rerum maiorem de conſentanea quadam ratione habet. Equidem vt ab hac mea veſtraque patria ſum inſtitutus, natu maioribus non modo fratribus, ſed ciuibus etiam, de via, ſedibus, dicendi loco cedendum eſſe: ſic & ipſe, filii, ab initio vos inſtitui, vt natu maioribus honorem principem deferatis, & viciſsim minoribus honore præeatis. Quamobrem ita, quæ a me dicuntur, accipite, vt qui tum priſca, tum moribus recepta atque etiam legibus conſentanea proferam* &c. Hoc intuitu quoque *primogenitura* apud Herodotum *lib. VII. pr.* vocatur *ætatis priuilegium, ius gentium & vniuerſorum hominum.* Similiter ad hoc ætatis priuilegium prouocat Perſeus apud Liuium *lib. XL. c. 9.* aiens: *regnare vtique vis: huic ſpei*

tuæ

trahit, (d) tantum ſuccedat.

§. XXIV.

---

tua obſtat aetas mea, obſtat gentium ius, obſtat vetuſtus Macedoniae mos. Sic etiam Iuſtinus *lib. XVI.* de Ptolomaeo Aegypti Rege ait, quod *contra ius gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem, ex qua mortuus eſt, regnum tradiderit.* (III.) Cum omnes fratres ſint aequales, & tamen aliqua praerogatiua inter eos obſeruanda ſit in ſuccesſione, non poteſt alia, quam quae a *natura ipſa* ſeu *ordine naſcendi* petitur, locum habere. Cum itaque in *primogenito* ius ſuccedendi ita radicatum ſit, ſtatim apparet, etiam huius poſteros ex iure, patri in ſuccesſione quaeſito, praeferendos eſſe primogeniti fratribus, vtut ſenioribus, cum eadem praerogatiua, quam ordo naſcendi patri dedit, ad eius liberos quoque deuolui debeat.

(d) Haec videtur populi intentio fuiſſe, qui familiae *primi acquirentis* ius imperandi detulit, extraneosque ita admittere noluerit. Ex quo concludo, imperanti, liberis deſtituto, integrum haud eſſe, regno dare ſucceſſorem extraneum per *adoptionem*, quia, cum non posſit imperium alienare, nec etiam permiſſum erit, per *adoptionem* imperium in alium deuoluere, cum ita imperium in effectu & *per indirectum* alienaretur. Non deſunt quidem exempla adoptionum huiusmodi, ex quibus tamen ad ius ipſum nullum argumentum duci poteſt. Galba Piſonem adoptauit, ſed quo iure? videamus. Ait ipſe Galba, olim ſucceſſionem obtinuiſſe, *iam*, pergit, *loco libertatis erit, quod eligi coepimus.* Si ergo eligendus erat imperator a populo, adoptio eo minus valere poterat. Et tamen ait: *Finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inueniet. Nam generari & naſci, a principibus, fortuitum, nec vltra aeſtimatur: adoptandi iudicium integrum; & ſi velis eligere, conſenſu monſtratur.* Aſt ipſemet Galba iudicauit, conſenſu populi adoptionem

ptionem muniendam eſſe, & quia penes milites in conſtituendis imperatoribus magna autoritas erat, placuit: *iri in caſtra, honorificum id militibus fore, quorum fauorem vt largitione & ambitu male acquiri, ita per bonas artes non ſpernendum.* Interim Galbæ conatus effectu caruit, Tacit. *lib. I. Hiſtor.* Sed præterea noua concluſio inde oritur. Quæritur ſcilicet, *an primi acquirentis deſcendentes tantum ſuccedant, an vero præterea etiam eius collaterales?* Equidem facilis eſt deciſio, ſi conſtat, qua ratione primitus delatum fuerit imperium. Si enim primo acquirenti & *liberis* ſeu *poſteris* eius delatum ſit, hi tantum ſuccedunt, non primi acquirentis collaterales: ſed ſi electo, eiusque *genti vel familiæ* delatum ſit, maior ratio dubitandi oritur: an etiam collaterales primi acquirentis hac appellatione vocati fuerint? quemadmodum eadem ratio dubitandi occurrit, ſi, quod plerumque fit, non ſatis diſtincte conſtat, *vtrum electi poſteris, an genti imperium delatum ſit?* Recte notat Huberus de iure ciuitatis *lib. I. ſect. VII. c. 7. §. 19. hereditatem regni a priuata hereditate diuerſum quid eſſe:* hinc ſedulo cauendum, ne a ſucceſſione priuata argumenta ducamus. *Gentis* quidem & *familiæ*, ſicuti *heredum* appellatio eſt latiſſima, ſed pro ſubſtrata materia merito reſtringenda, cum conſtet, quod imperia non ita *libere* ſucceſſioni ſubſint, vti patrimonia priuatorum. Accedit, quod *familiæ* ſignificatus non ſemper collaterales comprehendat, ſed magis patrem cum liberis, cum inter hos ſtricte loquendo *familia* ſit, quæ per nuptias conſtituta & per liberos propagata eſt. Cum itaque ſucceſſio ex iure naturæ non determinetur, ſed vnice ex voluntate populi dependeat, credendum merito eſt, populum vnice ad deſcendentes ex primo electo reſpexiſſe, non eius cognatos,

(e) Pro

ſculus, (e) aliasque ad imperium habilis (f) ſuccedat. Tales enim qualitates populus in

(e) Pro maſculis hæ rationes militant (1.) quod *feminæ* non æque ad imperium aptæ ſint, ac quidem *maſculi*, nam plerumque indigent alieno auxilio & directione, quemadmodum multis legibus ex hac ratione cautum & conſtitutum fuit, vt ſine curatoribus nihil agere posſint, ne ob imbecillitatem ſexus decipiantur. Non conuenit, vt illæ imperent, quæ alterius auxilio indigent, quo ſenſu forſan Ariſtot. *I. Polit. VIII.* ait, *mas ad imperandum, femina ad parendum nata eſt.* Adſunt exempla heroicarum feminarum, ſed rariora, a quibus regulæ non ſtruuntur. (2.) Facile ita imperium in extraneos deuolui poſſet, cum per matrimonium in aliam transeant familiam; id quod contra intentionem populi fuiſſe videtur. (3.) Accedit rurſus gentium conſenſus & praxis plerarumque rerumpublicarum. Et in priuatis cauſis feminas nequidem ad aliquod imperium admittimus, multo minus ad imperium ciuile, quod grauius eſt, quod maiori iudicio, & ſollicitudine adminiſtrandum eſt. Hinc Tacitus de *morib. Germ. inf.* morem Sitonum refert, & vno a reliquis differre ait, *quod femina dominetur: in tantum,* addit, *non modo a libertate, ſed etiam a ſeruitute degenerant.* Saltem ex his rationibus fluit, præſumtam intentionem populi *in dubio* fuiſſe, ne femina regimini admoueretur. Hunc in finem *maſculum* elegit, non *feminam.* Dico *in dubio;* Si enim ſatis conſtat, quod feminas a ſucceſſione excludere noluerit, omnino admitti debent, quemadmodum in Anglia alibiq; receptum eſt. Non enim *abſolute* inhabiles ſunt, ſed tantum non *æq. idoneæ,* vti quidem maſculi, & comparatiue loquendo maſculi ſunt aptiores quam feminæ. Ergo ex voluntate populi admitti poſſunt.

(f) Alia eſt ratio *imperiorum;* alia *patrimonii priuati.* In hoc

in primo electo potiſſimum deſiderauit, & conſequenter easdem in quolibet ſucceſſore requirere voluiſſe videtur.

§. XXV. Interim *impuberes*, licet ob defectum ætatis ad tempus gubernacula reipublicæ ſuſcipere non poſſint, a ſucceſſione excludendi non ſunt, nec id ipſum ex voluntate præſumta populi colligi poteſt, poſtquam ſemel in ſucceſſionem conſenſit, (g) & a furioſo & mente capto adhuc diſtingui debeant. Nam hos qui-

hoc ſuccedere poſſunt mente capti, furioſi, aliiq; inhabiles, qui ad quæuis negotia peragenda inidonei ſunt. Regna & imperia de ſui natura eiusmodi præſidem & ſucceſſorem requirunt, qui rempubl. adminiſtrare, regimen obire, & ſubditorum actiones dirigere poſſit, qualem ſucceſſorem etiam populus tantum admittere voluiſſe videtur. Vnde neceſſario excluduntur, qui vſu rationis deſtituti ſunt. Defectus corporis hanc inhabilitatem non operatur, cum nihilominus ſana mente & prudentia regendi rempubl. inſtructus eſſe poſſit. Exemplis variis id declarat Petrus Gregorius *de republ. lib. VII. c. 6.*

(g) Si in genere alicuius familiæ ius ſuccedendi in regnum datum eſt, impuberes quoque ex voluntate populi comprehenduntur, quia hi quoq; de illa familia ſunt, & defectus ætatis tantum temporarius eſt. Et hoc eo magis dicendum eſt, cum non deſint exempla, etiam infantes voluntate populi electos eſſe ad imperium. Sigebertus Gemblacenſis *ad annum 983.* de Ottonis III, adhuc pueri, electione hæc habet: *Principes puerum de manu Henrici extorquentes in regno ſublimant.* Similiter VVippo *in vita Conradi Salici ad annum 1026.* de electione Henrici III. refert: *Anno incarnationis Chriſti 1026.*

quidem excluſiſſe probabile eſt, non illos, vtpote qui ad breve tempus tantum inhabiles ſunt

§. XXVI. Hoc poſito, neceſſe quoque eſt, vt, impubertate durante, ſeu quamdiu gubernacula ſuſcipere nequeunt, ſint in tutela (h) aliorum, qui interim curam reipubl. ſuſcipiant.

§. XXVII.

1026. Chunradus Rex, conſilio & petitione principum Regni, filium ſuum, Henricum puerum, regem poſt ſe deſignauit, illumque Brunoni, Auguſtenſis eccleſiæ epiſcopo, in tutelam commendauit. De Henrico IV. teſtatur Sigebertus Gemblacenſis *ad annum 1054*, quod *puer quinquennis* electus fuerit. Godofredus Colonienſis *ad ann. 1196.* de electione Friderici II. hæc refert: *Imperator ab omnibus imperii principibus, ſumma precum inſtantia, obtinet, vt filium ſuum, Fridericum nomine, vix triennem in regem eligant.* Sic etiam praxis gentium vniformis fere demonſtrat, filios impuberes in ſucceſsiuis imperiis admiſſos fuiſſe.

(h) Qui negant, tutelas eſſe *iuris naturæ*, illasque mere *iuris ciuilis* eſſe aſſerunt, tutelas regias impuberum negant, niſi legibus fundamentalibus de his cautum ſit. Imperator interim ad ius naturæ prouocat aſſerens: *Impuberes in tutela eſſe, naturali iuri conueniens eſt, vt is, qui perfectæ ætatis non eſt, alterius tutela regatur.* Quicquid ſit, ſicuti ſucceſsio impuberis ex præſumta populi voluntate deduci poteſt, vti ad §. *antec.* dictum; ita ex eadem præſumtione tutelæ quoque inferri poſſunt, qui antecedens voluit, neceſſe eſt, vt etiam conſequens velit. Cum enim impuberes defectum ætatis patiantur, ob quem ſummam poteſtatem exercere non poſſunt, neceſſe eſt, vt, dum populus eum ad ſucceſſionem admiſit, interim quoque in tutelam eius conſenſerit. Ceterum quamdiu durare debeat tutela, vel certa lege fundamentali determinandum, vel, hac ceſ-

 ſante,

§. XXVII. Hæc tutela debetur iis, quibus voluntas populi, in lege fundamentali expreſſa, eam detulit. Cum enim ſucceſsionem definire posſit, poteſt quoque determinare, quis impuberi ſucceſſori tutor eſſe debeat. Si de voluntate populi non conſtat, (i) locum habebit, quod bonum æquumque eſt, h. e. vt primario patris defuncti voluntas obſeruetur, hac

ſante, ex maturitate ingenii colligendum; neque enim ius naturæ certum tempus definiuit.

(i) Valde titubant circa hanc materiam, cui tutela deferenda? Si voluntas expreſſa adſit, res conclamata eſt. Aſt hic plerumque iterum ad coniecturas recurrendum. Illud interim voluiſſe videtur populus, quod pupillo vtilius, reipublicæ conducibilius, in ſe vero æquum bonumque eſt. Hoc intuitu in patris iudicio & electione acquieuiſſe videtur, vtpote qui optimum conſilium pro educatione pupilli & ſalute reipubl. ſuſcepiſſe præſumitur. Vtut itaque teſtamenta de *ipſo regno* non valeant, eatenus tamen valebunt, vt de *iudicio patris* circa tutelam inde conſtet: nam etiam citra teſtamentum ſuam voluntatem declarare poteſt. Accedit, quod patri educatio pupilli principaliter incumbat, ergo æquum eſt, vt eius electioni ſtetur, cui illam commiſerit. Et licet hæc tutela non ſola abſoluatur pupilli *educatione*, ſed præterea *gubernationem reipublicæ* annexam habeat, de qua non æque poſt mortem diſponere poteſt, præſumitur tamen populus, dum de tutela nihil determinauit, & tamen impuberes a ſucceſsione non excluſit, totam rem in arbitrium patris, vtpote de ſalute filii ſui valde ſolliciti, contuliſſe, cui iudicio tam diu ſtandum, donec contrarium euidenter appareat, quod illuſtrat Dn. Hertius diſſ. *de tutela regia ſect. 1. §. 13.* Sic vbi Cunradus

hac ceſſante, tutela ex voluntate populi dependeat. (k)

§. XXVIII. Hactenus de primo modo, quo vacat imperium. Vacat (II.) per *abdicationem* ſeu ſpontaneam (l) *renunciationem* imperantis, quæ etiam inuitis ſubditis (m) fieri poteſt, ſiue regnum

radus impetrauit, vt filius ſuus impubes Henricus III. eligeretur, ſtatim eum Brunoni in tutelam commendauit, vt dictum *ad* §. 25.

(k) Non deſunt, qui illis, quibus aliquando ſucceſſio debetur, tutelam deferunt, quæ ſententia tamen & pupillo & reipublicæ periculoſa videtur, cum a proximo ſucceſſore pericula varia imminere ſoleant, nec argumentum a tutelis priuatorum hic applicari queat, quæ lege mere ciuili proximioribus deferuntur, tanquam *onus.* §. *fin. I. de legit. patron. tut.* In tam periculoſam autem tutelam nunquam conſenſiſſe videtur populus. Cum ergo ab initio nihil de tutela ſtatuit, integrum ſibi iudicium reſeruauit, & regimen interim, quibus viſum eſt, committere poteſt. Nec inde præiudicatur proximis agnatis, vtpote qui nondum ius ſuccedendi habent.

(l) Quæ per metum extorta eſt vel a populo vel ab hoſte, proprie non eſt renunciatio, ſed *depoſitio* vel *dethroniſatio,* quod exemplo Alphonſi Regis Portugalliæ declarat D. Palthenius *diſſ. de dethroniſ.* §. 4.

(m) Equidem dubitari poterat, an in imperiis libera voluntate populi delatis id admittendum ſit; cum enim electione vel conſenſu populi ad imperium euectus, & ita cum populo, vel proceribus, populum repræſentantibus, pactus eſt, merito quoque conſenſu populi illud deponendum eſſe videtur, cuius intereſt, imperium non temere deponi. Verum vtut ſupra adſtruxerim, imperantem populo obligari, non tamen vlterius obli-

regnum libera voluntate delatum, ſiue bello acquiſitum ſit. §. XXIX.

us obligatur, quam quatenus promiſit: in ceteris pro libertate ſua, qua pollet, agit. Non autem promiſit populo, ſe imperium deponere nolle, nec in perpetuum ſe ad imperandum adſtrinxit. Non eſt miniſter populi, vtpote cui alias negatum eſt, deponere imperium commiſſum, ſed ſupremam poteſtatem in populum habet, virtute cuius etiam eidem renunciat. Sic Caſimirus Rex Poloniæ anno 1667. imperio libere renunciauit, quod etiam de Carolo V. conſtat, vti fatetur Ferdinandus I. in *R. I. de anno 1559.* verbis proœmialibus: *Alſ VVeyland milter und hochlöbl. Gedächtnis Kayſer Carl der fünffte, unſer negſter Vorfahr, Bruder und Herr, aus merckl. groſſen, dapfferen und trefſl. Vrſachen, ſonderl. aber, von wegen ihrer Liebden und Kayſerl. Mai. obliegenden Alters und immerwehrender Schwachheit* &c. *mit Vorwiſſen itzgedachter des heil. Reichs Churfürſten (die Adminiſtration vnd Verwaltung des Römiſchen Reichs) verlaſſen, reſigniret vnd vbergeben*, vbi quidem dicitur, quod electorum *præſcitu* hoc factum ſit, ſed non *conſenſu ſpecifico* & *prærequiſito.* Quodſi tamen in capitulatione electus promiſiſſet, quod nunquam abdicare vellet, aliud dicendum: quale exemplum prælaudatus Palthenius *cit. l.* adducit de Michaele VViznowizio, qui in pactis conuentis diſerte promittere debuit: *Regno Poloniæ nunquam abdicabimus.* Quod pactum pro *inani* haud iudicandum; Vtut enim haud conſultum ſit, inuito imperium obtrudere; non tamen quæſtio iam eſt de regulis *prudentiæ*, ſed *iuris.* Eodem modo Pontifex libere reſignare poteſt, vti exemplo Cœleſtini conſtat, quam facultatem ſucceſſor eius Bonifacius VIII. in *c. 1. de renunc. in 6.* confirmauit. Cum vero Pontificii vrgeant, a Pontifice regna & imperia dependere, hinc mirum non eſt, quod etiam prætendant, reſignationem imperiorum fieri debere in manus Pontificis. Aſt cum prius falſum, falſum quoque eſſe debet poſterius.

(n) Aliud

§. XXIX. Vacante hoc modo imperio, populi ius variat, prout imperium vel *electiuum* vel *ſucceſsiuum* fuit. In illo populus fit ſui iuris, nec reſignatione imperium in alterum transferre poteſt, niſi ex conſenſu populi. (n) In hoc vero ſtatim ſucceſsioni locus eſt, in cuius præiudicium nihil renuncians facere poteſt, (o) adeoque populus non fit liber.

§. XXX. Abdicatione facta imperans in ſortem priuatorum incidit, & ceterorum ſubditorum ſorte fruitur, (p) niſi aliter pacto in abdicatione prouiſum fuerit. (q) §. XXXI.

(n) Aliud eſt *abdicare* & *reſignare*; aliud *cedere*. Per *reſignationem* reſignans nude ius ſuum amittit, per *ceſsionem* ius ſuum in alterum transfert. Aſt vero alienationem imperiorum valide fieri non poſſe, ſæpe dictum eſt. Valebit tamen ceſsio imperii ex *voluntate populi*, qui conſentiendo in ceſsionem elegiſſe de nouo videtur. Hac ceſſante ceſsio irrita eſt, ceu apparet exemplo Io. Caſimiri Regis Poloniæ apud Pufendorfium *rer. Brandenb. lib. IX. ſeq.*

(o) Inde *renunciatio* patris filio non præiudicat, quo minus poſt patrem ſuccedere poſsit. Quodſi poſt abdicationem demum natus eſſet, imperio iam ad alium deuoluto, nulla ſupereſſet ratio ſuccedendi, cum ex eo natus ſit, qui tempore natiuitatis nullum ius amplius habebat.

(p) Eo ipſo, quo imperium imperans deponit, ſimul ſtatui libertatis renunciat, ceterisque, quibus antea imperauerat, æqualis fit, & conſequenter nouo imperanti ſubiicitur. Perpetuus ille dictator Sylla, imperio ſuo ſatis tremendus, poſtquam imperium depoſuit, priuatorum ſorte facile contentus fuit, vti plenius refert Appianus.

(q) Sic notum eſt *pactum independentiæ*, quam Regina Chri-

ſtina

§. XXXI. Vacat porro (III.) imperium per *derelictionem*, quæ eſt tacita quædam reſignatio, modo de animo (r) ſatis conſtet.

§. XXXII. Tandem (IV.) vacare quoque imperium, & populum ſui iuris fieri volunt per *depoſitionem* ſeu *dethroniſationem*, quam iuri publico

ſtina ſibi in abdicatione reſeruauit, de qua vid. Ill. Dn. Thomaſ. *ad Huberum de iure ciuit. lib. 1. ſect. 9. c. 6. n. 19. lit. p.*

(r) Non facile præſumitur animus derelinquendi, maxime intuitu earum rerum, quæ ſumma contentione ab hominibus appetuntur, & tot bellis acquiri ſolent. Sola *deſertio*, quam neceſsitas exprimit, pro derelictione haberi nequit ob ceſſantem animum derelinquendi, quale exemplum fuit in Iacobo II. rege Angliæ. Eſt autem derelictio duplex, *expreſſa* & *tacita*. Hæc colligitur ex *negligentia* & *intermisſione exercitii eius iuris*, quod quis poterat exercere, vel vindicare, quo intuitu *præſcriptionem* inter gentes fundari in *præſumta derelictione*, ait Grotius, & eruditisſime contra Gallos, ſpeciatim vero contra Petrum Puteanum, defendit Dn. VVerlhoff. *diſp. de præſcript. inter gentes liberas.* Hinc non dubitandum, quin populus hoc modo per *tacitam derelictionem* ſeu præſcriptionem liber ab imperio alterius fieri posſit. Vtut enim alias derelictio non præſumatur, hæc præſumtio tamen eſt generalis, & ex ſpecialibus circumſtantiis eliditur. Quot modis autem talis *derelictio præſumta* contingere posſit, explicat Conring. *de finibus imper. lib. II. c. 19. §. 13.* Equidem obiici poſſet, quod inter gentes liberas quidem præſcriptioni locus ſit, ſed non inter *ſubditos & imperantem*, ſeu quod ſubditi libertatem contra imperantem præſcribere non posſint propter *vinculum ſubiectionis*. Aſt cogitandum eſt, in omni derelictione a parte imperantis adeſſe *remisſionem tacitam vinculi ſubiectionis*, adeoque non tam populus iugum imperii excutit, quam potius imperans populum manumittit, rempublicam derelinquendo.

(s) De

blico vniuerſali non aduerſari aiunt, (s) ſi imperans Tyrannus, hoſtis publicus, aut pactorum publicorum, legumque fundamentalium transgreſſor reperiatur. §. XXXIII.

(s) De hac materia plenius egit Dn. Palthenius *diſſert. de dethroniſat.* vbi §. *II.* diſtinguit inter regnum *arbitrarium* & *legitimum* ſeu *limitatum*, & porro concludit, ibi quidem populum abſolute ad patientiam obligari, & imperantes deponere non poſſe; verum in regnis limitatis imperantem a populo poſtulare non poſſe, vt pactis ſtet, ſi ipſe imperans excedat limites ſibi præſcriptos, & monitis, conſiliis precibusq; ſubditorum corrigi nequeat, ineſſe omni pacto duplex promiſſum, & reciprocam obligationem, ergo vno pactum non ſeruante, ab altero idem tuto negligi, iam autem conſtare, quod omne imperium per pactum conſtituatur, adeoq; pacto ita diſſoluto, imperium exſpirare, populum fieri liberum, imperantem in ſortem ſubditorum coniici. Neque vero requiri iudicium ſuperioris, an pactum ſit violatum, agi hic de renunciatione pacti, ad quam nulla requiratur ſuperioritas, non requiri iudicium populi, id quod nec legitimum eſſe poteſt, ſufficere publicam per iuſtas querelas accuſationem, ſufficere illam quæ in ipſis rerum monumentis latet, facti aut agnitionem aut probationem, &c. Autor *tr. du Gouuernement ciuil. cap. vlt.* adhuc liberalior eſt, quippe qui partes populi vbiq; ſequitur. Non tantum enim ex hoc capite, h. e. *violatione pactorum*, ſed multis aliis cauſis deponi principem poſſe aſſerit, quæ tales ſunt, vt vbiq; plebem ad rebellionem irritare, populoq; ius dare poſſint, iugum excutiendi. Deniq; Barclaius *contra monarcham lib. III. c. 16.* exautorationem tunc demum admittit, *ſi id committat, propter quod ipſo iure rex eſſe deſinat*, id quod duobus caſibus contingere poſſit (*1*) *ſi regnum diſperdat* more Neronis & Caligulæ, & omnem regnandi curam & animum abiiciat; (*2*) *ſi rex in alicuius clientelam ſe conferat, ac regnum, quod liberum a maioribus & populo traditum accepit, alienæ ditioni mancipet.* Alii aliter.

(t) Fate-

§. XXXIII. Aſt quis de eo iudicabit, an talis ſit, qui deponi poſſit? (t) Ne dicam, vinculum ſubiectionis omnem ad reſiſtendum copiam ſubtrahere, (u) vt adeoque *ius deponendi* imperantes vel tantum fingatur, vel in effectu ita comparatum ſit, vt exerceri non poſſit.

(t) Fatetur ipſe Dn. Palthenius, quod populus de eo iudicare & cognoſcere non poſſit, an Tyrannus? an violator pactorum imperans dicendus ſit? vid. §. *14. d. diſſ. lit. a.* Ergo nunquam in *hypotheſi* conſtabit, an hic vel ille pro tali iudicandus ſit. Plures aiunt, imperantem eſſe Tyrannum, plures negant, nec hic maiora ſufficiunt, vbi non per modum *deciſionis*, ſed in *tumultu* proceditur. Nunquam deſunt rationes, quibus excuſari facta regum poſſunt, & conſequenter nunquam *notorie*, id quod ſupponunt, conſtare poteſt de *Tyrannide*, de *violatione pactorum* &c. Nec releuat, quod de *publicis querelis*, *de publica accuſatione* adfertur: ſæpe nullum fundamentum habent, ſæpius vnius facto exiſtere poſſunt. Si querelæ principem reum faciunt, quis rex erit innocens?

(u) De eo iam actum in *c. 3. lib. III.*, ſimulque hinc inde dictum, quod ius ſubditorum aduerſus imperantem *imperfectum* ſit, h. e. deſtitutum *efficacia cogendi* imperantem, id quod ex *conditione ſubditorum* fluit. Omnis depoſitio fit per *coactionem*, ergo neceſſario ſubditi conditionem priſtinam deponere, & ad ſtatum primæuum redire debent. Id ipſum autem non aliter fieri poteſt, quam ſi imperans hoſtilitatem publicam erga vniuerſam remp. exerceat, ſic enim vt hoſtis publicus repelli poteſt. Neq; enim ita amplius *imperans*, ſed *hoſtis reipubl.* dicendus eſt, nec ſubditi deponunt imperantem, ſed ipſe ſubditos dimittit, & *ipſo facto* vinculum illorum relaxat: hoc facto illi vt *hoſti* reſiſtunt. Aſt iterum *in hypotheſi* difficulter iudicabitur, an imperans *hoſtis reip.* factus ſit, id quod ab homine ſanæ mentis concipi nequit, ſed demum a tali, qui *inſania* & *dementia* laborat. Ergo quocunq; te vertas, omnia, quæ vulgo *de depoſitione* diſputantur, applicari tuto nequeunt.

IN-

INDEX PRIOR CAPITUM.

PARS GENERALIS.

Cap. I. De Iure naturæ in genere.
Cap. II. De Diuiſione iuris vniuerſalis in priuatum & publicum.
Cap. III. De Differentia iuris publici vniuerſalis a iure gentium, politica, notitia ſingularis reipubl. & iure publico particul.
Cap. IV. De neceſsitate & vtilitate huius doctrinæ.
Cap. V. De autoribus, ſubſidiis & cautionibus circa hanc doctrinam.

PARS SPECIALIS.

LIBER I.

De natura & indole rerumpublicarum & imperii ciuilis.

Cap. I. De origine imperiorum ciuilium.
Cap. II. De nexu imperii ciuilis.
Cap. III. De vario imperii civilis ſtatu.
Cap. IV. De ſumma imperantis poteſtate.
Cap. V. De limitibus ſummæ in republica poteſtatis.

LIBER II.

De Iuribus ſummi Imperii.

Cap. I. De iuribus imperantium circa publicam ſecuritatem externam.

Cap. II. De iuribus tranquillitatem internam reipublicæ reſpicientibus.
Cap. III. De iure imperantium dirigendi actiones ſubditorum per leges.
Cap. IV. De iure imperantium circa collegia & vniuerſitates.
Cap. V. De iure imperantium circa ſacra.
Cap. VI. De iure imperantium circa publica officia.
Cap. VII. De iure imperantium circa iudicia.
Cap. VIII. De iure imperantium circa pœnas.
Cap. IX. De iure imperantium exigendi a ſubditis ſubſidia.
Cap. X. De iure imperantis circa ἀδέσποτα.

LIBER III.

De Obligatione & iuribus ſubditorum.

Cap. I. De Statu ſubditorum vario.
Cap. II. De obligatione ſubditorum intuitu imperantis.
Cap. III. De iure & obligatione ciuium qua talium inter ſe.
Cap. IV. De iuribus ſubditorum vacante imperio.

POSTE-

POSTERIOR INDEX MATERIARVM PRAECIPVARVM.

ABdicatio regni an inuito populo fieri poſſit. 652. quid iuris tunc competat populo. 653. quid imperanti poſt illam. *ibid.*

Abſolutum imperium vid. imperium.

Actiones hominum intuitu aliorum diuerſæ. 24. 25. e. f. diuerſi harum effectus 25. 26. aliæ iuſtæ, aliæ honeſtæ, aliæ decoræ 31. q. publicæ quænam 55. 10. o. p. priuatæ quænam 54. 9. actiones gentium a publicis differunt 56. 11. q. differentia a factis publicis 57. 12. r. de externis tantum leges fiunt 420. 43. item voluntatis ibid.

Adulatio plus tribuit imperantibus quam eis competit 279. 13. inſigne malum in republ. 279. o.

Alienare imperium quando imperans poſſit. 630.

Anima humana quid. 3. 4. eius ſcopus. 4. 4. quo ſenſu diuina vocata ſit a gentilibus. 4. e. de eius facultatibus. 5. 6.

Appellatio a iudice inferiore. 513.

Applicatio iuris publ. vniuerſ. quid requirat 76. 5. ſeqq. legum quomodo inſtituenda 419.

Ariſtocratiæ origo 211. 17. g. quid ſit 212. 18. quomodo gubernetur 212. 19. h.

Armorum inſtruendorum ius 316. 15.

Auaritia admodum noxia rebuspubl. 202. z.

BEatitudo ciuilis in quo conſiſtat 193. 5. t. de mediis ad illam ducentibus 194. 6. pietas ſubditorum multum confert ad illam obtinendam 194. u. minime quærenda in latiſſimo imperio 198. ſeqq. nec in luxuria 201. 9. nec in auaritia 202. 10. z. deprehenditur potiſſimum in rebuspubl. quæ ſimplicitati ſtudent. 206. 12. b. conſeruatur & promouetur per voluntatis harmoniam inter principes & ſubditos 210. 16. vid. *Salus reip.*

Bellum an iuſtum 305. r. ius eius quomodo imperanti competat 305. ſeq. quatenus ad ius G. ſpectet 306. 4. r. reſtrictum ad defenſionem reip. 307. 5. iuſtæ eius cauſæ 307. ſeqq. de eo

ſuſcipiendo imperans arbitratur 309. 8. quando ius belli ceſſet 311. 10. debet eſſe vltimum ſubſidium ibid. q. non competit magiſtratui inferiori 313. reſtringi poteſt 314. t.

Bona extraneorum intra territorium ſita ſubſunt ſupremæ poteſtati 257. n. ſubditorum augenda 298. 37.

Bonum vtile honeſtum & iucundum 85. extraordinarium quid 126. a.

C*Iuitas* vid. *reſpubl.* quid ſit 187. 1. varius eius ſtatus 188. 2. p. non eſt propter religionem 454. 4.

Clerici obligantur legibus ciuilibus vt alii ſubditi 412. x.

Clientela non tollit ſupremam poteſtatem 249. non liberat ſubditos ab obſequio. 347. 47. quotuplex ſit 346.

Collectæ propter fortalitiorum exſtructionem. 320. 18. b. ab imperante indicuntur 546. ſeq. voluntariæ & neceſſariæ. 548. 2. quando inferior magiſtratus illas poteſt indicere 549. 9. ſubcollectandi ius. 549. 10. an ſubditorum conſenſus neceſſarius 551. 12. quibus imperentur 551. 13. ſeq. immunitas ab illis nociua 552. modus 553. 7. vid. *Subſidia.*

Collegia ſtatuta condere poſſunt 402. quousque valeant 403. 28. quid ſint. 442. an illa inire permiſſum ſit 443. an princeps ſe illis adiungere poſſit. 444. inſpectio principis in illa 445. poſſunt prohiberi in republ. 446. vel ſub lege publ. confirmationis admitti. 447. quæ publica dicenda. 448. an ad illa cogi poſſint ſubditi 449. quale ius circa priuata princeps habeat 449. 11. ſtatuta eorum principis inſpectioni ſubſunt 450. abuſus eorum. ibid. quem effectum ſtatuta eorum habeant. 451. de limitibus ipſis præſcribendis. 452. non habent ius puniendi. 535. 13. carere nequeunt reditibus & bonis. 544. 1. habere poſſunt arcam communem. 545. 2. membra eius conferre debent. ibid. 3.

Commiſſiones decernendi ius. 490. ex officio decerni poſſunt 491.

Concordia reſpubl. conſeruat 350. ſeq.

Conſilii differentia a LL. 387. r. an imperans qua talis conſilia det. 388. 13.

Conſuetudo vim legis vnde habeat. 392. 17. z. an etiam irrationa-

tionabilis. 393. a. quomodo imperans ſe gerere debeat in ha eliminanda. 395.

Contractuum ratio diuerſa in ſtatu ciuili. 618.

Coronatio quid 265. z. eius origo. ibid. ſummum imperium non afficit. ibid.

DEcreta iudiciorum non ſunt leges 396. 19. *Defenſio* nemini ademta in rebuspubl. 501. 4. quando ceſſant iudicia. 502. 5.

Democratiæ origo 213. 20. quomodo gubernetur 213. 21.

Dependentia qualis ſupremæ poteſtati noceat 245. 15. ſeq.

Derelictio imperii quando fiat 654.

Deſerta imperans ſibi vindicat. 565. 17.

Dethroniſatio an licite fiat 654. ſeq. an vnquam applicari poſſit. 656.

Deus quale imperium in homines exerceat. 27. 28. an externe obliget. 28. m.

Diſciplina publica ad curam principis pertinet 294. ſeq.

Diſcordia inter ſubditos præcauenda 298. f. reſpubl. frangit 350. ſeq.

Diſpenſatio cui competat 441.

Doctores non habent ius puniendi 535. 14.

Doctrinæ in republ. pernicioſæ quænam dicendæ. 365. u. quomodo dogmata differant a LL. 386. 10. q. an imperans qua talis doceat 388. 13. leges de illis non ſiunt 420. 44. niſi circa modum docendi. 473. g. an deciſionem iudicialem admittant 475. publicæ doctrinæ poſſunt lege determinari 476. illas ſubditis per modum legis obtrudere nequit. 479.

Dominium eminens quid. 257. 27. an detur 257. o.

Dominii origo inter homines. 557. 2. quæ res in illud tranſierunt. 558. 3.

Duella in republ. illicita. 500. 3.

Dyarchia quid & quomodo differat ab Ariſtocratia 213.

ECleſia vid. *Sacra.* eſt collegium æquale. 461. non ciuile. 462. poteſt doctores conſtituere. 463. non fit ſtatus ciuilis, ſi princeps ei accedit. 464. Princeps habet inſpectionem

in illam. 465. inſpectionis huius neceſsitas. 466. ſeq. maxime in eius miniſtros 468. ſq. & eorum conſtitutionem. 468. 17. poteſt ei præſcribere ordinationes. 470. an poſsit cenſuras infligere. 474. princeps in illa certos diſtrictus conſtituere poteſt 479. 29.

Electiua regna quando & quæ habenda 224. 31. ſeq. z. an ex ſuccesſione mixta eſſe poſsint 226. 33.

Electio quando populo ſalua ſit. 631. a quibus peragatur. 632 ſeq. modus eligendi 634. in illa electum pactis conſtringere poteſt. 635.

Emigrationem ſubditis princeps iniungere poteſt ob peregrina ſacra. 457. 7. p. an ſubditis maneat ſalua & quousque 602. ſeqq.

Excubiarū ius 324. 24. omnes ſubditi ad illas obligantur 324. i.

Exiſtimatio ſubditorum vnde ſit 585. 32. quousque ſe extendat. 587.

Exemplorum efficacia. 12. q. plus prodeſt imperans exemplo bono quam legibus. 377. h.

Expectatiuæ an licitæ. 494. k. reuocari poſſunt. 495. maxime a ſucceſſore. 496. 20.

Extranei quatenus legibus alterius reipubl. ligentur. 413. 37.

F*Actiones* præcauendæ 367. 17.

Felicitatem in quo homines quærant, 9. k. eam omnes appetunt. 9. 11. in quo conſiſtat 9. l. quo medio impetretur 10. 12. ſq.

Feminæ in regnis non ſuccedunt. 647.

Feras occupandi ius ſibi imperans ſoli adſcribere poteſt. 564. 13. non obſtante naturali libertate ſubditis competente. ibid. 14.

Feudalis nexus non tollit ſupremam poteſtatem. 247. 17.

Flumina ad imperantem pertinent. 567. 22.

Fæderum ius 339. 40. cui competat 340. quousque obligent 341. an cum infideli licite ineantur 342. quomodo reſtringi poſsit libertas circa ea ineunda 343. an ſubditis commerciorum cauſa illa inire liceat. 344. 44. an pro ſui defenſione 345. 45. u.

Fortalitia exſtruendi ius. 317. ſeq. priuatis non competit. 319. 17. a. eo nomine collectæ imponuntur 320. 18. bona priuatorum

rum in eorum vſus licite adhibentur. 320. 19. quin etiam templa & caſtra nobilium. 321.
Futura legum obiectum ſunt. 421. 45.

GEntes quid 48. 5. earum iura 29. g. moralem perſonam induunt 52. 7. eadem durante, durant obligationes. 52. l.
Grotius reſtaurator iuris nat. 109.

HÆreſis non tollit vinculum ſubiectionis. 593.
Hertii opera in iure publ. vniuerſali 116. 10. i.
Hiſtoria vtilis ad ius publ. vniuerſ. 118. 14. quid circa illam cauendum 119. o. euoluenda quoad vſus iuridicos. 120. 15. p. quinam hac methodo vſi fuerint. 121. 16. ſeqq.
Hobbeſius ius publicum vniu. reſtaurauit. 111. ſed non absque næuis. 112. d.
Homagium an neceſſarium 577. ſeq.
Homines conſiderantur vel ratione ſui ipſius vel quoad alios. 20. q. inter ſe vinculo communi conglutinantur 32. ſeqq.
Houtuyn ius publicum vniu. quomodo reſtaurauerit 112. e.
Huberus ius publ. vniuerſ. ſcripſit 114. f.
Humanitatem legislator in legibus intendere debet 407. ſeq.

IMbecillitatis humanæ ratio in legibus ferendis habenda 411.
Immunitas a collectis eſt nociua reip. 552. quando ceſſet 553. 16.
Imperator non habet ſupremam poteſtatem in vniuerſum orbem. 261.
Imperantes obligantur iure naturæ intuitu ſubditorum 58. ſeqq. quale ius conſequantur ex ſubmiſſione ſubditorum 175. 19. ſeq. temperatum ad obligationem eorum. 176. b. ſe obſtrinxerunt ſubditis 177. 21. d. curare debent, vt ſubditi pie viuant. 195. quod illi volunt, ſubditi velle cenſentur 209. 15, 210. e. eorum dignitas externa arbitraria 216. 24. an pro arbitrio ſucceſſorem conſtituere poſſint. 225. An primitus belli cauſa conſtituti fuerint. 233. k. ſe poſſunt propriis dicaſteriis ſubmittere ſine læſione ſupremæ poteſtatis 247. b. vel ſubditis aliquid promittere ſub lege nullitatis 252. h. ex-

 tra

tra territorium ſupremum poteſtatem non habent, quatenus in alieno commorantur 254. l. eorum facta ſemper habent effectum externum iuris 268. ſed ex accidente 277. affectibus libere indulgere ſolent 282. q. dicuntur patres patriæ 291. ſeq. exemplo plus proficiunt quam LL. 377. h. leges ferunt 384. ſeqq. ſuis legibus non obligantur 413. ſeq.

Imperium ſocietatem firmat 158. 1. an ab initio pacto expreſſo delatum ſit. 167. t. an non magis tacito, vel conſenſu coacto 170. ſeqq. male partum male gubernatur 197. * eius iura non minuit proedria 216. 23. pactis circumſcribi poteſt 223. electiuum &. ſucceſsiuum. 224. eius iura. vid. *Poteſtas ſuprema*. Plenum non habent, qui papæ iura circa ſacra largiuntur 238. p. abſolutum an in ſacris fundetur. 286. t. an legitimetur exemplis tot monarcharum 287. 19. non eſt extendendum ad illa, quæ imperium non recipiunt. 299. 30.

Imperium Vacans ſubditos liberat a ſubiectione 621. ſalua manente ciuitate 624. rempubl. in democratiam vertit 625. populo dat liberum arbitrium de republ. diſponendi. 626. vacat, ſi alienat illud. 629. item morte. 630. 12. abdicatione 651.

Impuberes an ſuccedant in regnis. 648.

Iniuria vnde naſcatur 44. b.

Inquiſitio in crimine ex officio ſuſcipienda 538.

Intellectus vnde. 5. 6. a voluntate diuerſus. 5. f. corruptus. 15. 19. ei leges non ſcribuntur 420. h. eius actus an puniendi. 542. 25.

Interpretatio authentica quando requiratur. 417. 40. quæ ſit doctrinalis. 417. 41. e.

Iudicatorum publica debet eſſe autoritas 519.

Iudices imperans conſtituit. 510. 15. ſunt imperantis ſubditi. 511. princeps tamen ipſe iudicare poteſt. 512. ab illis prouocari poteſt. 513. 18. vel de eorum iniquitate recurri ad imperantem. 514. 19. vltra ſuos limites non iudicant. 515. quomodo differant a principe iudicante. 515. 22. eorum habilitas. 517. remoueri poſſunt. 518.

Iudiciorum neceſsitas in republica. 499. effectus eorum. 500. 2. cauſas quas reſpiciant. 508. 12. ordinem requirunt. 519. 20.

519. 20. qualis ſit naturalis 520. ſeqq. quid cis ordinem obſeruandum 520. y.

Iura imperii vnde naſcantur 239. r. duplici modo conſiderantur 267. a. quid proprie ſint 268. z. non ſunt primario æſtimanda ex illimitata poteſtate 277. a.

Iuramentum contra nullitatem actus nihil operatur 425. 50. niſi lege publ. noua vis ei ſit tributa 426. 51.

Iurisdictio ſola non tribuit ius ſtatuendi. 399. h. quid ſit 506. ſeq. conſtat tribus partibus. 508. principi competit. 509. 13. ſubordinate conceſſa cenſetur. 512. 17. ſubditi illam ſibi arrogare nequeunt. 516. criminalis 537. ex officio exercenda. 538.

Iurisprudentiæ conceptus 418. 42. quibus abſoluatur partibus 418. f. 419.

Ius pro facultate ſumtum quid ſit. 42. ſeqq. 427. 53. determinatur lege ciuili 427. 54. ſibi nemo in republ. dicere poteſt. 502. 6. princeps ipſe poteſt. 509. 14.

Ius ciuile aliquid addit vel detrahit iuri naturæ 90. c. 381. k.

Ius gentium quid 49. g. facta & mores G. abuſiue ita vocantur 51. 6. h. i.

Ius regium quale in ſacris ſit 270. an I. Sam. VIII. illud deſcribatur prout eſſe debebat. 271. ſeqq. verum quale ſit 290. y.

Ius naturæ quos limites habeat 28. 29. externam felicitatem humani generis pro ſcopo habet. 29. o. eius principium cognoſcendi 30. 30. p. obligat externe. 38. ſeq. quid ſit. 40. 36. fundamentalis eius propoſitio 40. 37. y. ius nat. pro libertate nat. ſumtum quid. 41. 38. z. qui eius limites 42. eſt vel publicum vel priuatum 58. 13. imperantes obligat intuitu ſubditorum 58. ſeqq. eius neceſſitas & vtilitas 93. f. 94. g. an inter Chriſtianos excolendum, 101. 9. r. facta eius 105. ſeqq. Simpliciſſimum, & ſtatui ciuili aptiſſimum eſt 380. 5. per leges ciuiles inculcandum 405.

Ius publ. vniuerſale eſt pars iuris naturalis I. an detur 58. 14. Dubia contra exiſtentiam eius remouentur 62. ſeqq. quotupliciter ſumatur 70. I. 2. an demonſtrationem admittat 74. h. fundamentum eius 75. 4. i. quid in eius applicatione obſeruandum 76. 5. ſeqq. particulare quotuplex 79. n. differt ab vniuerſali 90. 19. b. ſtudii iuris publ. vniuerſ. neceſſitas. 92. I. ſeqq.

ſeqq. 95. 4. an in academiis docendum 97. 6. l. dubia contra neceſſitatem & vtilitatem eius remouentur 98. ſeqq. fata huius ſtudii 105. ſeqq. a ICtis deprauatum 107. reſtauratio eius 109. ſeqq. Auctores 111. ſeqq. ſubſidia 118. ſeqq. cautiones 122. 19. ſeqq.

Iuſtitia in ſtatu naturali datur. 48. ſeq. in ſenſu aiente & negante. 85.

Iuſtitium quid. 503. 7. vnde oriatur. 504. quotuplex. 505. eius effectus 506. 9.

L*Atrocinia* gentium vſitata. 144. 18. s. produxere respubl. 146. 20. u. 162. n. 171. 15. x.

Leges non ſcriptæ quid. 301. o. traditæ quid. 302. o. pacem reipubl. firmant 374. earum neceſſitas ibid. f. multitudo earum indicium corruptæ reip. 375. g. an naturales in republ. ſufficiant 380. ciuiles ſæpe luxum & corruptionem promouent 382. 6. quando ciuiles ferendæ 383. n. quis eas ferre poſſit 384. & quidem independenter. 389. an procerum conſenſum requirant 391. per alios quoque ferri poſſunt. 392. y. quatenus extraneæ valere queant. 396. 20. d. 397. quat. magiſtratus inferior eas ferre poſſit 399. absque conceſſione imperantis nemo ferre poteſt 403. 29. o. in quem finem ferantur 404. quænam imperfectæ 404. p. quæ iuris N. ſunt, primario in ciuilibus inculcanda ſunt 405. 31. ad humanitatem ſubditos diſponere debent 407. irritamenta paſſionum præſcindant. 409. ſeq. imbecillitatis humanæ rationem habeant 411. omnes ſubditos ligant. 412. per indirectum extraneos 413. non imperantem ipſum 413. z. promulgandæ 415. ſeqq. perſpicuæ ſint 417. eorum ſenſus & applicatio erui debent 418. ſeq. de quibus actionibus ferantur 420. ſeqq. an ad præterita trahi poſſint. 421. 45. addunt iuri naturæ & detrahunt 422. ſeq. obligatio eorum 423. tolluntur contraria voluntate 439.

Libertas naturalis quouſque ſe extendat 42. a. eſt inter gentes & diuerſas respubl. 47. 4. f. eius iura differunt a iuribus ſupremæ poteſtatis 229. 2. quæ ſint iura illius 231. 3. quomodo ab imperante exercenda 231. 4. h. ſubditorum ab imperante

rante reſtringi poteſt 238. 10. niſi ſit innoxia 299. 29. h. tunc per leges reſtringenda 406. r.

Limites ſummæ poteſtatis 267. ſeqq. quinam illos reiiciant 272. ſeqq. variis argumentis diſſentientes refelluntur 274. nec doctrina de limitibus poteſtatis eſt periculoſa reip. 281. 14. Sed contraria potius 282. vnde illos accipiat ſuprema poteſtas 284. 17. s. limitata poteſtas eſt ex populi voluntate 292. 23. a.

Luxuria corrumpit reſpubl. 201. y.

M*Achiauelliſmus* pugnat cum iure publ. vniuers. 123. u. a quo ortum traxerit. 271. f.

Magiſtratus inferior non habet ius belli. 313. s. leges ferre nequit 399. 23. niſi ex imperantis indulgentia 399. 24. ſubditi eos ſibi an conſtituere queant. 484. reſtrictiorem habet poteſtatem in pœnis quam princeps. 537.

Maieſtatica iura quæ. 232. i. quid ſint. 266. 35. illa populus non retinet. 598.

Manuductionis neceſsitas 15. 19. u. vnde deſumenda 17. quid operetur in cognitione veritatis. 18. 20.

Matrimoniorum ratio in ſtatu civili. 614. ſeq.

Media emergendi ex miſeria homines appetunt, 10. m. quænam ſint. 10. 13.

Metationes 328. 27. an ad onera realia pertineant 329. p. quid iuris magiſtratui inferiori hic competat. 330. 30.

Milites conſcribendi ius 325. 25. an in territorio alieno exerceri poſſit. ibid. l. 326. quomodo ſint conſcribendi 327. m. illos ſubditos ſuis ſumtibus recipere debent. 329. 29.

Miſeria hominis vnde? 7. 8. quid ſit. 7. h. tum reſpectu ſui ipſius tum aliorum. 8. 9. ſeqq.

Moderamen inculpatæ tutelæ in ſtatu ciuili & naturali diuerſum. 620. ſeq.

Monarchia origo 208. 13. in primis rebuspubl. obtinuit & quare 208. c. ſubditos vtplurimum ſeruos facit. 209. 14.

Monarchomachorum doctrina abhorret a iure publ. vniuerſali 123. 20. u.

Mores ſubditorum cauſa tot morborum in republ. ſunt 364. quomodo reformentur. 364. 5. boni plus proſunt, quam leges multæ 382. 7. corrupti leges requirunt 383. n.

Moſco-

Moſcovitarum ſententia de poteſtate imperantis 288.

N*atura* quid 2. §. 3. humanæ cognitio neceſſaria ad iuris naturæ cognitionem ſolidam 2. b. humana in quo conſiſtat. 3 4.

Nephilæorum mores 143.

Nimrod ex violentia condidit imperium 143. 17. r.

Nomadum vita & mores 161. m.

Norma quid 11. 14. eius neceſsitas. 11. n. o. Quis illam præſcribat. 12. 15. An homines? 13. 16, 14. r. an potius Deus? 14. 17. quomodo Deus præſcripſerit. 15. 18. t. eſt voluntas Dei. 18. 21. Obligat homines. 18. a. qualis homini præſcripta intuitu aliorum. 21. c. qualis intuitu ſui ipſius 23. 24. d. conditio eius, qui normam præſcribit, conſideranda. 26. 27. i. Variant inde obligationes. 27. k. virtutis & legis. 31. 31. r. differentia vtriusque normæ 33. 32.

Notitia ſingularis reipubl. quid? 80. 9. differt a iure publ. vniuerſ. 80. p. 81. 10. quomodo comparanda 82. q.

Nullitatis clauſula quid operetur contra imperantem. 252. h. quid in legibus. 424. 49. 425. p. an iuramentũ nullitatem tollat. ib.

O*bedientia* debetur etiam duro & impio imperanti. 592. eam tollere nequit Pontifex 594. quousque ſe extendat. 596.

Obligationis neceſsitas 18. a. eſt vel interna vel externa 19. a. quæ actiones internam operentur 23. 24. d. quæ externam 25. 26. legum obligatio vnde. 423. 47. in quo conſiſtat 424. ſeqq. quæ pœnalis ibid. illam determinat imperans 427. 55. ſubditorum qualis. 588. vnde ſit. 589. ſtringit conſcientiam. 589. 3. excludit reſiſtentiam 590. ſeqq. ad patiendum ſtringit. 599. ſeqq.

Obſeruantia antiqua qualem vim habeat 301. o. an principem obliget. 303.

Officiales ad rationes reddendas obſtricti ſunt. 485. nullo obſtante priuilegio. 486. ab illis datur recurſus ad ſuperiorem. 487. Quomodo debeant eſſe comparati. 487. 10. ſeq. an inuiti cogi poſſint ad officium ſuſcipiendum. 489. remoueri poſſunt. *ibid.* eorum qualitates princeps determinat. 492. perpetuos an temporarios 493. ſubſtituere illis alios poteſt. 497.

de

de renunciatione eorum iudicat 498. 25.

Officium principis an a iure eius ſeparandum ſit 289. x.

Officiorum publicorum conſtituendorum neceſsitas in republ. 481. dependent ab imperante 482. nec priuatus ſibi illa arrogare poteſt 483. 4. quo intuitu officiales publicam habent autoritatem. 483. 5. hereditaria an adimi poſsint. 490. an pretium pro illis poſsit exigi. 497. ſeq.

Ordo in iudiciis obſeruandus naturaliſsimus. 520. ſeqq. vid. *iudicia.* in quibusdam cauſis negligi debet. 528. 39.

Oſtraciſmus 359. ſeq. an defendi poſsit 360. ſeq.

P*acta* inita cum ſubditis imperans ſeruare debet 363. 12. niſi iuri naturæ contraria ſint 363. 13. r. an cum rebellibus inita obligent. 371. differunt a LL. 387. 12.

Pater quale ius habeat in ſtatu ciuili 607.

Pax ab omnibus colenda 34. 34. obligatio ad illam ſingulis ius præbet. 35. t. Homines ad illam ſibimet ipſis obligantur 36. 35. u. extra ciuitatem ægre obtinetur 192. s. Princeps pacis cultor inprimis eſſe debet 299. 38. interna & externa eſt reipubl. ſalus. 304. q. externa in quo conſiſtat 304. 1. propter hanc bellum ſuſcipitur 333. h. Pax aliquando reipubl. nocet 334. b. quis pacem inire poſsit 334. ſeq. obligatio pacis 336. 37. capita pacis ibid. l. an ſucceſſorem ſtringat. 338.

Perduellionis crimen. 368. 18.

Pœna in ſtatu naturali ceſſat. 526. ſeq. differt a vindicta 527. neceſſaria eſt in ſtatu ciuili 529. repellit hominum audaciam. 530. 6. finis. 530. 7. diuina ab humana differt 531. finis alius inflictarum, alius propoſitarum. 532. eius conceptus formalis. 533. ius puniendi penes imperantem. 533. 11. ſubordinanda ſaluti reip. 534. ius eius nec collegiis nec doctoribus competit. 535. an quidam ex ſubditis 536. tenet eos, qui deliquerunt. 538. 20. 539. quæ delicta illi ſubiaceant. 540. ſeqq. qualis infligenda 543. 27. quod ex intentione delinquentis quoque æſtimandum. 544. 28.

Politica differt a iure publ. vniuerſali. 83. 11. ſeqq. vnde vtriusque confuſio orta. 83. x.

Pontifex inique ſibi arrogat poteſtatem legislatoriam in Sa-

eris. 403. o. non poteſt tollere vinculum ſubditorum 593.ſeqq.
Potentia vicini non eſt iuſta belli cauſa 309. 9. o. ſubditorum princeps conſtringere poteſt 353. vnde oriatur ibid. d.
Poteſtas ſuprema vnde naſcatur 229. 1. e. an a populo in imperantem deferatur 229. f. eius iura reſpectum habent ad ſubditos 232. 5. non attenditur vltra limites territorii 235. l. niſi pactis aliter proviſum 236. 7. iura eius imperanti denegari nequeunt 237. 9. nec alteri in territorio concedi ſine læſione ſupremæ poteſtatis. ibid. debet eſſe independens 241. 13. & ſic non dependet a Papa ibid. z. apparens dependentia non nocet 245. ſeq. non tollitur per nexum feudalem. 247. nec clientelam. 249. nec per pactum aliud. 250. nec per promiſſionem ſub lege nullitatis 252. h. debet eſſe vna. 253. competit in omnes perſonas territorio incluſas. 254. 23. & bona 256. & territorium 258. non augetur vel minuitur ex territorii quantitate. 259. non æſtimanda ex titulis 260. non augetur ex forma imperandi 263. t. an limites habeat 269. 3. illimitata pugnat cum iure nat. 275. 10. l. vid. *Limites.* concluſa eſt intra terminos iuris nat. 289. 20. x. & reſtricta ad ſalutem reip. 293. reſtringitur per pacta 301. an etiam tacita 302.
Præcepta differunt a legibus 385.
Præſidiarium ius. 322. 22. an ciuitates imperanti illud poſſint in dubium vocare 323. 23.
Primogenitura in regnis vnde? 644.
Priuilegia quid 428. y. quis concedat. 428. 56. quomodo differant a iure ſingulari 429. b. 430. quibus dari poſſint. 430. 58. ſunt titulo oneroſo vel gratioſo conceſſa. 431. realia, vel perſonalia 432. 60. quale ius priuilegiato acquiratur 432. 61. an reuocari poſſint 433. ſeqq. quando ſuſpendantur 437.
Proëdria rerumpubl. vnde æſtimanda ſit. 215. l. non minuit iura ſummi imperii 216. 23.
Promulgatio in LL. neceſſaria 415. 39. quomodo fiat 415. b. in quem finem fiat 416. c. quo idiomate. ibid.
Puſendorffii diligentia in iure publico vniuerſ. 114. 8. g.

R*Atio ſtatus* differt a iure publico vniuerſ. 89. 17. a. exemplum peſſimæ rationis ſtatus 359. 7.

Rebellio quomodo fiat 369. an contra rebelles princeps vtatur iure belli 370. an pacta cum iis inita ſint ſeruanda 371. quid ſi dimiſſi ſint? 372.

Receptio iuris extranei probanda 398. 12.

Reformandi ius in republ. 354. quomodo exercendum. 355. ſeq. quibus mediis 357. ante cauſæ morborum indagandæ 362. 12.

Regalia vnde tot naſcantur. 239. r.

Regnum electiuum & ſucceſſiuum 224. patrimoniale & non patrimoniale 227. 35. c. 228. tributarium an ſummam poteſtatem retineat 250. ſeqq. ſeruile quomodo a ceteris regnis differat. 256. m. Regnum per ſe non plus tribuit poteſtatis imperanti, quam in aliis rerumpubl. formis locum habere poteſt. 283. r.

Religio non præbet iuſtam bellandi cauſam 312. 11. r. errores circa eius conceptum 453. g. quotuplex ſit. ibid. h. ſocietatem per ſe non requirit. 453. i. propter illam ciuitates non ſunt conditæ. 454. 3. libertas ſubditorum circa eam. 455.

Repreſſaliarum ius 348. an differat a pignoratione 349.

Res omnes a natura ſunt nullius. 557. 1. quæ poſt occupationem tales manſerunt 558. 3. nullius cedunt occupanti 558. 4. reip. quæ ſint. 561. 7. quæ proprie adeſpotæ in republ. 562. 9. adhuc cedunt occupanti 563. 10. niſi ſubditi excludantur ab eorum acquiſitione *ibid.* 11.

Reſignatio vid. *abdicatio.*

Reſiſtentia ſubditorum pugnat cum ſubiectione 590. ne quidem ob religionem illa permiſſa eſt. 600. an certo caſu permiſſa 601. 16.

Reſpublicæ ad bonum extraordinarium referendæ 126. 1. non fuerunt in ſtatu naturali 127. 2. b. non ſunt ex iure nat. præceptiuo 128. 3. c. nec ad illas condendas homines a natura ducuntur 129. 4. d. ineptitudo hominum ad illas 131. e. nec origo earum deducenda a ſocietatibus ſimplicibus 132. 6. f. nec indigentiæ humanæ adſcribenda 134. 7. g. nec a metu mali ortum traxerunt 134. 8. ſeqq. a violentia & ambitione natales earum deducuntur 141. ſeqq. pii non condiderunt reſp. 149. 21. non fuere ab initio conſtitutæ bono conſilio 150. 22. y. fuerunt ab initio rudes 151. 24. paulatim ad-

ad iuſtitiam comparatæ 152. 25. c. de nexu earum 154. ſeqq. an pacto expreſſo conſtituantur 159. ſeqq. præſupponunt multitudinem inordinatam 163. 10. Quid ſit. 187. 1. varius ſtatus. 188. 2. primæ aberrarunt a fine 189. q. ex vitioſis primordiis earum finis non eſt æſtimandus 191. qq. finis verus. 191. 4. an etiam in eo conſiſtat, vt ſubditi ad veram pietatem deducantur 194. 6. u. quæ male partæ ſunt, malis artibus reguntur. 197. * earum felicitas vera falſaque. vid *beatitudo.* Earum magnitudo plus nocet, quam prodeſt. 200. tria vitia in illis 203. 11. * irregulares ſeu morbidæ quid. 204. a. an inter regulares referri debeant regna abſoluta 205. quo ſimpliciores, eo meliores. 206. 12 quæ ſimplices dicendæ. 207. inter ſe æquales ſuut 215. vnde earum proedriæ æſtimandæ. 215. an mixtæ dentur 218. ſeqq. earum ſyſtemata 220. electiuæ & ſucceſſiuæ 224. ſeq. quomodo differant 237. 34. vid. etiam *Regnum, imperium.* Eius ſalus in quo conſiſtat vid. *ſalus.* mala eius interna vnde 351. c. 353. d. eius adminiſtratio eſt penes principem. 480. res quæ ad illam ſpectent. 561. 7. ab illis excludi poſſunt ſubditi 561. 8. quid ſi in totum intereat. 622.

Ritus in eccleſia ſunt ſub diſpoſitione principis. 471. f. ſeq.

S*Acra* habent finem internum. 454. 3. coactionem reſpuunt. *ibid.* principis cura in illa 457. 6. publica prohibere poteſt, ſaluis priuatis. 458. An in quæuis ſacra princeps ius habeat. 459. Societates eorum nomine contractæ æquales ſunt. 461. non ſunt collegium ciuile. 462. quando Schema politicum induant 463. fundamentum iuris circa ea. 466. ſeq. ius illa reformandi. 470. iurisdictio in illa eſt penes principem. 477. k.

Salus reipubl. principi debet eſſe propoſita 293. b. in quo conſiſtat 293. 24. 304. 1. illam ante oculos habere debet 293. c.

Sanctitas imperanti debita vnde. 240. s. quouſque ſe extendat 241. t. quatenus extra territorium 241. 12.

Scriptura S an a iure nat. removenda 17. x. diuerſi generis præcepta habet. ibid.

Sectas imperans exſtirpare nequit 364. 15.

Sequelæ ius 330. 31. r. quouſque locum habeat 331, 32. s. an

ſubditi ſuo victu & ſumtu imperantem ſequi teneantur 332. 34. an liberare ſe poſſint ſubditi per præſtationem eius quod intereſt. 332. t.

Societas inter omnes homines a natura eſt conſtituta 32. ſeq. Quid in genere ſocietas 154. 1. e. nexus eius 155. 2. quomodo concilietur 155. 3. g. vel æqualis vel inæqualis 156. 4. h. inæqualis ſpecies 157. 5. æqualis inter quos potiſſimum ſancte colatur 165. 11. inter impios imbecillis 166. 12. s.

Societas ciuili non eſt a natura 129. 4. homines ab ea alieni ſunt 131. 5. e. quid ſit 157. 5. præſupponit conſociationem æqualem 159. 6. k. Vnde oriatur 159. 7. ab initio rudis fuit. 163. 10. non fuit inter omnes populos ſocietas ciuilis 164. an pacto expreſſo conſtituta 167. t. ſeqq. nexus in illa non ſemper eſt ex condicto 173. 17. z. quid operetur 174. ſeqq. varius eius ſtatus. 188. 2.

Sponſio quid 335.

Statuta magiſtratus quo iure condat 399. 24. an confirmanda ſint. 400. quatenus condi poſſint ibid. 401. an etiam collegia? 402.

Status hominum quid 45. d. quotuplex 45. 2. naturalis quid 46. 3. eſt inter diuerſas reſpubl. 47. 4. datur in eo iuſtitia & iniuſtitia 48. ciuilis quid 53. 7. m. diuerſitas ſtatus vnde 569. 3. ſeq. maxime in ciuitate 612.

Status ciuilis vitia vnde 362. q.

Subditi non concurrunt ad leges ferendas 389. u. 390. retinuere libertatem circa religionem. 455. ſeq. peregrinis ſacris addictos imperans poteſt non recipere. 457. o. eorum nexus duplex 568. 1. eorum ius variat pro diuerſo ſtatu. 569. 2. 611. differentia eorum a principe 570. 6. libertatem deponunt quodammodo 571. eorum diuerſitas. 572. g. & diuerſus ſtatus 573. quinam primarii 573. 11. an peregrini ſint ſubditi 575. qui ſint recipiendi. 575 receptio eorum aliquando reſtricta eſt. 576. mediati & immediati 581. 23. quando ſui iuris fiant. 582. ſeqq. ſint æquales 584. 30. vnde inæqualitas 585. 31. quando hoſti ſubiiciantur. 602. an iura ſalua habeant. 607. ſeq. inter ſe ſocietatem æqualem habent 609. 1. propter illam ſemper eandem perſonam repræſentant, 610. 4. inter ſe ſpecia-

les habent ſocietates. ibid. 5. iura ſubditorum ex ſtatu ciuili alterantur. 613. ſeqq.

Subiectio in quo conſiſtat 174. 18. a. nititur pacto quodam 176. 20. qualem obligationem producat 177. c. 571. 7. gradus ſuos habet. 572. 9. afficit perſonam 574. 12. ipſo facto declaratur. ibid. 13. quomodo probetur. 578. non petenda a titulis & externis ſignis. 579. 19. Clerici ab illa non ſunt exemti 579. 20. nec dignitas eam tollit 579. 21.

Subſidia varia exigit respubl. 545. 4. imperans exigit. 546. 5. 547. * ex quo fundamento 547. 6. non inferior magiſtratus 547. 7. niſi certis caſibus. 548. poſſunt ex conſenſu ſubditorum determinari 548. 8. eorum determinatio dependet ab imperante 550. 11. ad ea ſubditos imperans cogit. 554. 18. a quibus exigantur *ibid.* 19. vid. *collecta.*

Subterranea in rep. ad imperantem ſpectant. 565. 19.

Succesſio in regnis quando locum habeat. 636. qualis ratio ſuccedendi 637. ſeqq. populus de illa iudicat. 640.

Succesſiua regna qualia dicenda 224. an ex electione mixta dentur 226. quomodo differant ab electiuis 227. 24.

Syluæ ad quem ſpectent in rep. 565. ſeq.

Synodi conuocantur a principe. 477. earum ſtatuta confirmat. 478. ſeq

Syſtemata ciuitatum quomodo contrahantur 220. 27. q. expreſſo fœdere vel tacito. 221. quæ magis cohæreant. 222. 29. u. in iis poteſt alteri in ciuitatem alterius ius aliquod competere 237. 8. o. an ſingulis ius belli competat. 315. 14.

Templa muniri a principe poſſunt ad defenſionem reip. 321. e.

Territorio includitur ſuprema poteſtas. 237. p. in illud ſummum ius principi competit 258. p. in quo conſiſtat. ibid. amplitudo vel quantitas eius non auget vel minuit ſupremam poteſtatem 259. q. ad illud ſpectat quicquid reperitur intra illud 559. ſeq. niſi ſingulis propria probentur 559. 6.

Teſtamenta an ſint iuris naturæ 627. non valent de imperio 628. ne quidem facultate alienandi imperanti conceſſa 628. 8.

Theſaurum